[EPISTOLAE.]

LIBER PRIMUS EPISTOLAS CONTINENS QUAS SCRIPSIT ANSELMUS NONDUM ABBAS.

EPISTOLA PRIMA AD LANFRANCUM. *De ipsius in archiepiscopum electione gratulatur. Et ei scyphum amice donatum amice remittit.*

Suo domino et suo Patri, multum cum amore catholicis reverendo, et cum reverentia amando archiepiscopo LANFRANCO, frater ANSELMUS suus totus.

Gloria in excelsis Deo, qui fidei et sapientiae vestrae lucernam in eminenti constituit candelabro, ut luceat omnibus, qui in domo ejus sunt. Oramus itaque omnipotentem Deum, ut illa sic ardeat, ut non consumatur ; sic luceat aliis, ut sibi nunquam exstinguatur; ut post suae lucis diuturnam Anglis impartitionem, transferatur ad divinae lucis aeternam cum angelis participationem. Sicut enim bona nostra, si qua sunt, esse vestra optamus; ita vestra, quaecunque sunt, esse non nostra nequaquam putamus. Quamvis namque tot rerum inopinatae mutationes saepe vos mihi conentur subtrahere, nullatenus tamen poterunt ut non dicam cohaerentes animas nostras ab invicem distrahere, certe adhaerentem animam meam a vobis abstrahere. Quapropter, ut taceam quod vos

scitis, et ego non dubito, quia quem interiorem si non geritis, minime potestis fugere: utique enim, qui vos quocunque eatis prosequitur, et ubicunque maneat amplectitur, non penitus valetis deserere. Scyphum charum, quem chariori charissimi dedistis, sicut dominus Hernostus mihi retulit, velle vos hilari benignitate et amica confidentia dixistis. Donum igitur vestrum nequaquam vobis reddo, ne quomodo minus vobis reddar obnoxius; sed libentissime vobis dono, quod id mundo charius possideo. Legant dilectissimi fratres nostri, qui vobiscum sunt, post litteras vestrae sublimitati directas, hanc brevissimam et sufficientem sibi missam nostram epistolam: desiderium vestri mihi semper crescit; et amor, cujus olim mihi conscii fuistis, nunquam decrescit.

312 EPISTOLA II . AD ODONEM ET LANZONEM. *Sanctioris vitae normam a Lanzone rogatus praescribit.*

Dominis, amicis, fratribus charissimis, ODONI et LANZONI, frater ANSELMUS Beccensis, vita peccator, habitu monachus; pro aeternis temporalia despicere, pro temporalibus aeterna percipere.

Quoniam verus amor, sicut laudabiliter impenditur, sic irreprehensibiliter amando exigitur, puto me impudentem non esse, si meum erga vos aliquatenus vobis ostendo amorem, ut vestrum mihi possim aut acquirere, aut acquisitum reddere perfectiorem. Sed quoniam propter nimis disjunctam conversationem nullis aut obsequiis, aut saltem colloquiis

ipsum de bonis cor meum potestis percipere, vel epistolaris salutatio sit vobis signum dilectionis vestrae memoriam in me vigere. Cum enim primum vestra reverenda fraternitas parvitati meae se notam fecit per suam praesentiam, sic eam sibi anima mea charitatis amplexu alte impressit astringendo, ut ejus imaginem in se perspicuam exprimeret diligendo, per quam vos semper praesentes tenet etiam absistendo: unde licet rarus sit aspectus, non tamen rarus, sed continuus est affectus. Hactenus duobus spontanea charitatis est digesta salutatio, deinceps uni persolvetur debita exhortatio; uni quidem vestrum, quia ab uno est postulata, addicitur, sed duplici emolumento laboris gaudebo, si ab utroque velut sibi dicta accipitur. Equidem memini, domine mi, et amice et Lanzo, sanctum tuum bene vivendi fervorem, multis meum precibus postulasse teporem, quatenus suis cum commonitoriis litteris ad spiritualem accenderet amorem. Quod quoniam inconveniens existimabam, ut frigidus calidum calefacere tentaret, utique volui recusare, sed rursus considerans quia frigido flatu fervens ignis augetur, non omnino quod petebas potui recusare. Quapropter cum hoc, quod a me poscis, ubique in sacris paginis multo melius possis invenire, et mansuetae gravitati tuae velim, ob sui reverentiam, quantum in me est, libenter obedire, sic inter utrumque incedam, ut primum studendi in sacra Scriptura tibi curam injungam; deinde in mea persona non ex mea, sed ex ejusdem Scripturae sententia, pauca subjungam .

Moneo itaque et precor, charissime, quatenus, sicut scriptum est, *Omni custodia serva cor tuum* **(Prov. IV, 23)**, nihil sit, quod mentem tuam a sui revocet custodia. Sollicite discutiat quid quotidie acquirat proficiendo; ne quid, quod absit! perdat

deficiendo. Sicut enim in virtutibus difficilius est , aliquid non habitum conando assequi, quam desidia carere, ita gravius est recuperare quod per negligentiam amittitur, quam adipisci quod nondum quis habuisse cognoscitur. Semper igitur, dilectissime, praeterita quasi pro nihilo sic deputes, ut et illa ad quae profecisti tenere non contemnas; et his aliquid addere, licet per infirmitatem nequeas, tamen per importunitatem semper contendas. Quoniam namque inter multos vocatos pauci sunt electi, certi sumus omnes, Veritate dicente: sed quam pauci sint, incerti sumus cuncti, Veritate tacente. Quapropter quicunque nondum vivit ut pauci, aut vitam suam corrigendo inter paucos se colligat, aut cum certitudine reprobationem timeat. Qui vero se de paucis esse jam judicat, non statim de securitate electionis confidat. Quippe quoniam nemo nostrum scit in quantam paucitatem redigantur electi, nullus utique novit si jam sit inter paucos electos, licet jam paucorum sit similis inter multos vocatos. Nullus igitur retro respiciendo penset quam multos in via coelestis patriae praecedat; sed indeclinabiliter in anteriora intentus , sollicite consideret si jam pariter cum iis, de quorum electione nemo fidelis dubitat, incedat. Vide igitur, dilectissime, ne qualibet occasione timor Dei, quem concepisti, tepescat; sed semper quasi indeficienti studio ventilatus in dies fervescat, donec tibi in securitatem mutatus aeternam lucescat.

Valde namque cavendum est, frater amantissime, illud quod multi, et non tam numero multi, quam sensu stulti, faciunt, qui quanto diutius vivunt, tanto majorem sibi spem vivendi nutriunt, et timorem festinantis mortis abjicientes, a proposito sanctae vitae deficiunt. Verum namque est quia quanto

diutius vixit aliquis, tanto brevius victurus est; et quanto fit longius a die nativitatis suae, tanto fit proprior diei mortis suae, et retributioni totius vitae suae. Sicut igitur vides per singulos dies in praeteritum vitam tuam crescere, ita certus esto spatium bene vivendi quotidie tibi decrescere. Esto itaque, amice mi, sollicitus, ut spatium vitae, quod tibi restat, quia nescis quam breve est, sic expendas, ut de die in diem sanctum mentis propositum ad meliora extendas, quatenus si quid te gravat bene vivere, quanto magis laborem tuum ad finem festinare, et te ad requiem et coronam appropinquare consideras ; tanto fortius instando, et laetius perseverando, viriliter confortatus proficias. Ab inceptis ergo nulla lassitudine deficias, sed potius quae tibi expediunt, et quae nondum es aggressus, in spe superni auxilii pro amore felicis praemii incipias, ut ad sanctorum beatum consortium, Christo ducente, pervenias.

Excedit jam modum nostra epistola; sed ut illis pariter desinat, quibus communiter incoepit, attendite, duo amici mei; audite, ambo dilecti mei; tenete, rogo, finem fatuae meae allocutionis in memoriam mutuae nostrae dilectionis; fatuam dico locutionem, quod meum est; sed non sententiam, quod Dei est. Audite ergo, et ne propter id quod meum est id quod Dei est contemnatis. Si quando mundus in aliquo sui generis favore vobis ridet, nolite illi arridere: utique non ad hoc ridet ut in fine rideatis, sed ut sub principe suo irridente, cum ipso lugente lugeatis. Potius ergo, quoties vobis riserit, risum ejus horrete, horrendo ridentem irridete, ut post irrisorem ejus irrideatis, et ipso lugente rideatis. Amici mei, nolite diligere mundum, nec ea quae in mundo sunt **(I Joan. II, 15)**; veraciter enim scriptum est, quia *mundus transit, et concupiscentia*

ejus **(Ibid., 17)**; et quia *amicus hujus saeculi inimicus Dei constituitur* **(Jac. IV, 4)**. Non habet fenum in cornu , aurum habet in cornu, sed posteriora videte; fenum habet in cauda; cauda ferit ille, cavete. Cavete, inquam, et valete .

EPISTOLA III . AD ROBERTUM MONACHUM. *Ejus preces, et Anastasii commonachi amicitiam requirit.*

Domino dilectissimo reverendo monacho ROBERTO, frater ANSELMUS Beccensis, inter sancte conversantes tantum minimus, sic in temporalibus velle aeternitatem, ut in aeternis nolit temporalitatem.

Cum considero, strenue miles Dei, et mihi charissime, cum considero tuae provectus strenuitatis et meae sterilitatem inertiae, vix suggerere sanctitati tuae praesumo mutuae nostrae mentionem amicitiae. Quia enim in cunctis tepidae vitae meae actionibus nihil est quod beneficiis tuae dilectionis possit compensari, **313** erubesco vel a te debitum amici exigere, vel saltem amicum tuum nominari. Sed rursus, cum in reditum patriae supernae alios facile currere, me vero peccatis et tepore gravatum in eadem via vix moveri intueor, magna necessitate cogente, ad praecurrentes me ex intimo corde clamare compellor; non ut velocitas eorum praestolata lentum, reddatur tardior; sed ut tarditas mea a currentibus rapta, fiat velocior. Quapropter cum orationes meae tales sint, ut vel nihil vel parum prosint mihi, quas tuas esse proposui offerre non praesumo tibi; sed precor, ut fervore tuarum

accendantur, quatenus efficaciter mihi prosint et tibi. Sic enim coram Deo vult cor meum, et sic ad Deum orat os meum: ut quidquid prodesse debet mihi, non minus prosit tibi quam mihi. Age ergo, vir venerabiliter amabilis et amabiliter venerabilior; certus esto, dum vivo, de hac nostra voluntate, et sollicitus esto de perficienda in me, quae tua erit, charitate. Si enim oraveris pro proximo, scio verum esse quod tibi retribuetur; et si impetraveris, scito tuum esse quidquid mihi tribuetur. Quod ut efficacius efficias, precor, obsecro ut illi sancto viro Anastasio, cujus desiderabili societate frueris, me commendando quantum absentem potes, notum facias, ut et illum amicum tuum mecum communices, et me servum tuum cum illo participes. Quatenus ex hac die dum vivimus per te et tecum, et ego illum venerer amicum alterum Robertum; et ille possideat servum eumdem Anselmum. Quia enim non sum dignus, non audeo petere, quod tamen velle praesumo, ut ego velut alter Robertus utar eodem Anastasio, et ipse me fruatur quasi altero Roberto: cujus bonus odor jam per multos hujus patriae suaviter diffusus, quanto delectabilius animae meae fragrat; tante ipsa ad ejus amicitiam et notitiam ardentius flagrat. Quas jam, ex quo vitam ejus audivi, habeo et amplector, quantum possum; et oro oret et ipse mecum, ut tanto nobis crescant, quantum in Deo crescere possunt. Ambo, charissimi, valete. Obsecro, in Babylonia sentite idipsum, ut in Hierusalem participetis in idipsum. Non hoc dico quasi timens vobis aliquando discordiam venire, sed vere cupiens a vobis nunquam concordiam abire.

EPISTOLA IV. AD GONDULPHUM. *Etsi infrequentius scribat, non tamen oblivisci ejus, ad quem esset frequentius scribendum*.

Domno reverendo, fratri charissimo, amico certissimo, domno GONDULFO, frater ANSELMUS salutem.

Cum tibi propono scribere, anima dilectissima animae meae, cum tibi propono scribere, incertus sum unde potissimum exordiar allocutionem meam. Quidquid enim de te sentio, dulce et jucundum est cordi meo: quidquid tibi opto, id est quod optimum excogitat mens mea. Talem enim te vidi, ut quomodo tu scis te diligerem; talem te audio, ut quomodo scit Deus te desiderem: unde fit ut quocunque tu vadas, amor meus te prosequatur; et ubicunque ego remaneam, desiderium meum te complectatur. Et eum rogitas me tuis nuntiis, hortaris me tuis litteris, pulsas me tuis donis, ut memor sim tui: *Adhaereat lingua mea faucibus meis si non meminero tui* **(Psal. CXXXVI, 6)**: si non proposui Gondulfum in praecipuis amicitiae meae. Non hic dico Gondulfum laicum meum patrem, sed Gondulfum monachum, nostrum fratrem. Qualiter namque obliviscar tui? Is enim qui cordi meo velut sigillum cerae imprimitur, quomodo memoriae meae subtrahetur? Praeterea cur, sicut audio, tanto moerore quereris quod nunquam litteras meas videas, et tanto amore quaeris ut eas saepe accipias, cum meam conscientiam tecum semper habeas? Te quippe silente, ego novi quia *diligis me*; et me tacente, *tu scis quia amo te* **(Joan. XXI, 16)**. Tu mihi conscius es quia ego non dubito de te; et ego tibi testis sum quia tu

certus es de me. Quoniam igitur nobis nostrarum conscii sumus conscientiarium de invicem, hoc tantum restat ut ea quae erga nos sunt mandemus ad invicem, ut pariter vel gaudeamus, vel solliciti simus pro invicem. Quae autem erga me sint, et pro quibus te velim mecum gaudere, vel esse sollicitum, melius disces per hujus schedulae latorem, quam per epistolae scriptorem. Saluta dominum Lanfrancum juvenem nepotem reverendi domini et Patris nostri Lanfranci archiepiscopi, et offer eis fidelis nostri servitii voluntatem. Quoniam enim tam propinquus et dilectus est ejus quem sic amando veneror, et venerando amo, ut amem quod amat, et quia mores ejus amabiles audio: si dignatur et ei fidelitatem nostram offero, et ejus amicitiam expostulo. Saluta domnum Osbernum qui vobiscum est, sicut dilectum fratrem nostrum pro Osberno defuncto dilectissimo meo, ut rogem te et omnes amicos meos, quam scio sermone minori, et quam possum affectu majori, ubicunque Osbernus est, anima ejus anima mea est. Accipiam igitur in illo vivus quidquid ab amicitia poteram sperare defunctus, ut sint otiosi me defuncto. Vale, vale, mi charissime, et ut secundum importunitatem tuam retribuam tibi, precor et precor, et precor, memento mei, et ne obliviscaris animae Osberni dilecti mei. Quod si te nimis videor onerare, mei obliviscere, et illius memorare. Domno Henrico misi alteram epistolam; sed commutatis vestris nominibus per omnia, et tua sit sua, et sua sit tua.

EPISTOLA V . AD HENRICUM. *Se Henricum impensius amare propter bonos mores et*

religiosam conversationem: et quod amici absentia per obedientiam sustinenda est.

Domino et fratri charissimo HENRICO, frater ANSELMUS salutem.

Quanto, dilectissime, conversationem tuam erga cunctos ad morum honestatem cum religione sanctitatis in dies crescere mihi fama testatur: tanto utique cor amici tui desiderio videndi quod amando audit, et fruendi quod audiendo amat, inflammatur. Quoniam autem nos ad invicem non dissimiliter amari non ambigo, nosmet quoque ab invicem similiter desiderari non dubito. Quorum enim mentes in unam ignis dilectionis conflat, his non immerito molestum est, si eorum corpora locus conversationis disjungat. Sed quoniam *sive vivimus, sive morimur*, non nostri, sed *Domini sumus* **(Rom. XIV, 8)**, plus est attendendum nobis, quod facit de nobis Dominus cujus sumus, quam quod nos volumus, qui nostri non sumus. Sic ergo servemus desiderium fraternae charitatis, ut serviamus imperio supernae voluntatis, et sic exhibeamus obedientiam subjectionis, quam exigit omnipotens dispositio, ut retineamus affectum dilectionis, quam largitur divina distributio. Non enim melius Dei ordinationem nostrae utilitati valebimus contemperare, quam si in nostra dispositione ejus voluntati voluerimus obtemperare . Denique quoniam utrique plures praesentes, quos ab iis dilecti pariter **314** diligimus, habemus; ipsis cum rationabili delectatione fruentes, eisdem non cum delectabili ratione fruendos aptemus: et ut quandoque cum praesentibus et absentibus amicis simul praesentes ipso Deo

confrui possimus, instanter oremus. Cum enim superna ducente clementia ad patriam, ad quam anhelamus. veluti non eodem tramite perveniemus, eo laetiores quo quasi ex diversis exsiliis revocati conveniemus. Non sic hortor serenitatem tuam, charissime, timendo quod ita non facias, sed cupiendo quatenus ad id quod bene facis, indeficienter proficias. Commendo tibi domnum Herluinum dilectum et dilectorem nostrum, sicut ex ejus conversatione cognosces, qui melius tibi quae sint erga me, et pro quibus tuam rogem dilectionem, poterit dicere, quam ego epistolari brevitate. Litteras, quas domno Gondulfo misi, mutato nomine, tuas et tuas illius puta. Quidquid enim dilectio nostra aut sese intimando, aut aliquid rogando scribit aut tibi, aut illi, hoc ipsum dicit et tibi et illi; sed quoniam pro dilectissima mihi anima Osberni defuncti fratris nostri, nec Deum orare, nec homines rogare possum quod mihi sufficiat; iterum inculco tibi quia quidquid domno Gondulfo pro ea scribo, tibi dico. Salutat te et domnum Gondulfum domnus abbas et tota fratrum nostrorum congregatio, gratias magnas agentes pro vestris donis, sed multo majores pro moribus vestris et studiis bonis. Vale, et animam Osberni alteram meam, non ut ejus, sed ut meam habe.

EPISTOLA VI . AD HUGONEM. *Instruit Hugonem ut praelati sui licet indisciplinati onus sustineat, nec ab eo discedat.*

Domino merito sanctitatis reverendo, et fratri debito charitatis diligendo HUGONI frater ANSELMUS in hac vita sancte vivere cum prosperitate, in futura feliciter cum aeternitate.

Litteris vestrae beatitudinis breviter respondeo, quia in praesenti opportunitatem multa dictandi non habeo. Si cum eo cum quo vobis res est onus concorditer ferre non potestis, salubrius ambobus est, ut vos humiliter ab eo postulata et concessa licentia ab ipsius oneris sollicitudine quiescatis, quam sub ipso pondere discordantes invicem, vos graviter laedatis. Quod si ipse vobis non concesserit, melius est vobis onus etiam inutiliter sustinere per obedientiam, quam projicere impatienter per inobedientiam. Et si experti estis quia consilio vestro non corrigitur, sed laeditur, melius etiam ut obmutescendo et silendo a bonis cum Propheta **(Psal. XXVIII, 10)**, secundum Apostolum, quod ex vobis est, *cum omnibus hominibus pacem* habentis **(Rom. XII, 18)**, quam bona inutiliter loquendo occasionem maligno praebeatis. Nam quoniam non vobis, sed illi principatus curae commissus est, non a vobis exigitur, si, neglecto vestro consilio, pastoris culpa grex bene non regitur. Nec vobis tamen consulendum est, quandiu ipse vos non cogit a bono in malum divertere, ut subjectionem stabilitatemque, quam professi estis, audeatis, nisi eo concedente, migrando contemnere; si sub eo unumquodque consilium facultatemque bene vivendi vobis videtis suppetere. Quod si in aliquo vestris studiis et impedimento ejus praelatio, ut tamen viam salutis non obstruat, satius est ut occulto. Dei judicio, vestrisque peccatis vos indignos majori gratia judicantes, in minoribus bonis humiliter sine peccato vivatis, quam ad majora per peccatum mortis tendatis. Non enim quis sponte mortem debet

incurrere, nisi cum aliter pejorem mortem non potest evadere. Omnipotens Deus, et Dominus noster Jesus Christus *admirabilis consiliarius* **(Isai. IX, 6)**, et magni consilii angelus sic doceat vos facere voluntatem suam, ut donet vobis videre gloriam suam, domine sancte et frater charissime.

EPISTOLA VII . AD GONDULFUM. *Gratias agit Gondulfo propter beneficia ab eodem in Beccenses collata*.

GONDULFO ANSELMUS.

Ideo tam amicus tam amico salutationem meam tam breviter praenotare volni, quia sic dilecto affectum meum opulentius intimare non potui. Quisquis enim bene novit Gondulfum et Anselmum, cum legit, *Gondulfo Anselmus*, non ignorat quid subaudiatur, vel quantus subintelligatur affectus. Quod ut quomodo velis intelligas tibi, quod est alteri mihi, existimo relinquendum, et ad exsecutionem epistolae stylum convertendum. Instat domnus Robertus et cogit domnum abbatem et me, et totam congregationem nostram, ut multorum beneficiorum tuae charitatis gratias tibi referamus: sed nos inviti hoc facimus, quia totius vitae tuae gratias in ore mentis assidue tibi et libentissime susurramus. In injuriam quippe tuam fieri videtur, si inter tot tua bona unum hoc tacitis majoribus cum gratiarum redditione velut singulare

praedicetur, vel si tuae charitatis propositum fomento laudum et inclinationum adhuc indigere judicetur. Denique sic te per supernam vivere gratiam amando optamus, optando oramus, orando speramus, ut eum aliquid in operibus tuae charitatis gratiis investigatur dignum, nihil in actibus tuae voluntatis laudibus inveniatur indignum. Quatenus vita tua non tantum amantium te linguas laxet, quaedam laudanda exhibendo, quantum admirantium te voces lasset, se simul totam probabilem ingerendo. Et, dum ora laudantium inquirunt partes in quarum praedicatione aperiantur, incurrant totum, a cujus plenitudine obstruantur; sicque mentem tuam familiaris virtutum consuetudo, et consuetus amor quasi inebriando afficiat, ut non solum quidquid in actionem deprompseris, internum affectum sapiat, sed vel posse quemquam eamdem charitatem non sentire in se animus in te stupeat. Cui enim tale vivendi constat esse propositum, quo amplius in proposito succedit profectus, eo libentius non tantum admirantium favorem sectatur, quantum sectantium errorem miratur. Ut igitur tandem nostram, et ut credo, tuam sententiam super tuorum actuum acceptione propalemus, quidquid erga nos vel quemlibet alium laudabiliter agis, gratissimum habemus; sed laudes ejus in illum diem, cum *laudabuntur omnes recti corde* **(Psal. LXIII, 11)**, et cum laus erit unicuique a Deo, servandas censemus. Reverendum et diligendum dominum, et Patrem nostrum archiepiscopum Lanfrancum, et nepotem ejus, et dilectos fratres nostros, qui cum eo sunt, ex nostra parte, sicut tibi videtur, saluta. Praeterea quoniam omnes adhaerentes mihi adhaerent tibi cui adhaereo, quos tibi per domnum Herluinum mandavi nostrae penitus astringi velle familiaritati; eos interiori cubiculo memoriae tuae ibi, ubi ego assiduus assideo, quod et ipsi mecum precantur, colloca

mecum in circuitu meo; sed animam Osberni mei, rogo, chare mi, illam nonnisi in sinu meo. Vale, vale, amice ideo dulcissime, quia verissime; vale, et mei certe **315** servi tui, certe amici tui, certe dilecti tui si oblivisci non potes, reminiscere. Cum tibi loquor, Dominum Henricum alloquor. Ambo igitur valete.

EPISTOLA VIII . AD HERLUINUM. *Exhortatio ad saeculi odium vehementer accendens*.

Domino et fratri dilecto HERLUINO, frater ANSELMUS salutem.

Incoepisti, mi charissime, gustare quoniam dulcis *est Dominus* **(Psal. XXXIII, 9)**. Cave ergo ne sic impleatis sapore saeculi, qui tibi opulenter affluit, ut evacueris sapore Dei, qui cito et furtim incautis defluit. Peasa, mi frater, saepissime et scito certissime quia quos allicit dulcedo saeculi, eos occupat aeterna amaritudo; et quos attrahit suavitas Dei, eos satiat perpetua beatitudo. Certe verum est, non est falsum, verum, inquam, est, quod dicit Spiritus Dei per os amici Dei; quia *amicus saeculi hujus, constituitur inimicus Dei* **(Jac. IV, 4)**; utique sic est: omnino est immutabile. Non sunt verba tantum audienda, sed est res terrifice metuenda. Si igitur non amas constitui inimicus Dei, horre exsecrando esse amicus hujus saeculi. Amicus autem saeculi hujus est, quicunque saecularis delectationis amicus est. Rogo ergo te, amice, ne ames

saecularia oblectamenta. Cum absunt, noli ad ea cor extendere; cum adsunt, noli illis *cor apponere* **(Psal. LXI, 44)**: sed cum absunt, et cum adsunt, semper te velis ab illis abscondere. Si mundus, vel aliquid eorum quae sunt mundi, ridet tibi; noli arridere illi. Certe, frater, non ridet tibi, ut in fine risus tu rideas; sed simulat risum, ut te irrideat. Esto igitur, dilectissime, semper cautus, ut anticipes eum, et retorqueas fraudem ejus in eum; et cum ille tibi fallaciter ridet, tu veraciter irride eum. Et certe nunquam veracius irridebis illum, quam si, cum ipse riserit contra te, tu fleveris contra illum. Ad has quidem lacrymas tanto studiosius te debes exercere, quanto melius est contra falsum risum ad modicum ex voluntate flere, quam sub vera irrisione in aeternum et necessitate lugere. Legat hanc epistolam domnus Gondulfus ; non ut faciat quod legit, sed ut legat quod facit. Quod si fervor ejus devotionis hanc epistolam vult esse suam, pro tuo nomine ponat suum, et sit sua. Ambo valete.

EPISTOLA IX . AD GERBERTUM ABBATEM *Gratulatur abbati quod suo rogatu viduae afflictae succurrerit.*

Domino et Patri venerabili abbati GERBERTO, frater ANSELMUS suus.

Sicut nobis credendum est quia *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia* **(Rom. V, 20)**, ita nobis faciendum est, ut ubi abundat miseria superabundet misericordia. Si enim ibi dilatatur gratia, ubi major est offensio, quomodo contrahetur

misericordia, ubi major debetur compassio? *Quoniam enim quae seminaverit homo haec et metet* **(Gal. VI, 7)**: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* **(Matth. V, 7)**. Hac itaque consideratione de vestra benignitate confidens ad sanctitatis vestrae me vestigia mente prosterno intercedens pro eadem vidua paupercula, cujus animam in tribulatione viduitatis et paupertatis misericorditer propter Deum refrigerastis; cum ei illud tantillum servitii, quod a paupercula vestrae magnitudini solvebatur, me interveniente, relaxastis. Precor igitur quanti valeo supplicationibus, ut manum consolationis, quam ei porrexistis cum tantum viduitate et paupertate premeretur, nunc ne retrahatis; cum multiplicatis aerumnis, etiam dolore defuncti filii, anima ejus miserabiliter torquetur. Et quidem scio quia praesumptionis existimari queat, quod homuncio (cui nihil debetur, et qui nihil retribuere potest) quidquam sua intercessione concedi quaerat. Si adeo mutuae dilectionis immensitas me, et praedictum fratrem filium ejusdem viduae, vita ejus hoc exigente, duos videlicet conglutinavit, ut eo defuncto, matri ejus me velim filium pro eo substituere; quatenus pro matre mea jam me non pudeat, vel importune sollicitum esse. Verum esto ut haec importunitatis meae impudentia a quolibet judicetur: dum vestrae benignitatis clementia a viduis et orphanis praedicetur, et a Christo, qui in illis recipiet et pro illis retribuet, approbetur .

EPISTOLA X . AD RODULFUM. *Se nusquam dixisse quod non amplius ei suos libros praestarent: imo ad omnia ei praestanda sincere se esse paratum.*

Meritis et moribus reverendo domino, charitate et proposito dulcissimo fratri, domno RODULFO, frater ANSELMUS.

Litteras vestras, litteras, inquam, vere dilecti et vere dilectoris mei olim accepi, quae ex his quae interius a facie ferebant, pia compassione me compunxerunt; sed ex his, quae exterius a tergo gerebant, intolerabili moerore me vulneraverunt. Cujus livoris dolorem nisi prius per satisfactionem detersero, et noster animus ad ea, quae amica desiderat compassio, moerore languidus et pudore mutus deficiet, et nostra mens sinceritatis dicta, velut simulationis ficta, quasi jure despiciet. Omnino enim pati non potest mens vobis, et caeteris dominis nostris dilectissimis, vestrae imo, quod libentius dico si dignamini, nostrae congregationis fratribus devotissima , omnino, inquam, pati non potest, ut vel suspicemini ex ore meo exiisse, quod non amplius vobis libros nostros praestabimus: hoc namque si unquam dicere potui, et vos credite, et ego confitebor me nunquam vobis amicum fuisse veracem, sed simulatorem fallacem. Quomodo enim, quantum ad me attinet, aliquid illis possum negare, pro quibus animam non dubitem dare? Quod tamen si qua mea non cruditas ventris, sed crudelitas mentis evomuisset, tam sublimi illud humilitate, tam admirabili patientia, tam submissa satisfactione et satisfacienti submissione retulistis, ut me nihil unquam simile dixisse profundius puderet, vel altius poeniteret. Litteras quoque, quae vobis pro remittendis libris

missae sunt, nec ita fieri jussi; nec ante recitationem eorum, qui libros attulerunt, ita factas esse scivi. Domino igitur abbate concedente, me volente, nullo fratrum resistente, nostro, pariter et vestro compensato commodo, libenter vobis quoscunque libros, vel potius quaecunque habemus, mittemus quando exigetis; quos vero de nostris vos habetis, dimittemus quandiu indigetis. Delectabilius scripsissem charissimo meo in spirituali certamine anhelanti, et amici compassionem piis gemitibus provocanti, licet non indigenti, sed tamen cupienti qualem possem confortationem, quam, ne quid de me inimicum amicus crederet, mei excusationem. Sed quoniam et illud erit recuperabile, et hoc pati amico erat intolerabile, nec epistolaris angustia poterat in utroque affectus capere latitudinem, **316** distuli quod delectabat, ut excluderem quod laedebat. Adeo enim, frater dilectissime, de tuae puritate charitatis omni modo sum certus, ut si de mea erga te quidquam credideris imminutum, id te sine tristitia vel cogitare non posse nullo modo sim certus. Quomodo igitur possum non transferre illum dolorem in animum meum; vel potius quomodo non dicam illum dolentem animum esse meum, qui sic dolet propter amorem meum? Rogo igitur, charissime, ut si quid deinceps audieris de me, quod erga te extra regulam videatur charitatis, non credat hoc indiscussum animus tuus alter meus, ne laedatur animus meus alter tuus. Saluta ex nostra parte omnes dominos meos fratres tuos: inter quos enim nullum invenire possum non dilectum, ex illis nullum eligere possum ut dilectum. Qui tamen diuturniori experientia plus tecum de mea confidant fidelitate, nec tuam, nec illorum latet sinceritatem. Vale tu, et valeant illi.

EPISTOLA XI . AD EUMDEM. *Rodulfum erigit, quem praepositurae negotia a frequentioris lectionis et orationis opere revocabant, et qui se illis imparem judicabat.*

RODULFO, fratri vere dilecto, frater ANSELMUS.

Ut nec taceam animi affectu admonitus, quod dicere non audeo vestris litteris prohibitus, quem timui dominum meum vocare in salutatione, audebo saltem ostendere me servum ejus in epistolae prosecutione. In quam enim charitate diligo dominum Rodulfum ut fratrem meae non carnis, sed animae, in ipsa eidem servire paratus sum, ut servus. Quapropter si hoc me jubetis tacere, quod utique, ut ex conscientia loquar, mihi estis ex morum qualitate, vel hoc mihi liceat confiteri, quod vobis sum ex prima voluntate. Taceat igitur frater Anselmus domino suo Rodulfo, et loquar fratri Rodulfo servus suus Anselmus . Litteras, frater charissime, tuae charitatis accepi, et in illis desiderium meum legi. Quod enim te charitas tanto desiderio succendit, ut ubicunque maneam, tu sis mecum; idem est quod cor meum flagrat, ut ubicunque sim ego, vivam tecum. Et ut tu petis a me consilium, ut ita possit esse, sic ego a Deo precor auxilium, ut aliter non possit esse. Qui si nos audire dignabitur, talis sit, eo juvante, nostra cohabitatio, ut tota in vita nostra sit illi gratiarum actio. Quoniam autem nec ego, nec tu nostri sumus, *sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus* **(Rom. XIV, 8)**; si aliter, quam velimus, disposuerit nos, qui novit melius nobis, quid placeat sibi, vel

expediat nobis, patienter toleremus quidquid illi de nobis senserimus placere, si noluimus ipsi nos displicere. Quam enim brevis est vita nostra, tam prope est, ut de ipsius et nostra mutua praesentia jam non amplius divellenda congratulentur; si, ipso dante, in omnibus illi acquiescendo hanc ipsam brevitatem transcurrere vitae curemus. Interim tamen quaecunque nos locorum, vel propinquitas contineat, vel longinquitas distineat, charitas semper unum de duobus nobis animum conficiat. Ad illud vero quod me tam sollicite rogas impetrare ab archiepiscopo Lanfranco, cum de Anglia venerit si mecum esse non poteris, respondeo quia sicut de te quod Deo gratius et tibi intelligo utilius desidero, ita conabor ut fiat, si potero. Interim hilariter, quod agis, age; quod operaris, operare: *hilarem enim datorem diligit Deus* **(II Cor. IX)**. Quod vero per hoc quod agis, conquereris a legendi vel orandi te praepediri instantia, sit tibi hoc non modica consolatio, quia *charitas operit multitudinem peccatorum* **(I Petr. IV, 8)**. In quo enim tu retraheris, alius attrabitur; in quo tu curvaris, alius erigitur; in quo tu gravaris, alius portatur. Et memento quia servus, qui vacuus domum redit, velocius currit; sed onerato domus tota laetior occurrit. Nec quia tardius venit , a quoquam corripitur; sed quia utiliter est fatigatus, quiescere praecipitur. Si vero dicis quia injuncto tibi officio strenuitas, vel industria tua non sufficit, respondeo secundum tuam de te existimationem, non secundum meam, quia nec oculus lippus et solus in capite videndi officium explere sufficit, et tamen ab eo quod postest, quia solus id in suo corpore potest, non deficit. Quoniam vero jam modum excedit epistola, et alia quae scripsisti, plus egent colloquio, quam scriptura, qua abundant sacri libri: ea interim Deo fidenter committentes, et

assiduis orationibus prosequentes, colloquium pari voto exspectemus, et epistolam communi consensu terminemus.

EPISTOLA XII. AD LANFRANCUM. *Gratias agit de muneribus*.

Domino reverendo, Patri diligendo, venerabili archiepiscopo, LANFRANCO, frater ANSELMUS suus.

Gratias magnas dicit vobis epistola nostra pro magnis muneribus quae suscepimus de vestra largitate; sed valde majores in cordis arca vobis servamus, pro majoribus quae prompta scimus in vestra bona voluntate. Cum enim ex sola spontanea vestrae benignitatis exundantia, tanta servo vestro affluant; satis claret quanta opulentia se benignus ex intimo vester affectus effunderet, si qua dilecti vestri, quod non impudenter nec inexpertus dico, necessitas exigeret. Nec hoc dico, quasi munera praefata vestrae paternitatis affectum erga me nunc primum me doceant intelligere; sed quoniam ignoranter quantum de ea confidere debeam, hinc possim ex parte colligere. Nequaquam enim ad plenum benevolentiam vestram ostenditis per pallium et aurum, de eo quem arcte diligitis super pallium et aurum. Quod quanquam vos non ingrato facere bene sciatis, tamen non piget me scribere, quia hoc opto, optando oro, orando propono, ut nunquam id immerito faciatis. De Girardo, quia propter multa debita a nostra conversatione retrahitur, et de quo id quod in vestra promptum erat misericordia, mandastis, domnus Robertus vobis dicet quid mihi videatur, et quid pro possibilitate vestra

fecerim ut eleemosyna vestra perficiatur. Qui si ad vos venerit, et inter vos et ipsum usque ad summum aeris effectum non convenerit, hoc postulo ego servus vester misericordem vestram benignitatem, ut propter iter quod faciat vestra fiducia et nostro consilio, ejus nec debita crescant, nec habita decrescant, nec ex labore dolor et moeror accrescant.

EPISTOLA XIII . AD GIRARDUM. *Saeculi relinquendi cupidum monet adire Lanfrancum, a quo accipiet, quo aes alienum dissolvut*.

GIRARDO monetario de Attrebato, fratri Ainerti, fratrer ANSELMUS salutem.

Venerabilis archiepiscopus Anglorum Lanfrancus (qui fuit prior in nostro monasterio, et abbas de Cadomo, quem tu ipse ut puto vidisti) **317** nuper audivit voluntatem tuam, et impedimentum tuum. Itaque sanctitas ejus commota miseratione tui, mandavit nobis quia si certus esset te venturum ad nostram conversationem, daret tibi propter Deum centum solidos de Anglica moneta, adjutorium ad solvenda debita tua. Addidit quoque quia, si necesse esset, adhuc aliquantulum adderet. Quapropter damus tibi consilium, ut quam citius poteris , pergas ad eum: et si quamlibet securitatem quaesierit a te, aut fidem tuam, aut sacramentum, per eamdem securitatem, vel quomodocunque jusserit expone ei quantum debeas; et quantum te de tuo habere confidas, et constitue ei terminum quem bene possis servare; intra quem ad nostrum monasterium venias ea

intentione ut monachus fias ibi, si tantum misertus fuerit tui ut pecuniam quam debes reddere possis. Ne dubites facere quod consulimus; quia misericordissimus est idem reverendus archiepiscopus, et praecipue erga salutem animarum, et est valde deditus eleemosynis, et sufficienter abundat auro et argento. Et si tantum debes, ut tibi nolit tantum dare tibi *f. add*. quod] ad te exsolvendum sufficiat, certi sumus quia primum propter Deum, deinde propter nostrum amorem, qui confidentes de ejus magna misericordia damus tibi hoc consilium, tantum tibi dabit, ut in eundo ad eum non te poeniteat vel laborasse, vel aliquid expendisse. Porta etiam illi has litteras, ut sint tibi in testimonium quia nos te mittimus ad illum. Si autem te poteris a debitis exsolvere, fac ut dominus Engelardus hoc sciat; et ut, cum venerit ad nos, det tibi aliquod signum, quo possimus agnoscere eum tibi esse testem quia sis exsolutus. Ne moreris facere quod monemus. Mandavimus enim eidem archiepiscopo hoc ipsum, quod tibi scribimus . Valete.

EPISTOLA XIV . AD GONDULFUM. *Testatur singularem in Gondulfum amorem, ut jam in epist*. 4 *et* 7 *supra*.

Dilecto dilectori, dilectus dilector domino GONDULFO frater ANSELMUS, quod Gondulfo Anselmus.

Instat et instat mihi conscius alterius suae conscientiae, id est meae , ut ad se trans mare volitent, et volitent saepius litterae meae, quasi volens discere statum amicitiae meae. Sed quid te

docebit epistola mea quod ignores, o tu altera anima? Intra in cubiculum cordis tui, et considera affectum veri amoris tui; et cognosces amorem veri amici tui. Quanquam enim pares non simus morum aequalitate, tamen non audeo dicere impares: sed certe dissimiles non sumus mutui amoris qualitate. Namque fateor, quamvis erubescens, fateor, inquam, quia tepida mea charitas a tua fervida charitate superatur; sed non dissimilis , quia eadem regula formatur. Sicut enim tu satagis ut non minori fervore diligas me, quam teipsum, ita ego studeo ut non majori tempore amem te, quam meipsum. Si plus exigis, certe nec minus volo, nec plus possum. Denique impetret mihi orando amor tuus ut me amem, quantum expedit; et amabit te amator tuus, ut ipse dicas nunc sufficit . Memento, non dico mei, quia id te facere ipse pro te assero; sed eorum quos tibi olim commendare curavi. Saluta eos quos ex nostra parte soles salutare. Scito quia domno abbati, et nobis fratribus tuis, grata valde sunt dona tua, sed multo gratius est nobis quod audimus de vita tua. Optamus igitur et oramus, ut omnipotens Deus bona, quae in te operatur, augendo servet et servando augeat; ut sit unde tibi retribuat regnum aeternum idem benedictus Dominus in aeternum, fiat, fiat. Amen.

EPISTOLA XV . AD HENRICUM. *Quod ei non expediat in Italiam contendere ad sororem jugo servitutis liberandam*.

Domino et fratri dilectissimo HENRICO frater ANSELMUS salutem.

Quoniam, teste conscientia mea, minus te quam me diligere nolo, valde mihi repugno, si aliter tibi quam mihi consulere volo. Consilium autem nullum utilius vel universalius invenio quam illud, quo nobis per sapientiam consulitur, ut ne poenitentia nostros actus subsequatur, omnia faciamus cum consilio. Quod quoniam sicut est sapientissime datum, ita est verissime ratum: in quantum illud quisque negligit, in tantum de actibus suis non laetari, sed poenitere eligit. Quisquis igitur tibi consulit ut hoc utaris consilio, non negligentius consilium ejus est audiendum, quam illum ipsum cui ab omnibus et in omnibus est obediendum. Ideo tecum haec, dilectissime, loquitur amicus tuus de consilio, quia de quodam negotio audio, te disponere contra amicorum tuorum consilium. Vis enim, ut mihi dictum est, ire de Anglia in Italiam sororem tuam defendere, quam audis quemdam divitem indebitae servituti calumniose subjicere. Quod, charissime, obsecro per, si qua in te est, mutuam nostram amicitiam; per, si quam mihi vis esse de te, laetitiam, ne facias. Quid enim, dilectissime, monachorum interest et eorum qui se profitentur velle fugere mundum, qui quibus vel quo nomine serviant in mundo? Denique, nonne *omnis homo ad laborem nascitur, et avis ad volandum?* **(Job, V, 7)** Nonne omnis vel pene omnis homo, aut sub nomine praestandi , aut sub nomine famulandi servi ? Nonne servus vocatus in Domino, libertus est Domni, et liber vocatus in Domino servus est Christi? Si ergo sic omnes laborant et serviunt, et sic est servus libertus Domini, et liber servus Christi. Quid refert, excepta superbia, quantum vel ad mundum vel ad Deum, quis vocetur servus vel liber?

Apostolus dicit: *Si servus vocatus es, non sit tibi curae* **(I Cor. VII, 21)**: et nos quod pro nobis curare vel prohibemur , vel non indigemus, pro aliis tanto opere curabimus? Et si enim bonum sit velle liberare hominem violentae conditioni addictum: hoc utique, quod intendis, non tam bonum est, ut dignum sit pro quo tenens aratrum Christi tam longe retro respiciat **(Luc. IX, 62)**, pro quo monachus propositum suum tanta intercapedine interrumpat; pro quo se tot corporis et animae laboriosis periculis, et periculosis laboribus tanta et tam singulari voluntate committat; pro quo, ut secundum charitatem conscius conscium amicum increpem, tam solitaria, tam rigida sententia omnium amicorum, minorum, parium, majorum et praelatorum consilio resistat. Cum igitur haec tot et tanta certa incommoda, vel potius mala sint; si illud unum tam inopportunum, tam incertum, tam noxium bonum conferatur, quis intelligens illud bonum, ac non potius non bonum, vel magis malum dixerit? Crede igitur, charissime, plus consiliis amicorum, si te solum sapientiorem omnibus illis non aestimas, quam tuae deliberationi. Quia enim mens tua magnum affectum suum cum aliquantulo bono illo ponderat, idcirco ea quae sola compensanda sunt, seipsam fallens aequa libra non trutinat. Quod si in propria voluntate perstiteris, quod, Deo protegente, non erit; sicut eris contra omnium amicorum tuorum sensum, ita nullius eorum in re tibi noxia habebis assensum. Salutat te dominus abbas ut filium charissimum; qui cuncta hic a me scripta, sua dilecta **318** vult esse. Acquiesce igitur ejus et nostris monitionibus, ut obediendo benigno Patri, et concordando amico fratri, laetifices, si diligis Patrem et fratrem. Saluta ex nostra parte dilectos fratres nostros domnum Herluinum et domnum Osbertum. Vale, et si quid apud te possum, cum

citius poteris, manda mihi qualiter in voluntatem carnaliter alium diligentis, tuam dico, te reclines, vel in sententiam te spiritualiter diligentium declines.

EPISTOLA XVI. AD AVESGOTUM. *Causatur impedimenta ob quae commendati juvenis studiorum curam nequeat suscipere.*

Domino et amico charissimo AVESGOTO frater ANSELMUS salutem.

In principio nostrae responsionis praefigo quia nostra testatur conscientia quod loquitur epistola. Gratias itaque ago, quoniam aliud ad praesens non possum, charitati vestrae, quae sic se ad obsequendum utilitatibus nostris promptam reddit, quemadmodum scriptio vestra patefecit. Cui certe simili voluntati respondeo; sed utique doleo quia id in prima petitione vestra opere probare non valeo. Non enim ejusmodi studii (in quo possit proficere dilectus ille vester, de quo scripsistis) est mihi nunc licentia, nec intentio, vel opportunitas, sicut fuit olim, vel putat vestra sanctitas. Precor ergo, ne aliquatenus vestra erga me dilectio turbetur, cum mihi semper animus sit amicitiae vestrae obsequendi, quanquam facultas non pariter comitetur. Potest enim esse vera amicitia, ubi semper viget bona voluntas, etiamsi nunquam instet flagitandi necessitas, nec praesto sit praestandi facultas. Denique ad id quod mihi dicitur in epistola vestra.

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter: Quanquam id Persius dixerit, non ut ostentationem reprimeret, sed ut exprimeret, respondeo:

Scire meum nihil est, si quale sit hoc sciat alter. Quod vero quaeritis cur fama Lanfranci atque Guitmundi plus mea per orbem volet: utique quia non quilibet et flos pari rosae fragrat odore, etiamsi non dispari fallat rubore. Valete.

EPISTOLA XVII . AD GUILLELMUM ET ROGERIUM. *Suarum orationum communionem pollicetur.*

Dominis et fratribus suis sponte diligentibus, et merito dilectis GUILLELMO et ROGERIO, frater ANSELMUS salutem.

Dominus et amicus noster Ermerus , postquam Roma rediit, vestram mihi postulationem, ut vestri memor in orationibus meis essem, tanta supplicatione retulit, ut et pudor me cogeret dare quod tam obnixe petebatur, et conscientia prohiberet, quoniam non erat in me quod sperabatur . Cum igitur et libenter et verecunde plenius concessissem quod prius quoque faciebam, vestrae erga Deum devotionis et erga me dilectionis per alios mihi sinceritate jam cognita, non minori aliquanto tempore post idem amicus noster et vester poposcit instantia, quatenus hoc vobis nostra testaretur epistola. Superna igitur annuente clementia, me pro vobis oraturum promitto, et si quid boni divinus in me respectus operatur, ejus vos mecum pariter participes in vera charitate promitto; sed

utrum vobis profuturum sit, illi a quo omne bonum est, committo. Munus autem charitatis vobis peragentes, quod ex nobis est, humiliter petimus ut id ipsum nobis persolvatis quod ex vobis est. His itaque concessis, quae si vobis profutura sint, conscius mihi meorum meritorum ignoro: ea vos, ut charissimos amicos et fratres, admoneo, quae sicut noxia, si negligantur, ita salubria, si observentur, non dubito. Ad hoc solum, dilectissimi, discite, ut veritatis, quae Christus est, possitis esse capaces; et sic vivite , ut Christi, qui veritas est, probetis vos esse velle sequaces. Domnum Lambertum magistrum vestrum (quem cunctis amabilem et ingenii sinceritate, et morum probitate plurimorum didici relatione) qui me salutare, et ut pro eo orem, rogare dignatus est, per clericum ab illis partibus venientem, vestraeque dilectionis mihi nuntium deferentem, sic volo, ut ex nostra parte salutetis, et illum amoris mihi vinculo colligetis.

EPISTOLA XVIII . AD LAMBERTUM ET FOLCERADUM AVUNCULOS SUOS. *Rogat se certiorem fieri de avunculorum incolumitate*.

Suis reverendis dominis dulcissimis nutritoribus, dilectissimis avunculis, LAMBERTO et FOLCERALDO frater ANSELMUS, sic transire per bona temporalia contemnendo, ut maneant in aeternis perfruendo.

Utinam in legendo epistolam meam sentiant avunculi mei quem affectum in dictando eam testantur oculi mei: velociter enim fuit in ipso initio animus meus lacrymas exprimere,

quam stylus meus litteras imprimere. Sicut enim nec temporum diuturnitas, nec locorum longinquitas corpori meo valuit adimere quod nascendo de genere vestro incoepit, et quod crescendo de nutrimento vestro accepit; sic nulla sollicitudo, nulla occupatio animae meae potest minuere amorem vestri, quem et natura et beneficio concepit. Quapropter quorum amore cor meum ardet indesinenter, eorum felicitatem semper sitit ardenter. Precor igitur quatenus per hujus nostrae latorem epistolae, vestrae statum incolumitatis filium vestrum docere velitis; per quem, si placet, quae sunt erga me discere valetis. Quanquam enim sit dominus iste, qui noster dignatur esse nuntius, valde dives, et de Northmannorum nobilissimis, tanta tamen ipse cum matre et fratribus suis et sorore me sibi dilectionis familiaritate junxerunt, ut non aliter me quam filium mater, et fratrem proles nominent, nisi quia pari concordia primogeniti mihi dignitatem concesserunt.

EPISTOLA XIX . AD LANFRANCUM. *Gratulatur Lanfranco quod Beccum potius quam alio miserit nepotem, et Girardi moram excusat.*

Suo domino, suo Patri cum reverentia amando, cum amore reverendo, archiepiscopo matri catholicae amplectendo LANFRANCO, frater ANGELMUS suus, quod suus.

Gratias paternae vestrae dilectioni, qua nos semper praesentes; habetis, semper utique debemus: sed cum eas

semper loqui non possimus, modo certe tacere non debemus. Tanta enim ejusdem dilectionis exuberatis plenitudine, ut eam nuperrime et integerrimam, quod nos quoque sciebamus , argumento necessario probaretis, et inviolabilem, quod **319** similiter sperabamus, pignore charissimo assereretis. Nam dilectissimum vobis nepotem vestrum domnum Lanfrancum ad nos misistis, et eum magis in nostro monasterio quam in quolibet alio monachum fieri voluistis. Sicut ergo quod quis dilectissimum sibi non dilectis velit credere, non est credibile, ita ut non diligat ubi quem valde diligit conversatur, non solet esse possibile. In quo vestro actu non solum monstrastis vestrae dilectionis erga nos constantiam permanere; sed etiam, quod non aliter gratum habemus, dilectionis erga vos certitudinem vos habere. Gratias igitur agimus primum illi a quo est omne bonum, deinde paternae vestrae sublimitati, quia sic nos diligitis: gratias, quia de nobis sic confiditis; gratias, quia tale pignus nobis committitis. Haec dicta sint non solum pro me, sed pro tota nostra congregatione. Pro me autem intelligenti breviter dicam, quia onus inaequale prioratus (quo me non leviter olim gravastis) utique augendo non modice nuper levigastis. Cumque imbecillus animus gemeret sub pondere, effecistis ut jam, non dico, nolit, sed pene nolit, quod premit, deponere . Girardum vestrum de Flandria per vestrae pietatis largitatem, Deo de mundo nostra suggestione redemisti: unde me, si vester non essem, confiterer servum vobis emptum: die a vobis constituta sciat sanctitas vestra sine gravi jactura esse non potuisse absolutum a creditoribus suis: venit tamen prima Dominica Quadragesimae vestram in se magnifice misericordiam praedicans, et qualiter nostrae, non tam petitioni, quam levi voluntatis significationi in ejus causa

dignatio vestra favit, et semper se velle favere intimavit. Qui dixit se velle, et quantum attinet ad hoc quod habet posse, sic reddere quod debet, ut aliquid quod secum afferret haberet; sed pro quibusdam impedimentis non potuisse secundum condictum, ut oportet. Rediit igitur promittens se in Pascha Beccum Deo annuente venturum et mansurum si non quomodo volet, vel sic quomodo poterit. Si quid igitur peccavit quia promissionem vobis factam ad plenum non est exsecutus, quoniam non id admisisse malitia videtur , peto securus, ut soleo, de vestra benignitate, quatenus filio vestro vice patris, liceat eum hoc reatu absolvere, cum nobiscum incipiet vivere. In qua re hanc certam praesumam concessionem, si nullam legero prohibitionem.

EPISTOLA XX . AD GONDULFUM. *De tribus orationibus ad Deiparam*.

Domino GONDULFO frater ANSELMUS, quod Gondulfo Anselmus.

Non est opus ut multa de incolumitate pristinae amicitiae loquatur os meum illi, quem in mutua dilectione scio esse alterum cor meum. Ut igitur breviter quod nosti dicam, sicut amor tui ex quo incoepit, nunquam in me mutatus est minuendo, ita sollicitus sum ut semper alteretur augendo. Quidam frater non semel, sed saepe me rogavit ut de sancta Maria magnam quamdam orationem componerem: quod cum ipse praesens rogaret exterius, tu absens persuadebas interius.

Quoniam enim id tuum futurum, si fieret, prospiciebam, idcirco quod volebat, libentius suscipiebam. Feci igitur orationem unam, unde fueram postulatus; sed in ea me non satisfecisse postulanti cognoscens, alteram facere sum incitatus . In qua quoniam similiter nondum satisfeci, tertiam, quae tandem sufficeret , perfeci. Accipe igitur eas, quae factae sunt tua intentione; et ne reprehendas magnitudinem , quae facta est aliena petitione. Et utinam ita sint longae , ut, antequam ad finem cujuslibet earum legendo, vel potius meditando perveniatur, ad quod factae sunt, compunctio scilicet contritionis vel dilectionis in eis per supernum respectum inveniatur. Denique idcirco volui eas ipsas orationes per sententias paragraphis distinguere, ut anticipando longitudinis fastidium, ubi volueris, possis eas legendo incidere .

EPISTOLA XXI . AD RODULPHUM. *Rodulphum obtestatur describere notis musicis Antiphonarium.*

Domno et fratri charissimo RODULPHO frater ANSELMUS beatam aeternitatem et aeternam beatitudinem.

Reverendus domnus prior Helgotus dilectus et dilector noster et vester, suis vos precibus ad notandum Antiphonarium adhortari desiderat, sed nonnullius in re ipsa pondus laboris imminere considerat. Cum igitur suas preces venerabili humilitate nolit quanquam possit tanti pendere, ut pondus impendens possint suspendere, obnixe flagitat quatenus

nostras cum suis contra praefatum laborem curemus appendere. Sed quoniam nec ipse nec nos operis optati sic onus amicis postulationibus levigare tentamus, ut indiscretis vos supplicationibus onerare nitamur: contemplantes et vobis proponentes proximorum utilitatem, et charitatis et obedientiae vestrae mercedem, hoc vestram rogamus fraternitatem, hoc vestrae consulimus dilectioni, ut tempus, quod aliis quibuslibet scripturis sponte vos non piget insumere, vel hoc ad opus quod exigimini, non gravemini addicere. Quod si dicitis esse nihil vel minimum, idipsum nihil vel minimum, sicut vos certi estis quod minime sufficiat, ita nos non dubii sumus quod aliquantulum proficiat. Ut autem vestrae largitatis amplitudo aliquid, plusquam praesumit nostra petitio, superadjiciat, sic bonam vestram cum gratiarum actione annuimus voluntatem, ut penitus abnuamus gravem incommoditatem. Vir ille qui a vobis nuper moriens monachicum sumpsit habitum, si etiam benedictionem assumpsit, mandate nobis nomen et diem obitus ejus , ut in nostro Kalendario scribatur.

EPISTOLA XXII . LANFRANCI AD ANSELMUM. *Preces Anselmi et aliorum efflagitat: et suum ei nepotem commendat*.

Domno Patri, fratri, amico ANSELMO LANFRANCUS peccator perpetuam a Deo salutem.

Quid mihi expediat, beatitudo vestra optime novit etc. *Vide in Lanfranco, Patrologiae tom. CL*.

320 EPISTOLA XXIII . LANFRANCI AD LANFRANCUM ET GUIDONEM. *Lanfranci archiepiscopi ad nepotem ejusque sodalem, tum Becci agentes tirocinium monachos*.

Dilectissimis fratribus LANFRANCO et GUIDONI frater LANFRANCUS perpetuam a Deo benedictionem.

Quia divinitus, ut credo, etc. *Vide in Lanfranco, ad an*. 1089, *Patrolog. tom. CL*

EPISTOLA XXIV . ANSELMI AD LANFRANCUM. *Ad Lanfrancum de nepote Becci suscepto ad tirocinium, de quo epist*. 19 *et* 22 *supra. Et ei commendat Mauritium capite laborantem*.

Domino reverendo Patri vere diligendo et dilecto, catholicae matri amplectendo, archiepiscopo LANFRANCO frater ANSELMUS suus, quod dignius potest, totus suus.

Quoties vobis est gratum aliquid mihi esse gratum, utique mihi et hoc est gratum, et illud fit gratius, quod prius erat gratum. Significastis vos inde laetos esse quia ego, ut de aliis taceam, dilectissimum nostrum, nepotem vestrum valde gaudens suscepi. Tanto igitur et hac vestra laetitia sum

laetificatus; et gaudium, quod habueram de praedicto charo nostro, quamvis semper vigeat, augendo est renovatum: quanto, id quod non verecundor fateri, me scilicet ex magna parte illum sic suscipiendo intendisse, ad votum provenisse cognovi de meo meritis domino, fide fratre, sollicitudine filio Mauricio, quem vos pro vobis separatis ab illo, a quo plus amabatur quam ab alio, et quem plus amabat quam alium: vos ipsi judicate quod illi debeatis. Quamlibet namque vile sit quod sic amat, et a quo sic amatur, nimirum hoc illi debetis quod non minus amet, et a quo non minus ametur. Quoniam igitur et ego novi justitiae vestrae rectitudinem, et vos nostis mutuam nostram dilectionem, omnem ejus supersedemus commendationem. De aegritudine capitis ejus, vestram pietatem, quantum apud vos possum rogo, praecipue, quatenus propter Deum et aeternae salutis retributionem, vobis instantibus, a dilecto amico nostro domno Alberto medico quantum potest perquiratur et curetur.

EPISTOLA XXV . AD HENRICUM. *Isti Mauritium monachum ex capite laborantem commendat.*

Domno et fratri dilectissimo HENRICO frater ANSELMUS diuturnam praesentis vitae incolumitatem, et futurae aeternam felicitatem.

Credo quod conscii mihi estis qualiter dilexerim domnum et fratrem et filium nostrum Mauritium, quem vobis mittimus. Quoniam igitur dilectos nostros a dilecto et dilectore nostro

diligi non dubitamus, secure vobis illum, ut dilectum dilecto, commendamus. Inveniat me in vobis, quem quasi relinquo pro vobis. Idcirco namque hunc et non alium paternae dilectioni vestrae misimus, quia hunc eam petere specialiter audivimus. Estote igitur nostro Mauritio frater Anselmus, et ego ero vestro Holvardo domnus Henricus. De infirmitate capitis ejus, vos rogo praecipue quatenus vestra instantia dominus Albertus dilectus amicus noster eam inquirat, et quantum Deo dante poterit, ei subveniat.

321 EPISTOLA XXVI. AD GONDULFUM. *Pro transmissis muneribus amico non esse habendas gratias: sollicitus est adhuc de Mauritio monacho.*

Domno GONDULFO frater ANSELMUS.

Si nescirem me totum esse tuum et te totum esse meum, referrem gratias pro muneribus tuis. Quoniam autem tua mea, et mea tua sunt, dum das mihi tua, ego cur tibi inclinem, cum non accipiam aliena, sed quae mea sunt? Si te cognoscis non meritis, quibus me praecellis, sed mutua dilectione alterum Anselmum, sentiat hoc dilectus frater et filius meus domnus Mauritius. Precor ut in omnibus gerens ejus sollicitudinem propter Dei et proximi charitatem, nostram erga eum exhibeas vicem. De infirmitate capitis ejus te precor quantum possum,

ut te precante et adjuvante quantum potes, a domino et amico nostro Alberto medico curetur quantum potest.

EPISTOLA XXVII. AD HERLUINUM. *Se in dies orationem Deo fundere nomine Herluini, licet suas monitiones vix legeret. Et rogat eum ut erga Mauritium se fratrem exhibeat.*

Domno et fratri charissimo HERLUINO frater ANSELMUS salutem.

Quamvis nostram vix aliquando legas admonitionem, notum tibi sit tamen, charissime, quia quotidie tui curam habens, Deo pro te, qualemcunque possum, fundo orationem. Memento, amice mi, eorum quae praesens saepe admonendo tibi dixi, et quae postea absens scripsi.

Cave, frater amantissime, illud quod multi stulti faciunt, qui quanto diutius vivunt, tanto majorem spem vivendi sibi nutriunt, et timorem festinantis mortis abjicientes, a proposito sanctae vitae deficiunt. Verum namque est quia quanto diutius vixit aliquis, tanto brevius victurus est; et quanto fit longius a die nativitatis suae, tanto fit propius diei mortis suae, et retributionis totius vitae suae. Sicut igitur vides per singulos dies in praeteritum vitam tuam crescere, ita certus esse debes spatium bene vivendi quotidie tibi decrescere. Esto itaque, dilectissime, sollicitus ut spatium quod restat, quia nescis quam breve sit, sic expendas ut de die in diem sanctum propositum ad meliora extendas. Quatenus quanto magis

laborem tuum ad finem festinare, et te ad requiem et coronam appropinquare consideras, tanto fortius instando, et laetius perseverando viriliter confortatus proficias. Ab inceptis ergo nulla lassitudine deficias, sed potius quae tibi expediunt, et quae nondum es aggressus in spe superni auxilii pro amore beati praemii incipias, ut ad sanctorum beatum consortium, Christo ducente, pervenias.

Domnum Mauritium, quem esse meum dilectum et dilectorem non ignoras, sic tibi commendo, ut et ipse gaudeat se inter barbaros fratrem invenisse, et tu probes te etiam longe absentem in amicitia nostra permansisse.

EPISTOLA XXVIII . AD ALBERTUM. *Conversionem a saeculo suggerit: Mauritium ei commendat, ut arte sua medica ipsum curet.*

Domino fratri, amico charissimo ALBERTO frater ANSELMUS, sic transire per bona temporalia contemnendo, ut maneat in aeternis perfruendo.

Affectum meae dilectionis, quem tam sublimi humilitate per epistolam suam vestra petivit dignatio, non nuper litterae vestrae reverenter supplicando mihi persuaserunt; sed cum olim vestri mores amabiliter se commendando menti meae impresserunt. Ex quo namque mihi vestra contigit plena potiri cognitione, non utique fuit cor meum sine vestri desiderio et dilectione; de qua re dubitare non debuistis, si itineris illius,

quo de Becco usque Rothomagum simul quondam perreximus, meministis. Ibi enim tanta colloquendo familiaritate cohaesimus ut et mutuus noster amor jampridem, ex quo nos invicem primum noveramus, mente conceptus plenius monstraretur; et quiddam, quod adhuc opto, optando oro, orando exspecto, a vobis mihi promitteretur. Hoc est, quia si quando coelestis felicitatis desiderium in mente vestra gratia coelestis intantum accenderet, ut terrenae falsitatis concupiscentiam penitus combureret, nulli conversationi, nisi aut Cadomensis aut Beccensis monasterii, se vestra dilectio committeret. Sed quoniam jam de Cadomo ablata est causa quae vos illuc maxime advocabat, jam nunc solum

Beccum certius vos exspectat, quod prius pro Cadomo dubitabat. Quamobrem cum maxime propter vos, ut pro terrenis coelestia, pro perituris aeterna, pro falsis vera, pro misera mortalitate beatam incorruptibilitatem certius exspectetis, et copiosius capiatis, vostram desiderem conversationem, eo tamen ardentius illam exspecto, quo per illam, si evenerit, vestram mecum spero conversationem. Domnum Mauritium, nostrum meritis dominum, conversatione fratrem, cura filium charissimum, quem ad reverendi domini et Patris nostri archiepiscopi jussionem in Angliam mittimus, quantum apud vos nostra potest amicitia, et ejus exigit infirmitas, et vestra sufficit, operante Deo, medicina, vestris manibus curandum propter Deum committimus. Quatenus et illi temporalis salus per vestram operationem tribuatur, et vobis aeterna per divinam miserationem retribuatur, et frater Anselmus, quem jam possidetis amicum, in servum a vobis ematur.

EPISTOLA XXIX . AD LANZONEM. *Lanzonem monet ut a diaboli tentationibus caveat.*

Dilecto dilectus, amico amicus, fratri frater LANZONI ANSELMUS, temporalis vitae sanctitatem et aeternae felicitatem.

Cum meum et tuum, charissime, desiderium quo nos invicem desideramus, considero, unum est, quod me de nostra consolatur separatione, quia in futura vita aeternam nostram conjunctionem per divinam spero clementiam. Nam certus sum de mea, nec dubito de tua conscientia, quoniam quaelibet nos regionum diversitas distineat , de duabus tamen animabus nostris charitas unam conficiat. Unde fit ut animae nostrae et dilectione praesentes sese amplectantur , et conversatione absentes sese desiderent. Sed **322** consummata hujus vitae peregrinatione, Deo adjuvante , ad quem tendimus, et in quo speramus, in patria ad quam suspiramus, quasi diversis itineribus conveniemus . Ubi tanto vehementius, Deo annuente, de invicem congaudebimus, quanto nunc de nobis divinam dispositionem patientius toleraverimus. Interim tamen quoniam facere quod charitatem renovat et accendit, non est Dei dispositione reniti, sed obedire, debemus nos vel mutuis salutationibus, cum licet, revisere. Quod cum hactenus in hac epistola me fecisse possit sufficere, aliquid tamen nostrae admonitionis, quam tibi semper dulcem fecit, non mea fatuitas, sed tui charitas ,

instante Domino et communi nostro amico Ursone , cogor subjicere. Nam, etiamsi nihil tibi dicere possim quod ignores, plus tamen haerebit memoriae, quod a dilecto dilectore dictum suscipies . Ingressus es, charissime, professusque Christi militiam, in qua non solum aperte obsistentis hostis violentia est propellenda, sed etiam quasi consulentis astutia cavenda. Saepe namque dum tironem Christi vulnere malae voluntatis aperte malevolus non valet perimere, sitientem eum poculo venenosae rationis malevole callidus tentat exstinguere. Nam, cum monachum nequit obruere vitae quam professus est odio, nititur eum conversationis, in qua est, subruere fastidio. Et licet illi monachicum propositum tenendum quasi concedat, tamen quia hoc sub talibus aut inter tales, aut in eo loco incoepit, illum stultum nimis imprudentemque multimodis versutiis arguere non cessat, ut, dum illi persuadet incepto Dei beneficio ingratum existere, justo judicio nec ad meliora proficiat, nec quod accepit teneat, aut in eo inutiliter persistat. Quippe dum incessanter laboriosis cogitationibus de mutando loco, aut si mutari non valet, saltem de improbando initio meditatur, nunquam ad finem perfectionis tendere conatur. Nam, quoniam illi fundamentum quod posuit, displicet, nullatenus illi structuram bonae vitae superaedificare libet. Unde fit ut, quemadmodum arbuscula, si saepe transplantetur aut nuper plantata in eodem loco crebra convulsione inquietetur, nequaquam radicare valens, ariditatem cito attrahit, nec ad aliquam fructus fertilitatem pervenit : sic infelix monachus, si saepius de loco ad locum proprio appetitu mutatur, aut in uno permanens frequenter ejus odio concutitur, nusquam amoris stabilitus radicibus, ad omne utile exercitium languescit, et nulla bonorum operum ubertate ditescit. Cumque se nequaquam ad bonum, sed in

malum proficere, si forte hoc recogitat, perpendit; omnem suae miseriae causam non in suis, sed aliorum moribus injustus intendit, atque inde se magis ad odium eorum inter quos conversatur, infeliciter accendit.

Quapropter, quicunque coenobitarum

forte propositum aggreditur, expedit ei ut in quocunque monasterio professus fuerit, nisi tale fuerit ut ibi malum invitus facere cogatur, tota mentis intentione amoris radicibus ibi radicare studeat, atque aliorum mores aut loci consuetudines, si contra divina praecepta non sunt, etiamsi inutiles videantur , dijudicare refugiat. Gaudeat se jam tandem invenisse, ubi se non invitum sed voluntarium tota vita mansurum, omni transmigrandi sollicitudine propulsa deliberet: ut quietus ad sola piae probataeque vitae exercitia exquirenda sedulo vacet. Quod si sibi videtur majora quaedam ac utiliora spirituali fervore appetere quam illi praesentis monasterii institutionibus liceat, aestimet aut se falli, sive praeferendo paria paribus, vel majora majoribus , sive praesumendo se posse quod non possit, aut certe credat se non meruisse quod desiderat. Quod si fallitur, agat gratias divinae misericordiae, quia ab errore suo defenditur, ne sine emolumento aut etiam cum jactura, locum vel vitae ordinem mutando, inconstantiae levitatisque frustra crimen subeat, aut majora suis viribus experiendo fatigatus deterius in priora, aut etiam in pejora prioribus deficiat. Si autem vere meliora illis, quae in promptu sunt, nondum meritus optat, patienter toleret divinum judicium, quod ulli aliquid injuste non denegat, ne

per impatientiam judicem justum exasperans, mereatur quod non habet non accipere, et quod accepit amittere, aut quod non amat , inutiliter tenere. Seu vero misericordiam seu judicium erga se in illis, quae non habet et optat, persentiat; laetus ex his quae accepit, largitati supernae gratias dignas persolvat. Et quia ad qualemcunque portum de procellosis mundi turbinibus potuit pertingere, caveat in portus tranquillitatem ventum levitatis et impatientiae turbinem inducere: quatenus mens constantia et mansuetudine tutantibus quieta, divini timoris sollicitudine et amoris delectatione sit vacua . Nam timor per sollicitudinem custodit, amor vero per delectationem perficit . Scio quia haec majorem aut scribendi aut colloquendi exigunt amplitudinem, ut plenius intelligatur quibus, scilicet, dolis antiquus serpens ignarum monachum in hoc genere tentationis illaqueet; et econtra, quibus rationibus prudens monachus ejus callidas persuasiones dissolvat et annihilet. Sed quoniam jam brevitatem, quam exigit epistola, excessi; et totum quod hic dixi aut dicendum fuit, ad custodiendam mentis quietem pertinet, hujus brevis exhortatio epistolam nostram terminet. Nec putes, charissime, haec me dicere idcirco, quod suspicer te aliqua mentis inquietudine laborare. Sed quoniam praedictus dominus Ursus cogit me aliquam admonitionem tibi scribere, nescio quid potius moneam, quam cavere hoc quod sub specie rectae voluntatis scio novitiis quibusdam solere subrepere . Quapropter, amice mi et frater dilectissime, consulit, monet, precatur te tuus dilectus dilector totis cordis visceribus, ut totis viribus quietae mentis studeas, sine qua nulli licet callidi hostis insidias circumspicere, vel semitas virtutum angustissimas prospicere. Ad hanc vero monachus, qui in

monasterio conversatur, pertingere nullatenus valet sine constantia et mansuetudine, quae mansuetudo indissolubilis comes est patientiae; et nisi monasterii sui instituta, quae divinis non prohibentur mandatis, etiamsi rationem eorum non perviderit, ut religiosa studuerit observare. Vale, et omnipotens Dominus perficiat gressus tuos in semitis suis, ut non moveantur vestigia tua **(Psal. XVI, 5)**; ut in justitia appareas conspectui Dei, et satieris cum apparuerit gloria ejus **(Ibid., 15)**. Ora ut et ego tecum: quia et ego oro ut tu mecum .

EPISTOLA XXX . AD ARNULFUM. *Consulit non eligere locum ubi doceat, sed ubi magis doceatur*.

Domino et fratri charissimo ARNULFO, frater ANSELMUS, salutem.

Quod vestra petit fraterna dilectio, ut simul praesentes invicem colloquamur, ego quoque ex quo habitum sanctae conversationis sumpsistis desideravi et desidero: sed quia meus nec sum nec esse volo, nondum communis effectum desiderii consequi potui, nec scio si potero. Breviter igitur pro temporis brevitate, litteris ad ea quae mandastis respondeo. De fratre adolescente quod petitis, nec domnus abbas nec nostra congregatio concederet, nisi prius ejus vitam diuturnae conversationis experimento cognosceret. Quod autem aliquo ire proponitis , ubi secundum propositum vestrum vivere possitis, laudo et hortor; hoc tamen praemoneo ut et per

licentiam **323** abbatis vestri hoc faciatis; et ut, quocunque iter vestrum Deus direxerit, regulariter sub abbatis obedientia, et non in propriae voluntatis arbitrio, si monachi praemium consequi vultis, vivatis; nec locum ubi vos aliis prodesse, aliosque instruere, sed ubi vos per alios proficere et ab aliis ad spiritalem militiam instrui possitis, eligatis. Sic enim ordinate proficietis, si prius doceri quam docere appetieritis. Praeterea, quod studio scholarum vitam vestram, ex quo saeculo renuntiastis, impenditis , nullatenus vobis expedire cognoscetis, si et vestri finem propositi, et quo exercitio illuc perveniatur, consulitis. Valeat mihi vestra dilecta dilectio, et licet in hac peregrinatione separati ad patriam velut diverso itinere tendamus; oremus tamen pro invicem, ut in patria de Deo simul aeternaliter gaudeamus.

EPISTOLA XXXI . AD LANFRANCUM. *De Lanfranci nepotis sancto profectu, et de capitis dolore, quo laborabat.*

Domino et Patri suo desideratissimo, matri catholicae cum amore reverendo cum reverentia amando archiepiscopo LANFRANCO, frater ANSELMUS suus, in praesentis vitae sanctitate diuturnum fulgere, in futurae vitae felicitate aeternum gaudere.

Si tam facile dictare et scribere, quam loqui possem, nunquam illi, cui tam saepe loquitur cor meum, epistolarum copia

mearum deesset, nisi cum inopia mihi latorum adesset. Sed quoniam tam multa sunt quae me dictare impediunt, ut hoc ipsum, scilicet quam multa sint, meditando nunc enarrare impediant; precor ne mihi paterna vestra succenserat sublimitas, quod raro ad se servuli sui epistolae perveniant. Quamvis namque rubigine stylus manu cessante rubescat, absit tamen ut torpore animus lingua tacente tepescat. Verum his nunc omissis de dulcissimo dilectore meo nepote vestro, cujus conversationis vos scio semper praesentem habere velle notitiam, hoc vobis mando quod mea testatur conscientia. Sic utique cavet a quibus est cavendum, ut nulli nostrum jure videatur reprehensibilis; sic studet humili benignitati et benignae humilitati; sic quieti et silentio atque orationi, ut merito sit omnibus amabilis. Unde certe quotidie et ipse me de se laetum facit laetiorem; et ego illum, ut de communi proximorum dilectione taceam, vestro et suo merito dilectum habeam dilectorem. Sed est quiddam quod, quamvis vere credam quia clementer ei facit divina providentia, non tamen illud videre possum absque charitativae compassionis molestia. Dolore namque capitis jam per plures menses sic eum paterne divina quotidie affligit castigatio, ut et aliquando a conventu communi ejus laeta dissocietur conversatio, et omnino a lectione aut aliqua studiosa meditatione ejus prohibeatur intentio. Quod idcirco vobis mando, ut et ego apud vos non sim reus hujus rei silentio; et vos aliquo, si potestis, eidem charissimo meo per dominum Albertum subveniatis auxilio. Et ut per aliqua signa morbi genus medicus idem cognoscat, fere semper quasi verberantur ei tempora, frons semper ponderosa, sed maxime inclinato. Lux omnis et sonus quanto major, tanto molestior. Saepe, maxime autem post cibum, vultu toto valde rubescit;

et simul non solo vultu, sed toto capite ignescit. Domnum vero Guidonem, quem magisterio puerorum addiximus, suavis commendat obedientia, et in strenuitate humilitas, ut pariter gloriari possumus, et vos per quem, et nos qui eum talem habemus. Domnus Osbernus vester, utique et pietatis affectu hilaritate condito in dies venerabiliter pinguescit, et scientiae profectu per studii instantiam et ingenii serenitatem tenacemque memoriam quotidie laudabiliter crescit. Non solum igitur ideo quia nos vestra pariter copulat paterna, qua nos fraterne jactamus, dilectio; sed et, ejus exigentibus meritis, tanta dilectionis mutuae jucundamur conglutinamurque delectatione, ut jam separari non possimus absque utriusque animae scissura quadam et cordis laesione. Sed quando hoc, vestra eum jussione revocante, continget, mea scissura in suo hiatu permanente, ipse suam consolabitur per resolidationem alterius majoris, quam nunc patitur. Verum quiddam est unde me sibi compatiendo dolere compellit. Crescente namque infirmitate quadam, quam vobis notam esse dicit, sic saepissime gravatur ut aliquando usque ad vitae periculum perducatur. In primis enim subitum frigus totum caput illi, deinde cor et totum corpus vehementer afficit; et mox cor immoderata pulsatione laborans, simul cum omnibus corporis sensibus et viribus, sicut exhaustis sanguine fieri solet, deficit. Ex quo defectu, postquam quasi reviviscit, statim velut febricitans totius corporis ardore ignescit. Sequitur quoque dolor capitis, et quasi vomere debeat, gravis perturbatio. Saepe etiam, maxime cum cantat, sic capitis perturbatione vexatur, ut locus in quo est in vertiginem illi rotari videatur. Quem quoniam nec scio nec possum melius, quam a vobis ametur, amare; supersedeo pro eo paternitatem vestram rogare. Audivi quod sanctus Dunstanus regulam vitae

monachicae instituerit. Si igitur sic se res habet, vellem libenter famosam Vitam et instituta tanti Patris videre.

EPISTOLA XXXII . AD HENRICUM. *Habet gratias pro Mauritio monacho diligenter curato*.

Domino fratri, amico HENRICO, frater ANSELMUS, in hac vita perseverantem sanctitatem, in futura aeternam felicitatem.

Hoc pro certo laudabiliter solvitis quod charitative debetis, cum communi fratri nostro Mauritio vos, sicut ipse mihi scripsit, benignos ac beneficos in omnibus exhibetis. Sed tamen me non modice gratiarum eo vobis debitorem efficitis, quo illi beneficia vestrae charitatis ob amorem mei propensius impenditis. Verum quoniam nequaquam nunc recenter discimus ego et vos, quid invicem de vobis possimus pro nobis confidere: dignius aestimavi easdem gratias in arca mentis clausas servare, quam non ignoranti in chartula describere. Cujus enim semper promptam bonam voluntatem esse non dubito; non solum, cum per exhibitam sibi opportunitatem operatur, sed semper gratiis dignum existimo. Quoniam tamen meritis vestris ad praesens opere aptius respondere non valeo; monachis vestris qui mecum sunt, quantum possum, quod tribuitis retribuo. Quia desideratam mihi aliisque fratribus vestris vestram praesentiam nuper promisistis, si reverendus D. archiepiscopus mare non esset hoc tempore transiturus, speramus, quia terminus a vobis mandatus praeteriit, quod idem venerabilis Pater ad nos sit

ante Pascha venturus. Quod utinam cum ejus prospera hilaritate et hilari prosperitate fiat! Si vero ipsum, sicut existimamus, non viderimus, scitote quia vos a debito promissionis vestrae, nisi vos videndo, non **324** absolvimus. Quippe quod scripsistis vos de adventu nostro sperare futurum; ita tenemus, ac si polliceremini eventurum. Valete.

EPISTOLA XXXIII . AD GONDULFUM. *Non esse scribendum amico, cujus memoria perpetuo sit in corde*.

Suo suus, amico amicus, fratri frater GONDULFO, ANSELMUS, pro amore felicitatis perseverantiam in sanctitate, pro praemio sanctitatis aeternitatem in felicitate .

Et is Gondulphus et Anselmus testis est quia ego et tu nequaquam indigemus, ut mutuos nostros affectus per epistolas nobis invicem indicemus. Quoniam enim anima tua et anima mea sese ab invicem nequaquam esse patiuntur absentes, sed sunt indesinenter se mutuo amplectentes; nihil nobis invicem deest de nobis, nisi quia corpore non sumus nobis praesentes. Cur autem tibi dilectionem meam describam in charta, cum ejus veram imaginem assidue serves in cordis tui arca? Quid enim aliud est tua dilectio erga me, quam imago meae dilectionis erga te? Invitat igitur me nota mihi tua voluntas, ut propter corporalem nostram absentiam aliquid tibi scribam; sed quia nobis noti sumus per animarum praesentiam, nescio quid tibi dicam, nisi Dominus tibi faciat quod ipse scit sibi placere, et tibi expedire. Vale.

EPISTOLA XXXIV . AD MAURITIUM. *Gratulatur Mauritio de bona valetudine restituta; postulat regulam S. Dunstani et librum Bedae De temporibus*.

Fratri et filio charissimo suo MAURITIO, frater ANSELMUS, dilectionis suae integritatem, integritatis, Deo protegente, perpetuitatem.

Non quia vel me dignum cui a quoquam paterna debeatur reverentia putem; vel quia dilectionem meam alicujus momenti existimem, hujusmodi salutatione epistolam tuae dilectioni destinatam praetitulavi: sed, quoniam ex quo te novi, semper erga te et fratris dilectionem et patris diligentiam, et si non potui, tamen adhibere curavi. Quam meam quoniam notam et gratam esse tibi scio voluntatem; idcirco gratum fore tibi non dubito, si me dilectionemque meam apud te confido in aliquam extollere dignitatem. Quoniam igitur praecessit quasi superbae salutationis excusatio, subsequatur jam fraternae allocutionis exsecutio. Sicut enim non dubito quod et tua erga me ferveas, et mea erga te gaudeas dilectione; ita certus sum quia quotidie desiderando exspectas, exspectando desideras separationem, quam a dilecto dilectore tuo pateris, consolari alicujus mei nuntii auditu vel lectione. Susceptis dilectionis tuae litteris, major animum amici tui dilatavit laetitia, quam te, fateor, a nobis discedente contraxit moestitia. Te namque discedente

levius dolui, quia quod evenisse mandas, hoc eventurum desiderando exspectabam: nunc autem verius gaudeo, quia hoc evenisse mandas, quod eventurum exspectando desiderabam. Quod quia nimis tarde videbatur ad meam pervenire notitiam, litteras pro hoc ipso discutiendo dilectioni tuae dirigere, antequam tuas accepissem, proposueram. In primis igitur pro his, quae mihi scripsisti erga te bona esse, gratias ago Deo, a quo est omne bonum; deinde omnibus illis, qui tibi exhibent, nostrae dilectionis occasione charitatis bonum. Te vero charissimum mihi moneo, quatenus gratiam et beneficia eorum cum quibus degis, quae ante tuae conversationis agnitionem potuisti obtinere, deinceps per ejusdem conversationis ostensionem merearis retinere. De reditu tuo quod te desiderare significas, sub silentio adhuc decrevi supprimere: donec tempore opportuniori reverendo domno et Patri nostro archiepiscopo Lanfranco, cujus voluntati nos obedire oportet, desiderium nostrum rationabiliter valeamus suggerere. De regula sancti Dunstani scripsi domino archiepiscopo. Tu tamen insta domno Henrico et domno Gondulfo ex nostra parte, ut eamdem regulam et Bedam *De temporibus* propter ea, quae in nostro scis esse corrigenda, qualescunque, quanto tamen meliores possunt, in illis partibus quaerentes mihi cito eosdem libros remissuro debeant accommodare. Omnipotens Dominus te sibi semper et ubique custodiat, frater, et quoniam hoc mavis audire , fili charissime, vale. Nostras litteras raro exspectando, propter sterilia impedimenta mea, tuis, rogo, me saepe laetifica. Iterum dico, quod semper volo, vale.

EPISTOLA XXXV . AD MAURITIUM. *Quod non scribat ob penuriam tabellariorum, qui epistolas deferant; petit aphorismos cum glossis*.

Fratri et filio suo charissimo MAURITIO, frater ANSELMUS, divinam in prosperis custodiam, in adversis munitionem .

Si hoc esset, quod questa est tua dilecta mihi dilectio in secunda sua mihi destinata epistola, quod, scilicet te negligendo nullis te nostris litteris, postquam mare transisti, visitaverim; quolibet asserente me nimis inconvenienter egisse, non defenderem et omnibus tacentibus ipse me non modice reprehenderem. Absit enim ut quem a puero et a prima cognitione tanto studio, pro modulo meae possibilitatis, te teste, dilexi, nunc te negligam, cum ad morum probitatem et amorem Dei, quantum largiri dignata est superna clementia, profeceris, et in dies nitaris proficere: quod semper de te desideravit cor meum, et sategit studium meum. Utique antequam tuas mihi priores litteras transmitteres, meas tibi transmittendas per primum, qui se opportunum exhiberet nuntium, paraveram. Sed cum eumdem epistolae tuae latorem congruum existimarem meae relatorem, contigit eum, praeter spem et votum suum et meum, tam diu demorari ut mea epistola tuae priori respondens jam scripta a tua visione tandiu differretur, donec secunda tua mihi defferretur. Licet enim multi Northmanni ad Anglos transeant, paucissimi tamen sunt qui, me sciente, hoc faciant; in quibus paucissimis vix est aliquis, quem nostram legationem sine dilatione et non negligenter facturum confidam. Sed ut res ipsa me apud meum excuset criminatorem, duas meas epistolas duabus tuis

respondentes mitto per tuarum latores. Et quoniam cum importuno mihi res est, quod singillatim suisque temporibus facere non potui; saltem simul ad persuadendum incredulo, et satisfaciendum suspicioso facere disposui. Illud, propter quod tantopere me reverendae domini et Patris nostri archiepiscopi instare sanctitati postulasti, quanto studiosius secundum tuam voluntatem potui, in quadam mea illi missa epistola facere tentavi. Si igitur, cum ejus semper nobis amplectenda gratia, te ad nos, secundum quod tibi expedit, et ego et tu desideramus, redire **325** contigerit, quod scriptum erit de aphorismo tecum affer. Interim tamen, quantum sine tuo incommodo potes, de textu primum effice; deinde, si tibi licuerit, de glossis; hoc ante omnia servans, ut quidquid ex eo detuleris, diligentissime sit correctum. Si quid vero, te redeunte, residuum inde fuerit; si opportune domnus Gondulfus per aliquem hoc perficere poterit, ejus curae designatum dimitte. Multo tamen melius erit, si exemplum ipsum, ut mihi accommodetur, idem domnus Gondulfus poterit impetrare. Saluta domnum Herluinum, monens ut et sibi et mihi memor sit mei. Vale.

EPISTOLA XXXVI . AD ALBERTUM. *Refert gratias de Mauritii Beccensis cura, et consulit fugam saeculi.*

Domino, fratri, amico in Christo amato, et ad Christum desiderato ALBERTO, frater ANSELMUS, pro coelestibus terrena despicere, pro terrenis coelestia percipere.

Non solum praemium, sed vel gratias fateor me, secundum meritum vestrum et desiderium meum, pietati vestrae non posse rependere pro misericordia, quam dilecto fratri meo Mauritio in infirmitate sua dignatur impendere: quoniam tamen alterum utcunque valeo, ad alterum tamen nullatenus sufficio; injustus mihi videor si in eo, quod possum, deficio. Gratias igitur tantas, quanta mea possibilitas est, refero; sed praemium vobis multo opulentius a Christo reddendum reservo, cui ipsi infirmo curam exhibetis, ipso teste, in suo servo Mauritio. Precor etiam quatenus, sicut vos mercedem non taedebit perfectam percipere; ita non pigeat, quantum in vobis est, sanitatem inceptam perficere. Sed his praemissis, quae debeam pro gratiarum actione; quae sequuntur erunt de quadam quam vobis adhuc debeo responsione. Olim namque, cum litteris vestrae dilectionis rescripsi; non totum, quod mente conceperam, descripsi. Quatenus vestra prudentia minus fastidiose perciperet, quod scriptum sibi minus verbose perspiceret. Ad eamdem igitur responsionem pertinet, quod inferius epistola psaesens haec continet. Cum vere dilectam mihi honestatem vestram, tanto studio dilectionem vilis homunculi, meam dico, affectare intueor: utique illam tanta sua supplicatione majus aliquid mereri, quam meus sit amor confiteor. Sed quoniam aliud quid vobis dare possim majus amore non habeo; ipsum quam majorem pro meo modulo possum, exhibeo. Majorem vero dilectionem puto, quod a me nemo valet exigere, quam ut velim eum tanquam meipsum diligere. Quapropter si vobis consulo, quod me mihi, cum sic essem sicut vos nunc estis, singulariter consuluisse, consulendo tenuisse, tenendo amare, amando habitu profiteri, et tota vita niti cognoscitis; vos ipsi judicate, si illud respuere debeatis, cum hoc ego vobis fideliter

exhibeam, quod vos a me suppliciter exposcitis. Denique ipsa venerabilis domini et Patris nostri archiepiscopi auctoritas, cujus judicium sua nec ipsa prudentia falli, nec justitia fallere permittet; ipsa, inquam, decernat utrum vos deceat, aut mihi non sit injuriosum, ut nostram vobis dilectionem expetendo asseratis placere; et eamdem ipsam, ejus usum, in quo illa verior est contemnendo probetis vobis displicere. Sed quanquam non vos lateat ad quid velim devenire, consilium tamen meum, imo non meum sed Dei, non me piget clarius aperire. Si igitur jam experti estis, *quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae, quae non est ex Patre, sed ex mundo est:* si jam cognoscitis quia *mundus* transibit *et concupiscentia ejus* **(I Joan. II, 16, 17)**; si legistis quia *amicus saeculi hujus, inimicus Dei constituitur* **(Jac. IV, 4)**; si creditis, quia *quicunque reliquerit domum suam, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* **(Matth. XIX, 29; Marc. X, 25; Luc. XVIII, 20)**: hortor vos, *nolite diligere mundum, nec ea quae in mundo sunt* **(I Joan. II, 15)**; sed relinquite ea, et sequamini paupertatem Christi, ut pro eis centuplum accipiatis, et vitam aeternam possideatis. Amen, fiat.

EPISTOLA XXXVII . AD FRODELINAM. *Paciscitur mutuam cum ea meritorum communionem.*

Dominae eximiae, et meri o sanctitatis cum amore reverendae, cum reverentia amandae FRODELINAE, frater ANSELMUS Beccensis, vita peccator, habitu monachus, servus servorum et ancillarum Dei; vitae praesentis perseveranter crescentem sanctitatem, et vitae futurae aeternam felicitatem.

Postquam odorem vestrae bonae famae, quae longe lateque suaviter redolens circumvolat, persensi; semper desideravi ad vestram notitiam aliqua commoda occasione pervenire, ut per notitiam mererer aliquatenus ad amicitiam pertingere, ut qui bonis meis meritis me video valde indigere, vestris me possem aliquantulum per charitatis communionem miscere. Sed gratias ago Deo quia, dum hanc voluntatem gererem, et voluntatis effectum cupidus exspectarem, intimatum est mihi per communem in Christo fratrem et amicum nostrum domnum Hugonem inclusum Cadomensem, quia sanctitas vestra non dissimili affectu similem de se apud me praestolaretur eventum. Quapropter quoniam comperio et comperiens gaudeo Christum desideria vestra, quae novit ex sua nasci dilectione, nobis ignorantibus exaudiisse, atque nos etiam nescientes paribus votis similique dilectione junxisse; jam non timens notam praesumptionis, mitto vobis litteras meas per confidentiam mutuae dilectionis. Et quidem, domina charissima, et ideo domina et charissima, quia vitae meritis valde praestantior, ego scio in me nihil vel minimum aliquid esse, quod dignum sit ad augmentum vestrae sanctitatis exspectari. Quoniam tamen vestris majoribus bonis desidero participare, nescio qua fronte possim vobis participationem meorum bonorum qualiacunque sint, cum eam desideretis, negare. Si quid igitur boni Jesus Christus Dominus noster in me operatus aut operaturus est, oro ego, et concedat ipse

secundum veram Dei et proximi charitatem, ut vobis non aliter quam mihi imputetur. Peto etiam, licet mea merita nequaquam vestris possint aequari, ut vestra beatitudo me secundum eamdem charitatem suorum meritorum communioni aliquatenus dignetur admittere. Quamvis autem mens vestra divino Spiritu ferventer afflata non indigeat admonitione ; deberem tamen ego pro debito meae professionis, aliquam exhortationem scribere vestrae sanctitati, nisi epistolae timerem prolixitatem. Quod debitum donet Deus ut aliquando, vel colloquendo, vel scribendo persolvam. Omnipotens Dominus sic vos in temporali vita ab omnibus malis custodiat, ut vos post hanc vitam in aeternis bonis constituat, domina multum in Christo amanda et veneranda. Ipse sic invicem me vestri, et vos mei memores in suo amore faciat, ut et illi placeat, et nobis ad vitam prosit aeternam. Amen.

326 EPISTOLA XXXVIII . AD GUILLELMUM. *De litteris Guillelmi sibi additis gaudet, eumque a saeculi vanitate avertit*.

Domno reverendo, affectu toto diligendo et dilecto GUILLELMO, frater ANSELMUS suus , pro amore felicitatis perseverantiam in proficienti sanctitate, pro praemio sanctitatis aeternitatem in sufficienti felicitate.

Litterae dulcis mihi vestrae dignationis, quas suscepi, cor meum dilecti vestri nominis titulo laetificaverunt; sublimis humilitatis odore refecerunt, profundae charitatis sapore

satiaverunt, piae conquestionis affectu compunxerunt. Quarum petitioni cum nunquam velim deficere, utique fateor responsioni me nequaquam posse sufficere. Cum enim in toto me et in omnibus quae in me sunt, conscius ipse mihi sim nihil esse dignum tanta postulatione, et vestra beneficia, et, quod valde majus et mihi charius est, vestra erga me dilectio plus mereantur de me quam meipsum, certe nulla sufficit affectui meo verborum devotio, qua vobis, quia plus non possum, offeram memetipsum. Quatenus vestra sanctitas nec jugem memoriam sui, in me velut in suo dubitet non esse; et si quid divinitus sit in me, certa sit velut quod sui est, suum esse. Quoniam igitur non solum orationis, sed et monitionis et omnimodae sollicitudinis debitorem me scio illius saluti, cujus meipsum esse profiteor; rogat, monet dilectus fidelis vester ne arescat per amorem saeculi semen bonae voluntatis, quod in vobis per divinum respectum coepit germinare; ne teneantur laqueis saeculi pedes vestri, qui jam non solum per opera misericordiae, sed et per celsioris tramitis intentionem in via aeterna coeperunt ambulare. Sed sollicite avertendo *oculos* mentis vestrae, *ne videant vanitatem* **(Psal. CXVIII, 37)**; semper eos per indeficientem intentionem conversos habeatis ad veritatem.

EPISTOLA XXXIX. AD MAURITIUM. *Se accepisse munera transmissa.*

Suo dilectissimo amico et fratri; et quoniam hoc clarius auditur, charissimo filio MAURITIO, frater ANSELMUS, salutem.

Pretiosum munus pretiosae mihi tuae dilectionis ea charitate, qua missum est, suscepi; et in eum usum, ob ampliorem tui memoriam, quem postulas penes me mansurum constitui: non tantum, ut recipiam aliud, sicut promittis, quantum quia sic tibi placere et ego scio, et tu significas tuis dictis. Pro quo gratias tibi scribendo referrem, nisi tu scires quia plus aliquid paratus fui tibi semper tribuere, antequam esset quod possem retribuere. Semper enim fui et sum memetipsum, et quod possum, tibi et pro te paratus impendere. Festinat lator, cogor, quae conantur erumpere, animi verba reprimere: hoc tamen subinfero, quod tibi fui, hoc persisto. Vale.

EPISTOLA XL . AD HELGOTUM. *Commendat ei Rogerii abbatis fratrem*.

Domno et Patri reverendo amico dulcissimo HELGOTO frater ANSELMUS, vitae praesentis diuturnam prosperitatem, et futurae aeternam felicitatem.

Domnus abbas Rogerius certus de vobis et de me, quia sic nos in cor unum et animam unam ignis charitatis conflavit, ut quod alter alterum scire noluerit , hoc ipse nolle non possit, petiit a me quatenus ejus frater Gonfridus, qui Cadomi moratur, vestrae sanctitati commendaretur per me. Non ut

aliquando, aut ejus injustitiae in aliqua causa a vobis faveatur , aut aliquid de ejus servitio, quod domno abbati et monasterio vestro debet, per vos relaxetur: sed ut charitatem, quam vos omni proximo scitis debere, familiarius illi, cum id ratio videbitur exigere, propter amorem vestrum dignemini exhibere. Si igitur judicat prudentia vestra quia quod tantus amicus me postulat non indecenter, nullatenus possum negare decenter: nihil aliud restat, nisi ut, quod omnibus est honestum amicis, concedatis libenter. Salutate ducem et venerabilem Patrem et dominum nostrum domnum abbatem , et omnes dilectos dominos et fratres nostros, qui vobiscum sunt. *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras* **(Philipp. IV, 7)**.

EPISTOLA XLI . AD LANFRANCUM. *Lanfranci modestiam de munerum tenuitate praedicat; et de monachorum abstinentia suam sententiam profert*.

Domino suo et Patri archiepiscopo reverentia, cultu , et amoris affectu dignissimo LANFRANCO, suus subjectione et amore servus et filius frater ANSELMUS, quod suus.

Sicut paterna vestra dilectio nescit non esse mihi, et cum non largitur, munifica; et cum secura est, sollicita; ita scitote, imo scitis fidelitatem nostram, et cum tacet, nunquam esse ingratam. Cum enim mihi non mittitis ex usu dilecto dilectori vestro pretiosa munera, blande satisfaciendo pretiosiorem mandatis excusationem; et cum certi sitis me nihil contra

Christianam fidem sentire, satagitis tamen, ne quam de me pravitatis vel falsam aliquis possit habere opinionem. Quippe talis, qualis illa fuit, quam mihi fecistis, munerum excusatio, cum a tanto tantillo fit, munus est multo pretiosius purpura et auro. Quod utique munus non misistis ideo quod eo me indigere putaretis, cum nequaquam ignoretis illud mihi in cordis arca semper reconditum; sed quia benignitas vestra nuntium a se ad me vacuum transire pati non potuit. Neque enim cum vestra suscipio dona, opus habeo eorum commendatione, quae nullatenus dubito vera mei dilectione fieri: neque cum non affluunt, indigeo excusatione; quia certus sum ea cessare aliqua justa ratione, quam si vobiscum intelligerem, eligerem vobiscum. Quod autem praecipitis, ut circa quasdam non meas, nec alicujus Christiani assertiones, simpliciter quam me scitis tenere, veritatis sententiam proferam, gratissime accipio, et libentissime obedio. Didici in schola Christiana quod teneo, tenendo assero, asserendo **327** amo; quia si quis eorum qui habent substantiam mundi, dederit indigenti vel calicem aquae frigidae, propter verum amorem Dei et proximi, eleemosynam facit, et non perdet mercedem suam **(I Joan. III, 17)**. De monachorum vero abstinentia hoc sentio; quia quanto majore amore Dei aut proximi monachus ab appositis sibi alimentis abstinuerit, tanto majorem et facit eleemosynam, et acquirit mercedem.

EPISTOLA XLII . AD HENRICUM. *Dolet quod vix scribendi vixque legendi et orandi otium habeat.*

Domno, amico, fratri charissimo HENRICO, frater ANSELMUS, vitae praesentis prosperam diuturnitatem et futurae felicem aeternitatem.

Quanquam vera dilectio semel accensa semper flagret, sine ventilationis instantia; non tamen parum jucunditatis ab amicis ex ea percipitur, sive a praesentibus ex mutuae conversationis sive ab absentibus ex alicujus commonitionis frequentia. Quoniam igitur, superna sic disponente providentia, mutuis aspectibus invicem non possumus jucundari; vel alternis missis salutationibus, et si non quantum volumus, saltem quantum possumus, ab invicem debemus laetificari. Quapropter si mihi tam saepe liceret, quam saepe vellem, utique saepissime schedulam et nostram vobis dirigerem, et mihi vestrum exigerem. Mihi quippe, meis id peccatis agentibus, sic non solum dictandi, sed et legendi et meditandi sive orandi opportunitatem video remotam, ut credam a me Dei misericordiam amotam. Unde, licet non quantum ad eamdem revocandam misericordiam divinam sufficiat, inconsolabiliter tamen, doleo; quia cum tantum sit misero mihi quietis impedimentum, nullum me consolatur inquietudinis emolumentum. Qua in re cum non juste mihi videar viles et steriles, quas tamen negligere non audeam, occupationes accusare; nequaquam tamen rem interius discutiens, meam valeo ignaviam excusare. Adeo namque vilis mens mea quasi quadam naturali arctatur angustia, bonaeque voluntatis languet imbecillitate, ut uni

quamlibet parvae curae caeteris exclusis tota non sufficiat, et cujuslibet oneris tentationisque gravedine victa succumbat. Quapropter, mi charissime frater et domine, quoniam ex charitate et mea merita, si qua essent, vestra esse vellem; et quae vestra sunt, mea esse confido: de mea desperans ignavia vestram precor et exhortor strenuitatem ut qui me ex meo minus proficienti defectu sentio reprobari, per vestrum indeficientem profectum merear revocari. Valeat, et valeat nunc et in aeternum dilecta mihi vestra fraternitas.

EPISTOLA XLIII . AD HERLUINUM, GONDULFUM ET MAURITIUM. *Beccenses monachos, in Cantuariensi Ecclesia tum degentes, adhortatur ut meliora semper proficiant.*

Domnis, et fratribus, et amicis charissimis HERLUINO, GONDULFO, MAURITIO, frater ANSELMUS, ascendendo de virtute in virtutem, pervenire ad Christum summam Dei virtutem.

Quoniam et unum est, quod vos pari intenditis proposito, nec est diversum quod ego de vobis communiter desidero; idcirco vos simul unius epistolae allocutione conjungo. Si bene meminit dilectio vestra, quales vos semper optem videre praesentes, sufficienter novit quales vos assidue desiderem audire absentes. Quoniam namque, ut vestra mihi testis est conscientia, omnibus vobis fratris dilectionem, et insuper uni

vestrum patris diligentiam ex corde non dicam impendi, sed volui impendere; nullum interjacentis terrae marisque spatium affectum vestri a me valuit abrumpere. Licet igitur reverendi domini et patris nostri archiepiscopi praesens vobis consilium et admonitio, singulorumque vestrum continua, quid suus habitus profiteatur, meditatio, mutuae quoque in sancto fervore collocutionis frequens accensio sufficiant, quibus vestra studia bene incepta quotidie ad meliora proficiunt: exigi tamen indeficiens dilectio ut exhortationes nostrae qualescunque sint, vobis quamvis absentibus et non indigentibus non deficiant.

Moneo itaque et precor, charissimi, quatenus nihil sit, quod mentem vestram a sui revocet custodia; sollicite discutiat quid quotidie acquirat proficiendo, ne quid, quod absit! perdat deficiendo. Sicut enim in virtutibus difficilius est aliquid non habitum conando assequi, quam desidia carere; ita gravius est recuperare quod per negligentiam amittitur, quam adipisci quod nondum quis habuisse cognoscitur. Semper igitur, dilectissimi, praeterita quasi pro nihilo sic deputetis, ut et illa, ad quae profecistis, tenere non contemnatis ; et his aliquid addere licet per infirmitatem nequeatis, tamen per importunitatem semper contendatis. Quoniam namque inter multos vocatos *pauci* sunt *electi* **(Matth., XX, 16)**, certi sumus omnes, Veritate dicente: sed quam *pauci* sint, incerti sumus cuncti, Veritate tacente. Quapropter quicunque nondum vivit ut *pauci*, aut vitam suam corrigat, aut inter paucos se colligat; aut cum certitudine reprobationem timeat; qui vero jam sibi videtur de paucis, non statim de securitate electionis confidat. Quippe quoniam nemo nostrum scit in quantam paucitatem redigantur electi: nullus utique novit si

jam sit inter paucos electos, licet jam paucorum sit similis inter multos vocatos. Nullus igitur retro respiciendo penset quam multos in via coelestis patriae praecedat; sed indeclinabiliter in anteriora intentus sollicite consideret, si jam pariter cum his, de quorum electione nemo dubitat, incedat. Videte igitur, charissimi, ne qualibet occasione timor Dei, quem concepistis, tepescat; sed semper quasi indeficienti studio ventilatus in dies fervescat, donec vobis in securitatem aeternam mutatus lucescat.

Valete, amici mei amantissimi; et, rogo vos per fraternam charitatem quam mihi debetis, orate solito instantius, ne ego, qui vos hortor ad profectum, perficiam quem jam olim vere incoepi, et jam nunc fere effici, miserabilem defectum.

EPISTOLA XLIV . AD HERNOSTUM. *Acerrimis oppressum doloribus ad patientiam excitat.*

Olim socio et fratri coaequa familiaritate diligendo, nunc domino et Patri cum dilectione reverendo Rovecistrensi episcopo HERNOSTO, frater ANSELMUS, in hac vita integram incolumitatem, in futura perfectam felicitatem.

Cum audio quod frequentibus et gravibus molestiis fere usque ad mortem caro vestra atteritur, contristat me humana moestitia meus affectus: sed, **328** cum considero quia per haec anima vestra ad aeternitatem nutritur, consolatur me

spirituali laetitia vester profectus. Notum quippe est sanctitati vestrae, quia in tribulatione carnis, et per ustionem rubigo peccatorum exuritur, et per patientiam justi vita perficitur . Scriptum namque est quia *flagellat Deus omnem filium quem recipit* **(Hebr., XII, 6)**. Et quia, *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit* **(Rom. V, 3)**. Et quia *patientia opus perfectum habet* **(Jac. I, 4)**. Unde procul dubio cognoscitur quia tanto affectu est in tribulatione gaudendum, quanto conatu est per spem, et operis perfectionem in filiorum haereditatem nitendum. Cum enim semper gratum sit Deo, si nunquam ab ejus ordinatione dissentimus; tunc utique valde illi placemus, si et in nostra adversitate ejus voluntati hilariter consentimus. Et quanquam sit justissimus, nequaquam tamen, cum sit misericordissimus, coget nos peccata in futuro saeculo vindicta repetita luere, quos hic viderit ultioni cum animi hilaritate occurrere. Tanto itaque districtum judicem exspectare poterimus leniorem , quanto nunc illum patienter sustinebimus severiorem. His igitur et aliis hujusmodi meditationibus, mi reverende domine, sicut scit paterna vestra sanctitas ex carnis defectu, animae considerando profectum; ex carnis aegritudine, animae salutem; ex ultione, indulgentiam trahat; ex ipsa tribulatione consolationem, et ex maerore laetitiam. Omnipotens et clementissimus Deus sic vos in hoc saeculo per omnia suae faciat concordare voluntati, ut ipse in futuro per omnia vestrae concordet felicitati. Dulcissime mi Pater et reverende domine, precor ut paterna vestra sanctitas non obliviscatur fidelis servi sui , corpore absentis, sed mente adhaerentis. Valeant semper in Domino corpus et anima vestra.

EPISTOLA XLV. AD LAMBERTUM ET FOLCERALDUM. *Ne lethargico mundi somno corripiantur*.

Reverendis dominis, dilectissimis avunculis, dulcissimis nutritoribus suis LAMBERTO et FOLCERALDO, frater ANSELMUS, bona temporalia pro aeternis despicere, aeterna pro temporalibus percipere.

Quamvis nos locorum temporumque spatia separent, arbitrio superno disponente, nulla tamen causa vestrae dilectionis affectum valet aut valebit mihi minuere, divina gratia protegente. Et quoniam certum est cordibus vestris similem affectum erga me non dissimiliter inhaerere, utique dubium mihi non est quod sicut ego ea, quae circa vos sunt; ita vos ea, quae circa me sunt, nota semper desideretis habere. Sed ea per hujus schedulae latorem plenius poteritis discere et notificare, quam brevitas epistolaris sufficiat intimare. Quale autem desiderium cor meum gerat de vobis, ille a quo, et ad quem, et cui soli notum est idem desiderium, sic intimet et persuadeat vobis, quomodo ipse scit expedire vobis. Ut tamen aliquid de cordis abundantia eloquar, nihil magis de vobis timeo quam ne in amore saeculi et saeculari vita perseveretis, dormientes usque in finem; et nihil aut parum quid inveniatis cum viris divitiarum in manibus vestris, cum evigilaveritis post finem.

EPISTOLA XLVI . AD FOLCERALDUM. *Se miro ejus visendi teneri desiderio, sed detineri ex eo quod in Francia milites iter liberum nulli facerent.*

Secundum carnem consanguineo, in Christo fratri charissimo FOLCERALDO, frater ANSELMUS, sic ire de virtute in virtutem, ut videat Deum deorum in Sion.

Cogitavi ipse ego ad te venire, et ad pedes reverendi abbatis tui prostratus quanta possem humilitate postulare, ne animas (me et te dico) tanto conglutinatas vinculo carnis et spiritus, violenta conversationis separatione non tantum disjungeret, quam scinderet. Sed tam crudelis tamque effrenata malitiosorum hominum in Francia debacchatur saevitia , ut nec me, nec aliquem monachum, aut quempiam equitem audeam tanto committere periculo. Re enim vera domnus Rodulfus cum, te reducto, rediret, in archiepiscopatu Rhemensi cum famulis, equis ablatis omnibus, captus est, quanquam se sub archiepiscopi Rhemensis tuitione ire clamaret. Qui aliquandiu detenti, vix tandem uno equo retento, relaxati sunt. Denique etiamsi possem absque omni te adire periculo, rex tamen et domnus abbas noster, in quorum potestate sum, nolunt mihi eundi dare licentiam: nec tamen ab illis, ut te possim habere, ullum recupero auxilium aut consilium; nec usui esse honoris existimant, quod tanto studio, de tam longinquo, tamque humilibus et amicabilibus litteris frustra bis poposcerunt, tertio forsitan frustra reposcere. Haec idcirco tibi scripsi, charissime, ut tu haberes

per quem mihi desideranti scire quae circa te sunt, mandare posses, et simul scires, quia jam nullum ab homine exspecto auxilium, quo tuam tantopere desideratam conversationem assequi possim: quatenus solius Dei nostro desiderio favorem, secundum suum beneplacitum, orantes exspectemus, et interim ejus de nobis dispositionem obedienter patienterque toleremus. Sic enim citius et benignius desiderium nostrum perficiet , si non quod nos volumus, sed quod ipse vult, nos desiderare perspiciet. Quanquam enim tu valde sufficienterque te consoleris ex sancta paternaque benignitate abbatis tui, quam a te inventam saepe mihi praesens gaudendo praedicare solebas; ego tamen, quod de te desidero , desiderare non desistam. Orationes, quas tibi, cum mecum esses, scribi feceram; nescio per quem tibi mittere possim. Lator enim praesentium eas ferre tibi non est ausus, timens ne sibi auferrentur. Cum enim eum prima vice ad te misi, dicit se captum et exspoliatum, vestesque suas, si quid forte in eis quod tolli posset inveniretur, discussas . Rogo, manda mihi per epistolam quae circa te sunt. Dominus, *qui custodit Israel, custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus* **(Psal. CXX, 7)**.

EPISTOLA XLVII . AD PETRUM. *De honestis gratulatur studiis, et ad puriorem vitam hortatur.*

Charissimo suo consobrino PETRO, frater ANSELMUS, ea bona, quae necessario amittuntur, sponte dimittere, ut ea quae aeterne tenentur possit recipere.

Dicere non possum, dilectissime, quanto gaudio exsultavit cor meum, cum audivi a dilecto fratre **329** et consobrino nostro domno Folceraldo, te non solum ad hanc quam habes aetatem pervenisse, sed etiam bonis honestisque studiis profecisse et in dies proficere. Sed et huic meo gaudio multum est additum, cum mihi dixit quia me desiderabas videre. Memor enim et servator magnae amicitiae quae olim fuit inter me et avum et patrem et matrem tuam, et immensae dilectionis quam habui erga te, cum adhuc puerulus esses: ea semper de te desidero, quibus meliora non possum; et cum bona de te audio, sic gaudeo, ut plus non possim. Accensus igitur desiderio tui in Deo, oro Deum ut det nobis simul in hac vita, quandiu victuri sumus, conversari, et in futura congloriari. Unde hortor, precor, obsecro, mi dilectissime, crede verum esse quod Veritas dixit, et ama quod relinquentibus saeculum propter se promisit. Incipe parare tam magnum quaestum, accelera ad tantum lucrum, ut quae mundi sunt relinquens, centuplum accipias, et vitam aeternam possideas **(Matth. XIX, 29)**. Quod si tibi Deus inspiraverit, rogo, charissime, ne dubites propter itineris laborem venire ad amicum et consanguineum tuum te desiderantem. Quoniam si simul vixerimus, tanto mutuum nostrum gaudium de nobis invicem praesens nobis erit; tanto quidquid grave videbitur, levius erit.

EPISTOLA XLVIII . AD LANFRANCUM. *Expostulat de honorifica compellatione*.

Domino et Patri suo reverendo archiepiscopo LANFRANCO, frater ANSELMUS, suus quod suus.

Sicut Zacharias propheta ad commendandam suae prophetiae auctoritatem fere per singulos versus repetit: *Haec dicit Dominus*; sic mihi ad inculcandum, quis, cui et quo animo loquatur, libet ut tam saepe epistolae nostrae, quas vestrae dirigo paternae celsitudini, in fronte pictum praeferant: *Domino et Patri*, et, *suus quod suus*. Sic enim hanc, non dicam, scio simulare, sed sculpsi in mente mea impressam, ut quidquid proponam in incipienda nostra salutatione, hoc in consummata appareat expressum. Cum igitur hoc titulo vobis tam saepe scribam, quaerendo queror, et querendo quaero cur mihi nunquam rescribatis; sed nescio cui vestro domino et Patri, prima litterarum notato. At si servo et filio vestro scribitis, cur, quod destruere non potestis per oppositam negationem, subvertere tentatis per relativam oppositionem? Precor itaque ut quoties litteras dignationis vestrae suscepero, aut videam cui scribitis; aut, vel non videam cui non scribitis.

EPISTOLA XLIX. AD HENRICUM. *Gratias agit pro auro, in quo tamen plus laudatur dantis*

animus quam munus. Et veniam petit pro Osberno.

Domino reverendo et amico, domino priori HENRICO, frater ANSELMUS, salutem.

Gratias vobis magnas scribo pro auro quod misistis; sed multo majores corde teneo pro bona erga me voluntate, quam retinuistis. Quam quotidie multo melius et clarius experior in dilecto meo communi fratre nostro Mauritio, quam in millibus auri et argenti. Ab his enim qui ab eo veniunt audio vos eum tanto honore et amore tractare, ut appareat vos non modice me dilectorem ejus amare. Litteras quas charissimo filio vestro fratri nostro Salvino misistis legi: in quibus tam benigne, et vestram erga eum expressistis dilectionem, et mei plus quam merear indidistis mentionem, ut ibi animadverterem magnam quamdam sapienter latentem, et latenter sapientem deprecationem; quatenus ego, quem sic describitis, benignum erga alios, illi, quem sic diligitis, impendam meam curam et dilectionem. Et ita fiat, quando quidem ita vultis. Cum enim eum amem propter Deum et propter seipsum: et quia confitetur se amicum esse domini Gondulfi, adhuc crescat amor, quia est dilectus domini prioris Henrici. In eisdem litteris, cujusdam culpae veniam spontanea benignitate eidem dilecto vestro et meo concessam inveni. Et quia servulus vester, frater noster Osbernus, cum eo pariter se non per superbiam, sed per imprudentiam peccasse cognoscit, nec sibi sentit indultum esse; moestum pro culpa et sollicitum de venia percepi. Precor igitur ut quod in me laudatis, mecum in vobis exhibeatis: quatenus mecum super afflictionem ejus pia gestantes viscera, sicut Salvino indulsistis propter vestram

solam bonitatem, ita Osberno dimittatis si quid in vos peccavit, propter vestram benignitatem, et nostram charitatem.

EPISTOLA L . AD GONDULFUM. *Familiaris est epistola*.

Fratri frater, dilecto dilectus, GONDULFO ANSELMUS, in hac vita diuturnam, et in dies proficientem sanctitatem, in futura vitam aeternam, et semper sufficientem felicitatem.

Omnes quotquot veniunt a domno Gondulfo, referunt quod litteras meas desiderat domnus Gondulfus. In quibus bene novi quia nihil aliud exspectas, nisi ut mutuum nostrae dilectionis affectum legas. Quod quidem certus sum quia non facis ut amor tuus, ne obdormiat, litteris excitetur; aut ut amor meus, quomodo vigilet, intimetur. Quippe sicut de tuo affectu erga me certus es, ita de meo erga te non dubitas. Idcirco igitur tantopere scripta mea postulas, ut quod in intima mente formatum pariter gerimus, in charta scriptum videas, videndo legas, legendo congaudeas. Sed quid, si nec *oculus vidit, nec auris audivit*, sed solum *in cor hominis ascendit*, quem affectum praeparent diligentia corda diligentibus se? **(I Cor. II, 9.)** Testis enim mihi est experta conscientia tua, quia nec visu , nec auditu sapor hujus affectus a quoquam percipitur; nisi quantum mente ab unocunque concipitur. Cum igitur scias quia sapor dilectionis oculis, nec auribus agnoscitur; sed solo cordis ore delectabiliter gustatur: quibus verbis aut

quibus litteris meus et tuus amor describetur? Et tamen tu instas mihi importune, ut faciam quod fieri non potest. Sufficiant nobis conscientiae nostrae, quibus nobis invicem conscii sumus quantum nos diligamus. Omnipotens Deus sic te diligat, et diligendo protegat, ut nihil fiat a te, aut in te, aut de te, nisi quod illi placeat, et tibi expediat.

330 EPISTOLA LI . AD MAURITIUM *De acceptis Mauritii litteris, et proximo illius in Northmanniam reditu. Poscit ut secum deferat aphorismos cum glossis*.

Domno amico, fratri, filio charissimo MAURITIO, frater ANSELMUS, sic proficere de virtute in virtutem, ut adhaereat virtuti virtutum.

Perlectis dilectionis tuae nuper dilectori tuo missis litteris, et affectus tui expressione sum jucundatus, et reditus tui promissione sum laetificatus. Sicut enim cum diligenti mihi pariter diligendo respondes, congaudeo; sic dilecti dilectoris mei praesentia semper frui desidero. De quo reditu tuo nec reverendus mihi archiepiscopus quidquam mandavit, sicut olim te opinari in epistola quadam tua monstrasti; nec domno abbati, si redieris, displicebit; quod in eadem scriptura te timere significasti; et mihi valde placebit, quod ut puto nunquam dubitasti. Glossas aphorismi si omnes potes scribere gaudeo; sin autem, eas quae sunt Graecorum aut inusitatorum

nominum ne deseras admoneo. Quod tamen temporis in libello de pulsibus insumere deliberas, malo ut ad perficiendum quidquid est in aphorismo impendas. Non enim ejusdem libelli scientia utilis est, nisi frequentissimo et diligentissimo usu se illa occupantibus. Si quid tamen post aphorismum, et de hoc potes, libenter accipio. De utroque hoc praecipue moneo ut quidquid feceris studiosissima exquisitione correctum, dignum sit dici perfectum. Malo enim in ignota inusitataque scriptura partem integram veritate, quam totum corruptum falsitate. Ante omnia gratias tibi, quantas possum, ago; quia ubicunque sic vivis, ut quanquam non ego, sed Spiritus sanctus te bene vivere docuerit, tamen honor mihi etiam sit inter ignotos et alienigenas talem nutrisse discipulum. Tanto utrique eris Deo et amicis Dei charior, quanto fueris in periculosa conversatione inventus probatior. Vale, et cave ne promittendo reditum, et non redeundo, amicum tuum deludas. Saluta dilectum fratrem nostrum domnum Herluinum.

EPISTOLA LII . AD FULCONUM. *Ut oblatam dignitatem suscipiat, quam sine inobedientia non potest recusare.*

Domno et Patri reverendo , amico charissimo FULCONI, frater ANSELMUS, sic in praesenti vita per divinam gratiam disponi, ut in futura sanctis mereatur apponi.

Cogit me dulcis mihi sanctitas vestra suis precibus promittere, et quod semper servitus mea non promittendo prompta est,

prout potest, efficere. Tanta namque vilitate deprimi scio in conspectu Dei meas orationes, ut alicui eas polliceri me pudeat; et sic me vestrum devovi, ut pro vobis possibilitas mea quotidie orare studeat. Quapropter et in hoc, de quo mihi litteris suis dilectio vestra nuper mandavit negotio; et in omnibus quae ad vos pertinent, orationes nostras qualescunque sint, vobis non deesse sciatis. Consilio autem nostro licet vestra prudentia non egeat; tamen quia jubetis, breviter illud schedula praesens exhibeat. Scimus quidem quoniam tutius est homini infirmitatem suam semper timendo, quantum in se est, tam magnum onus refugere, quam de viribus confidendo humeros facile submittere. Sed quoniam scriptum est: *Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur; sed sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*; sic nos oportet inter timorem propriae infirmitatis, et obedientiam Dominicae voluntatis, via discretionis incedere, ut neutrum videamur abjicere. In primis ergo vos divinae pietati puro mentis affectu, ut vitam vestram in beneplacito suo disponat, commendate: deinde simplici mente et humili conatu, quibuscunque modis potestis, excepto solo peccato, onus subire recusate. Quod si nisi per peccatum declinare non potestis, obedienter subite, et sollicite portate. Omnipotens Deus nihil a vobis, aut de vobis fieri permittat, nisi quod illi placeat, et vobis expediat.

EPISTOLA LIII . AD GUALTERUM. *Ut propter calumniam non abjiciat gregis commissi curam.*

Domno et Patri venerabili abbati GUALTERO, frater ANSELMUS Beccensis, vita peccator, habitu monachus, per praesentis vitae sanctitatem, futurae mereri felicitatem.

Cum scriptum sit: *Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis* **(Eccli. XXXII, 24)**; et alibi: *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatria nolle acquiescere* **(I Reg. XXV, 3)**; valde nobis cavendum est ne nostram, contra omnium consilium, nimium sequamur voluntatem, etiamsi recta nobis videatur. Neque enim quidquid singulis rectum videtur, rectum est; quoniam scriptum est: *Via stulti recta in oculis ejus* **(Prov. XII, 13)**; et; *Sunt viae quae videntur hominibus rectae, quarum finis usque ad profundum inferni descendit* **(Prov. XIV, 12)**. Quapropter ne, more stultorum, errorem rectitudinem judicantes, teneamus vias quarum finis usque ad profundum inferni descendit, nequaquam unusquisque, suo inexaminato judicio, vitae suae debet ordinem committere; sed diligenter, ne plurimorum, et maxime sapientum judicio, aut obedientiae, aut misericordiae, aut denique charitati repugnet, perpendere. Unde magis est mirandum cur vestra sanctitas vestraque prudentia fere contra omnium consilium, contra obedientiam sibi divina dispositione per archiepiscopum suum, et regularem electionem injunctam, contra misericordiam et charitatem, oves sibi commissas pastorali cura destitutas, lupis infestantibus lacerandas deserendo exponit: quandiu vel unam considerat sua cura ad salutem posse proficere. Acquiescat igitur vestra charitas, acquiescat, et tot orationibus astricta ad monasterium suum redeat, curamque abjectam misericorditer resumat, ut desolatos consolando et adjuvando, divinae consolationis et auxilii

recompensationem mereatur. Nam calumnia, quae vos maxime terrere solet, ab abbate S. Arnulfi sic est per communem ejus et fratrum monasterii vestri consensum exstincta, ut jam nullo modo vos impediat.

EPISTOLA LIV . AD HENRICUM. *Ut malevolorum invidiam et calumnias patienter sustineat.*

Domino et Patri suo charissimo, domno priori HENRICO, frater ANSELMUS, vitae praesentis integram prosperitatem, et futurae aeternam felicitatem.

Si per vestrum nuntium didicissem qua infamia diffamaretur charitas vestra, quo dolore, qua **331** miseria afficeretur; et exinde meum consilium et auxilium quaesiissetis, sicut dicitis; et nullum reddidissem responsum: fateor quia merito admiraremini, et diceretis me fecisse quod non debuerim. Sed credat mihi sanctitas vestra, quia nunquam hujusmodi nuntium vestrum memini me audisse. Audivi tamen a quibusdam, non qui se nuntios vestros faterentur, quia non bene eratis apud dominum archiepiscopum. Sed cum quaererem propter quid, circumeundo significantes quaedam inconvenientia nihil certum exprimebant. Dum igitur exspectarem certiorem rerum notitiam, audivi inter vos integram venisse reconciliationem. De desiderio autem, cujus vos velle licentiam habere a domno abbate et a me significatis, sic olim audivi, nescio jam a quo, ut intelligerem meum ad hoc desiderari auxilium; non tamen expeti responsum. Sed

quoniam certissimus eram domnum abbatem id nunquam esse concessurum; melius rem penitus silentio tegendam, quam frustra verbo detegendam putavi et puto. Quod autem scribitis quod, miserante Deo, claruit veritas, confusa et obscurata est falsitas et ejus inventores: scitote me verius gaudere de soliditate veritatis, quam credo, quam doluisse de figmento falsitatis, quam nunquam credidi. De invidis vero, quos adhuc oblatrantes insidiantesque patimini, hoc dico quod scitis; quia semper invidet vitium virtuti. Si igitur invidiae persecutione carere vultis; aut locum, ubi lateatis vitiosos, invenite; aut virtutibus renuntiate. Sed neutrum horum facietis; quia alterum est impossibile, alterum exsecrabile. Quid igitur restat, nisi ut armati armis *justitiae, a dextris et a sinistris transeatis*, cum Apostolo, *per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam* **(II Cor. VI, 8)**: et quidquid ipsi moliantur, nunquam ad eos, sed ad gressus vestros, forti et quieta mente intendatis. Si enim vestri *oculi semper ad Dominum, ipse evellet de laqueo pedes vestros* **(Psal. XXIV, 15)**; ipsi vero incident *in foveam, quam* fecerunt **(Psal. VII, 16)**; *et captio*, quam absconderunt, apprehendet eos **(Psal. XXXIV, 8)**: cum, sicut jam coepit, eminebit libera veritas, et ad gloriam; et obruetur confusa falsitas, in ignominiam. In quo tamen sollicite vos, sicut decet perfectum servum Dei, observare oportet, ne inimicorum confusione gaudentes, eam exprobretis, exprobrando praedicetis, praedicando divulgetis, divulgando augeatis; ne in conspectu Dei, ultione inimicorum delectari judicemini. De vestra igitur liberatione, in secreto mentis, in conspectu Dei, gratias illi agendo gaudete; illorum vero peccatum, sive eventum, pro illis orando, miti mente dissimulate. Quod autem vos super frequenti commotione illius, quem fere super omnes diligitis homines, affligi

monstratis; nullum aliud video consilium, nisi illud quod est optimum: sola virtutis patientiae, quam jamdiu viriliter tenuistis, consummatione opus habetis. Nullo enim modo efficacius, aut quantum ad vos honestius utiliusve fugietis ad mentis quietem, aut illum placabitis, aut hostem occultum, qui vos hac ipsa tribulatione impugnat, superabitis, ut coronam victoriae percipiatis. *Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit* **(II Tim. II, 3)**; nec legitime certat, qui non usque in finem aut suum, aut impugnationis perseveraverit. Scriptum est namque quia *patientia opus perfectum habet* **(Jac. I, 4)**; et: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* **(Luc. XXIV, 19.)** Si vero mente amplectimini patientiam, et tribulationem declinare satagitis, scitote, imo scitis patientiam non esse nisi in tribulatione. *Gaudete igitur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam overatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit* **(Jac. I, 3; Rom. V, 4)**. Dicitis vos nullo modo posse esse vobiscum sine integra archipraesulis gratia. Hic autem respondeo vestrae prudentiae, nusquam vos bene esse posse; si eam, quod ex vobis est, non habueritis; si vero eam habere non contempseritis, sed non poteritis, ut necesse sit vos alibi esse, quam cum illo: nusquam vos melius, quia nusquam rectius, esse posse, quam nobiscum : nulla enim ratione domnus abbas, et fratres vestri aliter concederent. Nam non tam parvi aestimatur, aut tam parum amatur sanctitatis vestrae strenuitas, ut qui eam juste potest tenere, sponte aut facile velit ea carere. Omnipotens Deus sic vitam vestram protegat et disponat, ut omnibus impugnationibus et adversitatibus praevaleatis, unde coronam sempiternam percipiatis. Orate pro me.

EPISTOLA LV . AD MAURITIUM. *Gratulatur quod audiat Arnulfum Grammaticum*.

Dilecto suo fratri et filio MAURITIO frater ANSELMUS.

Audivi quod legas a domino Arnulfo. Quod si verum est, placet mihi qui semper profectum tuum, sicut ipse ex parte expertus es, desideravi: nec unquam utique plusquam modo. Audivi quoque quod ipse multum valeat in declinatione; et tu scis quia molestum mihi semper fuerit pueris declinare, unde valde minus quam tibi expediret. Scio te apud me in declinandi scientia profecisse. Hortor itaque, et precor, et ut filio charissimo praecipio, quatenus quidquid ab eo legeris, et quidquid aliud poteris, diligentissime declinare studeas. Nec pudeat te sic in hoc studere etiam quibus te putas non indigere, quasi nunc id recentissime incipias: quo et ea quae scis, ejus auditu confirmata, securius teneas; et eo docente, si in aliquo falleris, id corrigas; et quod ignoras, addiscas. Si autem nihil tibi legit, et tua hoc est negligentia, displicet mihi; et volo quatenus ut fiat quantum potes, satagas, et praecipue de Virgilio et aliis auctoribus, quos a me non legisti, exceptis his, in quibus aliqua turpitudo sonat. Quod si aliqua te obstante non potes ab eo legere, vel hoc stude, ut librorum, quos legisti, quoscunque potes, et quibus horis potes, totos a principio usque ad finem diligentissime, sicut supra monui, declines. Ostende etiam eidem charissimo amico nostro hanc epistolam, in qua ut breviter et multum ejus pro te deprecor

dilectionem, peto ut tibi ostendat quantum de vera ejus confidere possum amicitia: et indico quia quod tibi faciet, non alteri quam cordi meo faciet. Diu enim est ex quo ego et ipse de mutua certi sumus amicitia; si ipse, quod ego nunquam obliviscar, reminisci dignatur. Saluta illum quam reverentius potes ex nostra parte; et domnum priorem, et domnum meum Gondulfum, aliosque domnos et fratres nostros, qui tecum sunt. Vale, fili mi dulcissime, et ne contemnas consilium paterno te diligentis affectu. Vale.

EPISTOLA LVI . AD GUILLELMUM. *De comite excommunicato, qui sacris se immiscebat. De presbyteris incontinentibus, et de lapsis sacros ordines habentibus*.

Domno et Patri reverendo abbati GUILLELMO, frater ANSELMUS, in hac vita diuturnam prosperitatem, in futura aeternam felicitatem.

Ex quo vestra probitas mihi suam dignata est praebere notitiam, tantam ejus concepi dilectionem ut semper ejus mihi dulcis sit memoria. Quod expertus sum non immerito fuisse, quoniam et vitam vestram **332** amore et reverentia dignam agnovi existere; et paternitatem vestram non sine affectu dilectionis erga parvitatem meam esse. Saepe namque fratres a vobis venientes, me non solum sanctitatis vestrae relatione aedificaverunt, sed et dignationis vestrae salutatione honoraverunt. Quare licet quidquid est in me toto minime possit tantis meritis respondere; meum tamen est, quantum

amoris et reverentiae possum, exhibere. Sed haec Deo in nobis servanda et augenda committens, ad ea de quibus meam parvitatem vestra consulere dignata est prudentia, non praesumendo, sed obediendo respondebo; forte non quod sufficiat, sed quod mihi videtur. Comes quidem vester, qui excommunicatus vobis divina celebrantibus se miscet, mihi videtur humiliter admonendus; ne contemnendo sententiam eorum, in quibus Deus affirmat se audiri cum audiuntur, et sperni, cum spernuntur; se ligare, cum ligant et solvere, cum solvunt; aggravet super se Dei judicium, a quo fugere nusquam homo potest. Quare melius illi esset, ut per salubrem humilitatem abstineat ab his, a quibus cum apostolica segregat sententia, quam per praesumptionis contemptum se ingerat in illa, quae nunquam nisi per humilitatem quaesita prosunt, et semper inordinate praesumpta obsunt. Nec debere enim nullo suo commodo, et gravis imo suo malo cogere vos ut, cum eum offendere nolitis, Deum et sedis apostolicae auctoritatem graviter irritetis: ad quos placandos illum adjutorem habere non possitis. Facilius quoque atque benignius apostolicum ejus rationes suscepturum, si suam illum sententiam cognoverit reveritum. Quod si comes idem hanc admonitionem respuerit, scitis quia plus est Deus timendus quam homo. Quapropter aut secundum jam prolatam apostolicam sententiam, erga illum agendum, aut ipsum apostolicum, sive aliquem ejus vices gerentem, de hoc ipso denuo consulendum existimo. De presbyteris vero, qui se aperte reproba libidinis conversatione Deo reprobabiles exhibent; omnino tenendum est quod apostolica providentia ecclesiastico justoque judicio et rigore constituit. Nempe nullatenus convenit ut ibi reverenter astetur , ubi pertinaciter aperta et impudenti libidine fetentes, Dei et sanctorum

prohibitionem contemnendo, sacris altaribus deserviunt; imo non deserviunt sed quantum ad ipsos commaculant. Non quo quis ea quae tractant, contemnenda, sed tractantes exsecrandos existimet: ut qui Dei et angelorum praesentiam non reverentur, vel hominum detestatione repulsi , sacra contaminare desistant . Nec ullatenus oportet ut illi sint consortes de altari participantium, qui per immunditiam se faciunt exsortes altari deservientium. De lapsis autem sacros ordines habentibus, et spontanea humilitate secrete quibus debent confitentibus, nequaquam est asserendum quod eisdem ordinibus amplius uti nullatenus possint, si per sacrificium spiritus contribulati, cordisque contriti et humiliati Deum placantes **(Psal. L, 19)**, ad virtutum profectum studiose contenderint . Nam nec apud Deum reprobatur officium alicujus propter culpam, quam ipse ignoscit; nec apud homines decoloratur sacri ordinis dignitas propter personam, cujus ipsi peccatum non cognoscunt: quibus duabus causis carnalis lapsus prohibet ad sacros ordines accessum et reditum. Sed quoniam ferme semper occultum est, *quorum remissae sint iniquitates, et quorum tecta sint peccata* **(Psal. XXXI, 1)**; quorum vero minime: tutius semper est conscium sibi criminis, ab his quae placitum Deo personam exposcunt, per laudabilem humilitatem abstinere, quam per culpabilem securitatem praesumere. Illud namque semper potest, Deo non improbante; hoc vero non debet, nisi Deo approbante. Qui autem huic sententiae, quae ad sacri ordinis officium reditum post lapsum concedit; nequaquam alia ratione nisi auctoritate fulciatur, scilicet Scripturarum , vult consensum attribuere: legat epistolam beati Calixti papae directam universis episcopis per Galliam constitutis et beati Gregorii papae ad Secundinum inclusum: ubi ipsi hanc sententiam sic firmis et

pene eisdem rationibus et auctoritatibus confirmant, ut nullatenus aliorum probatione indigeat. Sed quoniam idem B. Gregorius idipsum in aliis suis quibusdam epistolis studiose prohibet, ne sibi ipse contrarius sit , de apertis quidem prohibuisse, de occultis vero, post dignam poenitentiam concessisse intelligitur. Nam crimen quod a Deo non imputatur, nec ab hominibus esse putatur, non reprobat nec decolorat, ut jam dixi; cum tamen in tali re cuique tutius sit coram Deo sibi plus timere quam confidere. Prohiberi autem invitum debere, qui occultum crimen humili confessione sponte et occulte detegit, minime existimo, ne multis obstruatur via salubris confessionis, qui potius eligerent penitus in mortem occultari, quam hac occasione in certitudinem vel suspicionem alicujus criminis adduci. Nec illi , cui confitetur, statuitur ad peccatum, si confitentem absque ejus consensu cessare a sui ordinis officio non cogit; sed potius magni criminis reus esse videtur, si cogit, quia sic et confitentem poenitere confessionis, et plures nondum confitentes horrere confessionem compellit . Nam satis patet quam minus malum sit cuilibet peccatori ad altare cum amore confessionis peractae et spe misericordiae humili mente accedere, quam se cum odio confessionis et desperatione veniae indurato corde, desiderio aut etiam actu ingerere. Ille itaque cui confessio fit, nequaquam particeps aestimandus est minoris culpae, in qua alium permittit, non consentiendo, sed majorem prudenter praecavendo; majoris vero criminis auctor esse videtur, ad quos multos impellit, etiamsi non volendo, tamen inordinate plus quod minus, quam quod majus erat, timendo. Sed manifestum est quia illi, qui humili contritione superbam verecundiam conculcando semetipsos judicantes, indicenti cessationem sponte consentiunt: multo tutius

ministrant permissi seu etiam jussi, quam illi qui verecundia humana inter Deum et se juste judicare refugiunt; licet is cui confitentur, valde periculosius prohibeat istos invitos, ut supra dictum est, quam illos spontaneos. Et cum utrisque necessarium sit vel ad tempus abstinere, puto quia illi, qui non libenter cessant, ad quod non bene properant, sunt tantum relaxandi; hi vero qui sponte abstinent, ad quod non praesumant, etiam revocandi. Nam in illis, si revocentur, obedientiae tegmine praesumptio palliatur; in istis vero humilitas obedientiae robore adjuvatur. Quae revocatio non indifferenter, sed magna praelati confessionem suspicientis discretione facienda est. Saepe namque contingit ut quis non per immensum criminis horrorem, et per vim humilitatis humanam verecundiam superet; sed per stultitiae tenebras et impudentiae duritiam, foeditatem sceleris et pudorem non sentiat, et per negligentiam officium suum non appetat. Qui autem hujusmodi est, nunquam ad sacrum officium suum aut vocandus aut revocandus est. Sed cum pro ipso poenitente supplicat humilitas, suggerit contritio, intercedit vitae mutatio: tunc nimirum si praelatus non tam de meritis aliquibus, quam de magna misericordia et de multitudine miserationum Dei illum confortans, ad sui usum invitet officii, puto quia non tam temere quam prudenter egisse videatur. Est enim saepe in hujusmodi praevenienda pusillanimitas, excludenda contemptus suspicio, ostendenda benevolentia, exhibenda compassio. Hoc enim modo qui tales sunt quanto benignius, tanto efficacius ad perfectionem provocantur, et tanto strictius in bono proposito ligantur. Potui plura de scriptis Patrum his intexere; sed quia epistolaris brevitas, quae jam se nimis extendi reclamat, non consentit, simpliciter quid de interrogatis sentirem,

paternitati **333** vestrae jussus exposui. Omnipotens Dominus vos, et in his et in omnibus quae vobis agenda sunt, sic in rectitudine veritatis dirigat, ut pro eis seipsum vobis retribuat. Si praesens essem coram vobis, et coram sancta congregatione vestra (de qua multa bona a multis concorditer audio) supplici mente corpus totum prosternerem, et ut me bonorum quae Deus operatur in vestro monasterio, in perpetuum participem in fraterna charitate concederetis, peterem. Sed quoniam ego hoc non possum, praesumo non de meis meritis, sed de vestra sanctitate rogare ut vos hoc pro me non humiliato corpore, sed benigna morte ab eisdem filiis vestris mihi petatis et cum illis concedatis. Valete.

EPISTOLA LVII . AD LANFRANCUM. *De Lanfranco nepote bona rescribit, nec non de Osberno. Et mittit B. Pauli Epistolas.*

Domino et Patri suo reverentiae honore, et amoris affectu matri catholicae colendo archiepiscopo LANFRANCO frater ANSELMUS suus, quod suus.

Licet rarius quam debeat humilitatis meae litteras paterna sanctitas vestra suscipiat, fidelitatem tamen vobis debitam cor meum non alibi quam in seipso scriptam integram servat. De charissimo meo nepote vestro copiosius nuntius vester, qui ea quae circa ipsum sunt, vidit et ab eodem audivit, potest interrogantibus dicere quam epistola mea possit describere. Quod autem ad me attinet, sic me sibi non invitum cum propter vos, tum propter seipsum, ut taceam fraternae

charitatis astrinxit; ut in nullo ejus commodo, quod possim, me velim illi subtrahere . Domnus Osbernus, quem ad se reduci auctoritas vestra jubet, fateor, adeo menti meae glutino dilectionis adhaeserat, ut ejus separationem cor meum nonnisi cum quadam sui scissura toleret. Testis enim est illi non tam stylus meus quam conscientia quia sic nobiscum est conversatus, ut ab omnibus bonae propositum voluntatis sincere diligentibus, plus mereatur affectum charitatis, quam asperitatem alicujus severitatis . Quamvis itaque admonitione non egeat sancta vestra benignitas, quae semper bonis adesse solet, compellit me tamen meritis praefati fratris comparata dilectio toto precari conatu, quatenus non solum quia ipse meruit, sed et quia fidelis servus vester desiderat, desiderando postulat, illum benigne suscipiendo, benigne, nisi aliter vitam ejus ipsi mereri videritis, tractetis. Praeterea, quoniam non audeo dicere ut illum ad nos aliquando remittatis; hoc, ut puto, licenter dico quia nunquam ab eo vivens dissociari vellem. Epistolas beati Pauli vestro mandato libenter parentes vobis mittimus; sed, quoniam quod in eodem codice de vestro opere est, alibi non habemus, satis scire potestis quid vos aliquando factum ire desideremus.

EPISTOLA LVIII . AD HENRICUM.

Domno et amico charissimo, reverendo priori HENRICO frater ANSELMUS, in terra seminare sanctitatem, in coelo metere felicitatem.

Ei commendat Osbernum. Dilectus meus domnus Osbernus vester, qui ad vos redit , sic pristinae vitae perversitatem sponte accusat et exsecratur; atque, inquantum ex ea quam nobiscum habuit conversatione palam et secrete experiri potui, sic vitae laudabilis amore accenditur, ut non immerito interior homo ejus in melius aut jam mutatus, aut procul dubio facile mutandus existimetur. Et vestrae quidem notum est prudentiae quia nunquam tanta benignitatis opus est exhibitione, quanta in nova et rudi de reprobis ad probos mores conversione, ne bona incepta quae nutriri et ad profectum duci possunt per fomenta benignitatis, impediantur aut certe fragantur per austeritatem severitatis. Precor igitur dilectam vestram sanctitatem, quatenus, sicut vestri decet discretionem regiminis et praefato fratri expedit, omnem praeteritae perversitatis ejus dissimulantes memoriam, lacte perspicuae dilectionis propositi nutriatis melioris infantiam, nisi forte, quod non puto, in pristinam non ex infirmitate ostenderit, sed ex voluntate redierit malitiam. Nullatenus enim illi opportunius probatis latuisse dilectionem sub severitate quam sensit in errore, quam si tunc patuerit in erroris correctione. Denique, ut mihi videtur, ad rectae vitae tramitem nullus debet impelli, nisi qui non potest attrahi. Precor etiam, seu, potius exigo ex debito, quod sibi invicem debent amici, ut sicut omnes dilectae mihi fraternitati vestrae dilectos volo diligere, sic domnus Osbernus in adipiscendo meam dilectionem multum sibi gaudet vestram crevisse. Valete.

EPISTOLA LIX . AD GONDULFUM. *De muneribus ab ipso missis gratias agit suo et Hugonis atque Basiliae nomine*.

Suo domino, suo fratri, suo amico charissimo domno GONDULFO frater ANSELMUS, quod suo, suus.

Cum tu non potes precibus monere pigritiam meam ut tibi salutatorias litteras mittam, convertis te ad aliud consilium, et pulsas me tuis donis, ut vel gratias remittam; et quem blanditiae nequeunt ad scribendum attrahere, saltem pudor queat ad gratias agendum impellere. Ago igitur tuae dilectioni, quae dulcis est cordi meo, gratias, non quantum mihi chara sunt dona tua, sed quantum mihi charior est charitas tua, qua fiunt et condiuntur, et quam mihi sapiunt munera tua. Tanto namque charior est mihi charitas tua, quam quidquid mihi donare potes, quanto ea quae donas potes a te longe transmittere, et charitatem non potes a te dimittere. Illa enim possunt sine mare transire; sed ista non potest de corde exire tuo: hanc certe sive dones, sive non dones mihi, aliquid semper scio in te fervere; huic sive loquar , sive taceam, semper scito cor meum simili affectu respondere. Dominus Hugo et domina Basilia uxor ejus magnas sibi gratias agunt pro gratiis tuis quas mandas, pro donis tuis quae mittis, pro orationibus tuis quas pro eis facis, et quas eis promittis. Ego ipse praesentavi eis munera tua, et legi litteras tuas, et retuli verba tua: quae omnia gratissime et laetissime susceperunt.

334 EPISTOLA LX . AD MAURITIUM. *Exigit ab eo epistolas; et eum collaudat quod ab omnibus ubique ametur.*

Domno et dilectissimo fratri et filio MAURITIO frater ANSELMUS, sapientia et gratia proficere apud Deum et homines.

Diu est quod nostris nos invicem litteris non visitavimus, quoniam de soliditate mutuae nostrae dilectionis non dubitavimus; et quia nuntiorum sermonibus, cum opportunum fuit, nos salutavimus. Sed ne qua occasione amor ipse ab aliquo putetur tepere, expedire puto ut aliquando schedulis, quasi scintillis ab invicem emicantibus, videatur fervere. Hoc enim ipso quia desiderantem te desiderans habere mecum non possum; nequaquam minus, sed magis te diligo; quia cum te sic diligi a majoribus et melioribus me , ut te dimittere nolint, video; plus te diligendum intelligo. Unde fit ut pene dubium mihi sit utrum quia sic te facis amabilem, plus gaudeam; an quia tam amabili frui non possum, plus doleam. Verum quoniam scio quia non tantum propter me quantum propter te a me debes amari: soluta quaestione certum est quia plus debeo de bonorum praesentia quae tecum est congratulari, quam de corporis tui absentia quae mecum est contristari. Denique semper, ut Deo et bonis hominibus amabilis esses, desideravi, et pro mea possibilitate, ut mihi conscius es, studui quandiu mecum fuisti: nec tamen desiderium idcirco tepuit, quia studium operari non potuit plus quam mecum, cum non fuisti: verum non ubicunque amaris, esse potes; sed ubicunque sis, amari et bonus esse potes. Ut igitur ibi et talis sis, ubi et qualem te esse vult Deus, et tibi

expedit, salvo tamen mutuo nostro, quod exigit mutuus amor, desiderio, exoretur Deus: et quoniam jam, ubicunque sis, bonis amabilem te fecit benedictus Deus. Saluta dilectos fratres et amicos nostros domnum Herluinum et domnum Guidonem , domnum Elmerum et domnum Hulwardum consobrinum domni Osberni.

EPISTOLA LXI DURANDI AD ANSELMUM. *Laus Meditationum Anselmi, a quo exigit B. Paulis Epistolas*.

DURANDUS sola dignatione Dei abbas Casae-Dei domino ANSELMO aeternam salutem.

Bajocenses duo litteris imbuti, juvenes praeclarae habitudinis in omni modo se habendi; minor eorum vocabulo est Rogerius, alter est Willelmus: duo illi, et praeter eos, plures, sed maxime illi distillarunt auribus nostris oleum et suavitatem tui et nominis et religionis. Deinde: *Terret me vita mea; namque diligenter discussa* , cum eo quod sequitur, scriptum hoc, et praeter hoc, alia piissime de contrito spiritu tuo, et de pietate contriti tui cordis edita et scripta, pias praestant nobis lacrymas tuas legere, nostras edere; ita ut utrumque miremur et in corde tuo redundare tantae rorem benedictionis, et sine susurro descendere inde rivum in cordibus nostris. Nam ita est vere: pietas scriptae tuae orationis excitat in nobis pietatem sopitae compunctionis; adeo ut quasi mente prosiliendo congaudeamus, ea diligendo in te, vel potius in eis te; super ea , et per ea Deum et te.

Intercede igitur, quia intercedere potes, pro nobis intercedentibus pro te ut possumus; et mitte alia, si qua habeas, a te scripta, quae non habeamus, notus et rogatus in dilectione, quae continua est nobis utrobique. Rogamus etiam in corpore ipso congregationis unitatem societatis, et te pro nobis in eo fungi legatione mittimus; quia redundans tu charitate fideliter poteris hoc rogare, et rogata ipse dare. Parati etiam nostrae dilectionis dare pignus, pignus exigimus a vobis: vos eligite quod possumus, a nobis; nos eligimus Epistolas Pauli a vobis. Neque praetendimus in eo dolos quasi primi parati accipere, et non primi parati dare, quod remotissimum est a sacramento dilectionis, quae Deus est. Verum ardentes charitate non praevidemus quomodocunque postulemus, omnibus sanctae hujus professionis parati nos et nostra commode petita non negare. Hi igitur duo fratres tui desiderio accensi te opitulantem habeant in omnibus, quia de te pendet voluntas omnium in omnibus.

EPISTOLA LXII . AD DURANDUM. *Respondet praecedenti*.

Domino et Patri merito sanctitatis, cum amore reverendo, cum reverentia amando, DURANDO abbati coenobii quod dicitur Casa-Dei frater ANSELMUS Beccensis, vita peccator, habitu monachus: sic in hac vita perseverare in proficienti sanctitate, ut in futura gaudeat in sufficienti felicitate.

Vestrae paternitatis epistola percepta, magnum se cordi meo gaudium infudit: sed vita mea respecta, non solum idem se gaudium fere totum de corde meo refudit; sed insuper dignus moeror mentem meam graviter perfudit. Nam ex eo quod vestram sanctitatem me ignotum homunculum adeo dilexisse cognovi, ut me suis litteris de tam longinquo visitare et salutare dignaretur, non immerito sibi visa est mea debere exsultare humilitas. Sed, cum considero me nequaquam a vobis diligi, nisi quia existimatis me aliquid esse, cum nihil sim, intelligo quia non diligitis vilem et contemptibilem coram Deo et hominibus personam (quod ego sum), sed strenuum et alicujus virtutis virum, quod ego utique non sum. Quapropter timens non solum ne mihi nihil aut parum prosit vester amor, quia non sum quod diligitis, sed ne mihi nimium obsit meus tepor, quem in me non cognoscitis; precor, obsecro ut me putetis aut ametis, quasi jam alicujus spiritualis provectus sim; sed ad hoc me diligite, diligendo orate ut sim. Sic enim vestra erit et vera de me aestimatio, et vera erga me dilectio, et secura mihi de vestro amore exsultatio. Rogo itaque, quanta possum humilitate, reverendam paternitatem vestram, agite sanctis vestris precibus, quatenus et quod ego adhuc noxie sum, a me auferatur, et quod nondum utiliter sum, mihi tribuatur, et vobis, quod misericorditer indigenti proximo impenditis , retribuatur. Nostras vero pro vobis orationes, quia perviles sunt, reverendae vestrae beatitudini promittere non audeo; sed eas, quia poscere dignamini, negare non debeo. Quare si aliquid vel sunt, vel vestris suffragantibus meritis futurae sunt, in vera charitate vestrae sint, et sanctorum, qui monasterii vobis divinitus commissi vel sunt, vel futuri sunt. Et quamvis aut nimium quid, aut nihil sit quod vobis ex me concedo, aliquid tamen magnum a vobis

deposcere **335** praesumo. Prosternit itaque se mens mea coram reverenda vestra paternitate, et coram omnibus vestrae sanctae congregationis fratribus, humili supplicatione rogans, quatenus me servum vestrum, vestri monasterii fratrem, velut unum ex vobis in perpetuum concedatis, et nomen meum ultimum ubi vestra scripta sunt nomina subscribi faciatis. Ea vero, quae vestris mandatis respondentur et quae mandantur, reverendi domini et fratres nostri filii vestri qui ad nos venerunt, melius loquendo quam nos scribendo narrabunt. Omnipotens Deus sic vos det conversari in Casa-Dei in hoc saeculo, ut inter beatos qui habitant in domo Dei in saecula saeculorum laudetis Deum, domine Pater, et domini in Christo fratres. Amen.

EPISTOLA LXIII . AD LANFRANCUM. *Ut examinet editum a se Monologium*.

Domino servus, Patri filius, reverendo archiepiscopo LANFRANCO frater ANSELMUS.

Opusculum illud quod paternae vestrae censurae misi, libentius ipsemet, si opportunum fuisset, coram ipsa examinandum legissem. Quod quia nunc esse non potest, vellem multum precari quatenus dulcis mihi paterna vestra prudentia illud non dedignaretur vel quolibet alio legente audire, et quod ex eo fieri deberet praecipere, nisi timerem indiscrete molestus esse dignitati vestrae, quam multis magnisque rerum majorum consultationibus indesinenter occupatam non dubito. Quapropter, quoniam nihil sic mihi

volo placere, ut vobis displiceat, sicut solius est vestrae experientiae judicare, quantum vobis hoc quod me multum velle significo, liceat; ita sit vestri arbitrii eligere utrum vobis id libeat. Hoc tamen etiam cum importunitate a vestra auctoritate non desinam exigere, quatenus de eodem opusculo, sive audito, sive inaudito, qui fieri debeat, vestra decernat auctoritas. Titulum autem nullum illi praeposui: quippe quod nequaquam tanti existimavi, ut illud suo nomine dignarer. Si igitur vestro sederit arbitrio ut quod scripsi scripserim; a quo habebit firmitatem, ab eo habeat et nomen: et per vos detur servo vestro, dilecto fratri et conservo meo domno Mauritio, qui unus est ex illis quorum maxime factum est instantia. Si autem aliter vestro placuerit examini, exemplar quod vobis mitto, nec mihi nec praefato fratri reddatur; sed aliquo elemento aut obrutum, aut demersum, aut consumptum, aut dispersum de medio fiat. Quidquid autem inde vestro placuerit judicio, ut mihi aliquo modo notum fieri jubeatis, efflagito: quatenus exemplar quod retinui non aliam sortiatur sententiam, quam illud quod misi. De dilectissimo meo, nepote vestro, et corde et ore et epistola, quantum possum, deprecor ut cum primum illum sanitatem recepisse cognoveritis, nequaquam ejus me amabili conversatione diutius carere faciatis. Verum quippe dico vobis, talem se exhibuit mihi, et cunctis nostris bonos amantibus mores praesentem, ut illum, si absque ulla sua incommoditate, quam nullo modo volumus, reduci possit, desiderare cogamur absentem.

EPISTOLA LXIV . AD HENRICUM. *Obedientiam et patientiam consulit*.

Domino et fratri charissimo, domno priori HENRICO frater ANSELMUS; per diuturnam bonam vitam mereri aeternam beatam vitam.

Domnus abbas et fratrum vestrorum congregatio laeti susceperunt, laudaverunt, amaverunt munera vestrae charitatis; sed multo utique magis ipsam charitatem, quae nunquam non vult quantum potest, et semper vult plusquam potest. Gratanter quoque suscepit domnus abbas, et gratanter legit et audivit mea parvitas, quod prudentia vestra consilium ejus et patris, et meum ut fratris petivit, et secundum illud per omnia se facturum promisit. Sic nempe decet sapientem, sapienti scilicet uti consilio. Sapiens quippe consilium est, sicut scitis, quod consulit omnia facere cum consilio. Cum igitur totum rei, de qua consulitis , consistat consilium in obedientia et patientia; et scriptum sit quia obedientiam mavult Deus quam sacrificium **(I Reg. XV, 22)**. et quia *patientia opus perfectum habet* **(Jac. I, 4)**, nullius justius petitis et suscipitis consilium quam illius cui debetis obedientiam; et nullum servatis perfectius, quam cum fortiter tenetis patientiam. Hoc igitur consulit domnus abbas, hoc rogat, et ut non solum consulenti et roganti vestra strenuitas acquiescat, quod est laudandum: sed et praecipienti obediat, quod est coronandum: hoc praecipit, hoc ergo frater et amator vester consulo et flagito, ut totius vitae status his duabus nitatur columnis, scilicet obedientia et patientia. Et quidem de patientia. bene novit dilectio vestra quod non solum cum

meritus punitur, violenter est exigenda, sed etiam cum immeritus affligitur libenter est exhibenda. Ibi enim exsecranda est impatientia, ne nocens infelicius damnetur: hic servanda est patientia, ut innocens felicius coronetur. De obedientia vero hoc mandat domnus abbas, quod nec dubitare vos arbitror; quoniam quidquid reverendo domino ac Patri nostro archiepiscopo Lanfranco obeditis, sic illud accipit, velut si sibi obediretur: imo tanto gratius quam si sibi obediretis, quanto ipse per semet illi obedire desiderat; et quanto in eo quod non solum ipsi, sed et alii propter ipsum obeditis: majorem ipsam vestram obedientiam considerat. Quanquam si consideremus nos et illum, cui vos obedire invitamus, multa procul dubio in nobis et in illo sint cur nos illi sponte studioseque obedire debeamus. Valete.

EPISTOLA LXV . AD MAURITIUM. *De Mauritii ex Anglia reversione Beccum, et de Monologii correctione*.

Domno et fratri, filio charissimo MAURITIO, frater ANSELMUS, servi reverentiam, fratris affectum, patris diligentiam.

Semper te, dilectissime fili, desidero, semperque te me desiderare non dubito. Sed, quoniam neuter nostrum suus est, nec sumus invicem alter alterius nisi per charitatis affectum, consulo et hortor quatenus quandiu hi, quos nobis praeposuit divina dispositio, nos jusserint esse separatos, nullam contra voluntatem **336** eorum exquiramus cohabitandi accelerationem: et si benigne nostro desiderio consenserint, nullam inferamus dilationem. Quapropter quod audivimus per

domnum Robertum, quia dominus noster archiepiscopus promisit se nobis remissurum in proximo tuam dilectionem: si benigne tuae favet voluntati, nec domno abbati displicet, et mihi valde placet. Si autem non benigne favet supplicanti, sed eum aliquo rancore permittit extorquenti; nec domno abbati nec mihi placet ut sic redeas. Scripturam, quam te instante et quibusdam aliis fratribus feci, et quam tu tibi debere transmitti precaris, domino et Patri nostro archiepiscopo examinandam per domnum Robertum mitto; et per epistolam illum rogo, ut si illum destrui debere non jusserit, tibi reddat exemplar quod suscipit. Roga igitur eum, si in proximo rediturus es, ut priusquam redeas. praecipiat de eadem scriptura quod praecepturus est, quatenus aut confirmatam eam tecum deferas, aut destructam esse mihi referas. Quod si illa suscepta redire tardaveris, mitte mihi exemplar illud quam citius per fidum nuntium poteris: quatenus si quid in eo idem dominus noster archiepiscopus correxerit, secundum illud corrigatur etiam illud quod mecum retinui, et ego unum ex his duobus tibi cito remittam. Si vero sic sententiam confirmationis idem opusculum susceperit, ut nullius correctionis indigere judicetur, tene missum exemplar quandiu volueris: tantum, sive ita sit, sive aliter, quidquid inde dominus noster archiepiscopus judicaverit, aut quo nomine illud titulari jusserit, manda mihi per epistolam cum primum poteris. Saluta dilectum fratrem nostrum domnum Herluinum, et hortare eum de vice mea, quatenus a bono incepto, quod in eo vidi, nuliius transitoriae delectationis amore deficiat: sed sicut de die in diem ultimae diei appropiat, sic quotidie ad contemptum temporalium, et amorem aeternorum proficiat. Saluta domnum Arnulfum Belvacensem, domnum Hulvardum Anglum consobrinum domni Osberni, et domnum

Vitalem, domnum Rogerum, fratrem Samuelem, Cadomenses. Vale. et profice in Domino semper, charissime.

EPISTOLA LXVI . AD LANFRANCUM. *Guidonis Beccensis neophyti reditum in Northmanniam concupiscit*.

Amico suo dilectissimo et dilectori fidelissimo LANFRANCO frater ANSELMUS, corporis et animae perfectam salutem.

Quoties vestrae dulcis mihi reminiscor dilectionis, utique taedet me tam longae vestrae dilationis. Quamvis enim hactenus spes vestrae recuperandae salutis maxime consolata sit cordis mei angorem de vestra absentia, jam tamen nequeo non contristari, quia tam longe et vobis ipsa sanitatis perfectio, et mihi vestra differtur amabilis praesentia. Etenim, non sicut vulgo dici solet, quia quod longe est ab oculis longe est a corde: non inquam, sic quanto benigna vestra mansuetudo longius vel loco et tempore a me abest, tanto amor ejus in me tepescit; sed quanto minus illa frui pro voto possum , tanto magis desiderium ejus in veri dilectoris vestri mente fervescit. Quapropter quamvis cum illo sitis, de quo nec audeo dicere quod vos tantum diligam, quantum ille, nec debeo exigere ut me tantum diligatis, quantum illum: tamen rogare praesumo quatenus, quando primum cum ejus benigna concessione et sine vestro incommodo poteritis, vestro reditu me vestrum amicum laetificetis. Saluto vobiscum dominum et fratrem meum charissimum dominum Guidonem: quem certe, ut

simpliciter conscientiam cordis mei aperiam, mecum esse per amorem desidero indesinenter, et per obedientiam mecum non esse tolero nisi impatienter. Quem, ut dilectus dilectum, moneo et precor ut studiose inter ipsas suas occupationes vitam suam discutiat: et in bonis, quae de illo ab omnibus inde venientibus audio, quotidie proficiat: et si qua in eo adhuc veteris hominis supersunt vestigia, ab his assidue deficiat. Ambo valete.

EPISTOLA LXVII . AD ROGERIUM *Praestolatur venturum Rogerium*.

Suo in Christo dilecto, desiderato, sperato, exspectato ROGERIO, frater ANSELMUS suus dilectus: quod Deo gratius et sibi est salubrius prudenter eligere, perseveranter tenere, feliciter consummare.

Quod solius Dei commisimus consilio, non audeo proprio decernere arbitrio. Licet mihi tamen meum promere desiderium: utique vexat me dilatio tua. utique torquet me exspectatio tui longitudine sua. Etenim nec vult nec potest cor meum oblivisci, quam certo non dico promisisti, sed praedixisti mihi me posse exspectare te rediturum et mansurum. Et certe quod dixisti, serio dixisti. Ergo intendunt *oculi mei in eloquium tuum dicentes: Quando consolaberis me?* **(Psal. CXVIII, 82.)** Utinam non fallar, quoniam speravi in te; utinam non erubescam, quoniam exspectavi te; utinam non mirentur, nec dicant illi, quos praemisisti primitias fructus tui, et pignus adventus tui. Cur

eos impegeris illue, quo eos vel praecedere vel subsequi comtempseris; praesertim cum ipsi libentissime sint ad nos ingressi, et a nobis suscepti spe tuae subsecutionis. Dirigat Dominus in conspectu suo viam tuam **(Psal. V, 9)**; et directo corde tuo, *tribuat tibi Dominus secundum cor tuum et omne consilium tuum confirmet* **(Psal. XIX, 5)**.

EPISTOLA LXVIII . AD LANFRANCUM. *De nonnullis a Lanfranco animadversis in Anselmi opusculo; quae ipse sancti Augustini auctoritate propugnat*.

Suo domino et Patri, amore et reverentia filiorum, Ecclesiae catholicae digno archiepiscopo LANFRANCO frater ANSELMUS suus subjectione servus, affectu filius, doctrina discipulus, quod melius potest.

Gratias immensas agit cor meum vestrae celsitudini, quae inter tot et tantas suae dignitatis occupationes nec gravatur nec dedignatur otiositatis meae verbositatem paterna benignitate attendere, et benigna sapientia corrigere. Quod enim rogatis ne pro his erga vos dilectio mea tepescat, quia teste Deo et sanctis ejus hoc dilectione facitis; et ego utique hujus rei conscientiae vestrae testis sum. Absit ergo ut mihi sit molestum suscipere consilium, quod de transmarinis partibus et ego magno desiderio peto , et vos sincera dilectione mittitis. Gratanter itaque paternam admonitionem vestram suscipio, et humiliter responsionem nostram suggero. De illis quidem, quae in illo opusculo dicta sunt, quae salubri sapientique

consilio **337** monetis in statera mentis solertius appendenda; et cum eruditis in sacris codicibus conferenda; et ubi ratio deficit, divinis auctoritatibus accingenda, hoc et post paternam amabilemque vestram admonitionem, et ante feci, quantum potui. Nam haec mea fuit intentio per totam illam qualemcunque disputationem, ut omnino nihil ibi assererem , nisi quod aut canonicis, aut beati Augustini dictis incunctanter posse defendi viderem: et nunc quotiescunque ea quae dixi retracto, nihil aliud me asseruisse percipere possum. Etenim ea quae ex eodem opusculo vestris litteris inseruistis, et quaedam alia quae non inseruistis, nulla mihi ratiocinatio mea, quantumlibet videretur necessaria, persuasisset ut primus dicere praesumerem. Ea enim ipsa sic beatus Augustinus in libro *De Trinitate* suis magnis disputationibus probat, ut eadem quasi mea breviori ratiocinatione inveniens, ejus confisus auctoritate dicerem. Quod dico, non aliquid eorum quae dixi apud vos defendendo; sed ea me non a me praesumpsisse, sed ab alio assumpsisse ostendendo. Quomodocunque enim sese habeant, scriptura ipsa vel servandi vel delendi de vestra auctoritate jussionem exspectat. Quaedam tamen, quae ibi dixi, melius aliter potuisse dici, et a me sic esse dicta non bene ut facilius possint intelligi male quam bene, et sic diffide de mea insipientia ut non negem; et sic confido de vestra sapientia ut ea posse corrigi sperem. Quapropter quod de eodem opusculo vobiscum conferendo dicitis, utinam secundum benignam voluntatem Dei fieret, ut et de illo et de quibuscunque vellem liceret.

EPISTOLA LXIX . AD GONDULFUM. *De pontificio honore gratulatur*.

Olim dilectissimo fratri, nunc dulcissimo Patri, olim et nunc reverendo domino venerabili episcopo GONDULFO frater ANSELMUS semper suus, sic explere episcopale officium, ut aeternum consequatur beneficium.

Antequam mihi liceret dulcissimae sanctitati vestrae litteras exsultationis pro vestra exaltatione mittere, audivi quod non ad regimen, sed ad laborem; non ad jucunditatem, sed ad tribulationem vobis provenerat pontificalis electio. Ex una igitur parte volo vestrae paternitati congaudere, sicut illi enjus praeteritam vitam divina gratia sibi placere ostendit, in hoc quod vos inter principes Ecclesiae suae connumerare dignatur. Ex altera vero parte cogor vestrae fraternitati condolere, veluti illi qui eo ipso quo magis exaltatus est, majori tribulatione gravatur. Sed item cum considero quoniam, teste divina Scriptura, de tribulatione nascitur patientia, quae *opus perfectum habet* **(Jac. I, 4)**; et *probatio*, quae operatur *spem, quae non confundit* **(Rom. V, 4)**: utique non intelligo non tantum esse condolendum vestrae sanctitati in tribulatione, propter laborem quem ex illa suscipitis, quantum congratulandum propter perfectionem et spem, ad quas per illam proficitis. Gloria igitur in excelsis Deo, cui vita vestra sic placuit, ut eam ad exemplum exaltaret; et Gloria in excelsis Deo, qui sic vos dilexit, ut vos in igne tribulationis collocaret; quatenus opera vestra usque ad perfectionem, et spem vestram usque ad debitum robur excoqueret. Nam si *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* **(Rom. VIII, 28)**, cur diligentes eum non in omnibus exsultantes

gratias agant pro bono? Sic tamen hoc agere debent, ut quoniam nescit homo *utrum amore dignus sit an odio* **(Eccle. IX, 1)**, serviant Domino in timore, et exsultent ei in tremore. Hoc tamen omnis servus Dei observare debet, ne tribulationem putet quod tribulatio non est. Ne cum id quod nec sentire debet, tribulationem deputat, ibi judicandus sit eo ipso quod dolet quod dolere non debet, ex infirmitatis teneritudine succubuisse; ubi se putat per patientiae fortitudinem superavisse. Sic enim aestimando se esse aliquid, cum nihil sit, ipse se seducit. Hortor itaque sanctitatem vestram, ut nullo modo tribulationem putetis, quod nec corpus nec animam laedit. Nec si adversitas earum rerum quas servus Dei contemnere debet, vos contristat, probetis vos plus quam oportet transitoria diligendo, minus quam decet aeterna diligere. Aperte enim unusquisque homo ostendit se ea diligere, quorum laesionem pati non potest sine tristitia. Nemo enim molestiam pati existimat, nisi cum in his quae diligit adversitatem tolerat. Dilectum fratrem nostrum Richardum ea qua possumus charitativa sollicitudine vestrae paternitati commendo; quatenus non illi obsit, quod a nostra conversatione sejungitur; sed magis illi prosit, quod vestrae familiaritati conjungitur.

EPISTOLA LXX. AD MAURITIUM. *Commonet ut absentiam sui patienter toleret, quandiu Deus de illis sic disposuerit.*

Domino, fatri charissimo, domno MAURITIO frater ANSELMUS, Deo placere et hominibus.

Licet quo te magis diligo, eo te magis mecum velim habere; plus tamen inde diligo, unde te non possum habere. Quoniam enim te non tam mihi quam Deo et tibi diligo; plus te diligo, quia talem te exhibes, ut qui te habent difficile velint dilectum remittere; quam si facile vellent neglectum dimittere. Precor itaque te ut fratrem, et moneo ut filium charissimum ea cura et diligentia, quam me semper erga te habuisse bene mihi es conscius; quatenus magis ac magis ad mores bonos proficias, et separationem nostram, quandiu jubebit noster dominus et Pater venerabilis archiepiscopus Lanfrancus, mecum patienter, ut divinam dispositionem, toleres, nec in aliquo id, unde te magis diligo, per impatientiam minuas. Quamvis namque te valde diligam et desiderem, ut mihi mecum conversando cohaereas, plus tamen opto ut bonis moribus indissolubiliter inhaereas. Tota igitur cura tua sit, ut ubicunque sis sic vivas, ut bonum hominem et servum Dei decet: et certus esto quia Deus tibi providebit quod tibi expediet.

EPISTOLA LXXI . AD PAULUM. *Laetatur de ejus provectione ad abbatiam B. Albani; et qualiter in ea se gerere debeat praescribit.*

Domino et Patri, abbati reverendo et diligendo PAULO frater ANSELMUS sic sancte vivere in temporali prosperitate, ut beate vivat in aeterna felicitate.

Gloria in excelsis Deo, cujus conspectui sic in occulto vita vestra placuit ut eam ad exemplum **338** in aperto sublimaret, et eam de terra ad coelum per semitam virtutum tendentibus per viam constitueret: quatenus non solius suae sanctitatis retributione in regno coelesti laetetur; sed pro multis quos Deo lucrabitur, gaudium illi felicitatis aeternae multiplicetur. Quamvis enim barbaris vestra praelata sit sanctitas, quos verbis docere propter linguarum diversitatem non potestis, non tamen omnino vos apud districtum Judicem excusare valetis, si alios lucrari Deo negligitis. Quod enim illis sermone non potestis dicere, vita potestis ostendere. Tanto namque efficacius bonum exemplo, quam verbo persuadetur, quanto boni mores in tacente diliguntur, et facundia in torpente contemnitur. Plus itaque studere diligi ab omnibus mansuetudine et misericordia quam timeri nimis austera et nulli parcente justitia. Gaudeant cujuslibet ordinis homines vobis commissi sese commendatos esse Patri et pastori: non horreant sese traditos esse tyranno et exactori. Laetentur affines consultorem et adjutorem sibi a Deo venisse; non conquerantur alienarum rerum invasorem, aut persecutorem a sinistra parte irruisse. Sunt enim multi praelati nostri ordinis, qui quasi solliciti ne destruatur res Dei in manibus eorum, agunt ut dissipetur lex Dei in cordibus eorum. Nam tantum conantur esse prudentes, ne decipiantur ab aliis ut fiant astuti ad decipiendum alios. Adeo sunt cauti, ne fiant prodigi, et quae habent irrationabiliter perdant ut avari fiant, et quae servant, inutiliter putrescant. Sic studiose servis et pauperibus Dei et sancto loco semper satagunt aliquid acquirere ut dolose semper alicui tentent aliquid auferre. Sic animantur zelo corrigendi stultos ut accendantur crudelitate, aut cupidine colligendi nummos. Haec igitur vestra prudentia sollicite

caveat. Ita exteriora vobis commissa disponite, ut interiora vestra mandata Dei disponant, et semper mens vestra dicat Deo: *De vultu tuo judicium meum prodeat* **(Psal. XVI, 1)**. Sic vos defendite per prudentiam a nocentibus, ut per simplicitatem nulli velitis nocere, sicut Scriptum est: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae* **(Matth. X, 16)**. Sic custodite res monasterii vestri, ut non obliviscamini quod scriptum est: *Si quis habens substantiam mundi viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* **(I Joan. III, 17.)** Et alibi: *Date et dabitur vobis* **(Luc. VI. 38)**. Sic easdem res augere curate, ut a mente non excidat: *Non concupisces rem proximi tui* **(Exod. XX, 17)**. Taliter peccantes arguite, ut nec crudelitas adsit, nec avaritia, quia scriptum est: *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spiritales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis: considerans te ipsum ne et tu tenteris* **(Gal. VI, 1)**: Et rursus: *Neque avari regnum Dei possidebunt* **(I Cor. VI, 10)**. Non id circo haec, dilectissime mihi, vestrae paternitati scribo, quod putem vos aliter agere; sed quoniam et vos jussistis, et ego volui ut litterae nostrae vos sequerentur: quod ut fieret, necesse fuit aliquid dicere.

EPISTOLA LXXII . AD HUMFRIDUM. *Orat ut ejus institutioni vacet qui suas ad eum epistolas defert.*

Domno et fratri in Christo charissimo HUMFRIDO frater ANSELMUS Beccensis, vita peccator, habitu monachus, terrena pro coelestibus despicere, coelestia pro terrenis percipere.

Primum gratias ago, et debitam dilectionem retribuo pro vestra gratuita benevolentia, quam in vobis erga me hujus lator schedulae se cognovisse affirmat. De qua non parum ipse confidens multum me rogat, ut illum apud vestram dilectionem adjuvem quatenus vestrae doctrinae beneficia quae illi misericorditer impenditis, nostris precibus invitati intentius impendatis. Quod si vobis esset aut noxium aut inutile, non dicam pro alio, sed utique pro me ipso; aut nullatenus, aut vix rogare praesumerem. Nunc autem, quoniam nec noxium nec inutile est sed incomparabiliter utilior vobis erit divina retributio, quam huic vestra largitio: nec audacter, nec impudenter, ut aestimo, sed amicabiliter precor et obsecro quatenus reminiscamini quod scriptum est: *Gratis accepistis, gratis date* **(Matth. X, 8)**. Nam etsi ab homine forsitan, ut vos doceret, emistis; auribus quidem instrepere ille potuit; sed cor ad intelligendum aperire non potuit, nisi Deus, cui nullus prior dedit ut retribueretur ei. Si enim amicos qui nos *recipiant in aeterna tabernacula*, facere jubemur *de mammona iniquitatis* **(Luc. XVI, 9)**, quanto magis de intelligentia veritatis. Quod si pro me nihil facere vultis, quia nihil mihi debetis; vel facite ut me debitorem vestrum faciatis. Haec locutus sum pro alio; sed pauca pro vestra dilecta fraternitate, pro qua plura vellem, subjungam. Mementote, charissimi, et sine intermissione mente pertractate quod scriptum est: *Nolite diligere mundum nec ea quae in mundo sunt; quoniam mundus transibit et*

concupiscentia ejus **(I Joan. II, 16, 17)**. Et quia *amici saeculi hujus, inimici Dei constituentur* **(Jac. IV, 4)**. Rogo, obsecro, nolite credere mundo, etiam cum favet; quoniam non favet ut foveat, sed ut suffocet. Mundus enim in tenebris est, et gloria ejus non est gloria, sed ignis vorans. Nolite ergo, charissimi , nolite currere in eam, sicut papilio volat in nocturnum ignem; quoniam quem demulcet claritate hunc postea torquet ustione. O quanto consultius, quanto felicius relinqueretis mundum, et sequeremini Christum! ut *cum in majestate sua venerit* Christus, judicaretis mundum cum Christo **(Matth. XXV, 31)**; et *centuplum* recipientes, *vitam aeternam* possideretis **(Matth. XIX, 29)**: quod utinam fiat. Amen.

EPISTOLA LXXIII . AD IDAM. *Commendat eam a charitate in Beccenses et quoslibet*.

Suae reverendae et charissimae dominae, generis simul et vitae nobilitate clarissimae comitissae IDAE frater ANSELMUS, de virtute in virtutem proficere, de terrena dignitate ad coeleste regnum ascendere.

Ut taceam alia vestra bona opera, per quae nomen vestrae nobilitatis longe lateque circumquaque suavi sanctitatis fragat odore: certe hominibus cujuslibet ordinis ad vestrum monasterium, vel de nostro monasterio euntibus, tot et tanta impenditis beneficia: ut sic jam illis simus assueti, et sic nobis sint familiaria; quatenus vobis possit esse onerosum si gratias vobis, verbis, vel litteris mandemus per singula, nec in nobis

sit quod retribuere possimus secundum vestra merita. Quapropter ad Deum vos mittimus, et illum inter nos et vos ponimus, ut, sicut propter illum facitis quod facitis, ita ipse vobis retribuat pro nobis, quibus facitis. Instante tamen illo fratre, quem a suis perditum nobis misistis, et in magna desolatione benignissimam exhibuistis consolationem: hanc reverendae sanctitati vestrae scripsi epistolam, in qua cognosceretis quia non aliter mihi gratum est quod illi fecistis, quam si mihi ipsi esset factum: et quia verum est quidquid ipse et de suo casu dixit; et quia praeceptum vestrum in omnibus quae nobis per illum mandastis servavit: et vester homo secundum vestram jussionem illi fideliter serviendo benigne **339** illum ad illos perduxit. Retribuat vobis Deus pro his et aliis vestris bonis operibus beatitudinem sempiternam. *Bonum autem facientes* nolite deficere, *tempore enim suo* metetis *non deficientes* **(Galat. VI, 9)**.

EPISTOLA LXXIV . AD RAINALDUM. *De non evulgando passim Monologio*

Domino et Patri reverendo abbati RAINALDO frater ANSELMUS salutem.

Opusculum illud, quod a me tanto studio de tam longe petitis nequaquam vobis mitterem, si vestrae voluntati non obedire potuissem. Timeo enim ne, cum venerit in manus aliquorum qui magis sunt intenti reprehendere quod audiunt, quam intelligere: si forte ibi legerint aliquid quod antea non

audiverunt, nec animadverterunt, statim clament me inaudita et veritati repugnantia scripsisse. Quibus cum longe positus respondere non potero, non solum ipsi veritatem negando, veritati se favere opinabuntur; sed et aliis temere, antequam audiant quid sit quod ipsi reprehendant, credentibus, me falsitatis assertorem persuadebunt. Jam enim talium passus sum nimis acceleratam reprehensionem, ex eo quod secutus beatum Augustinum dixi de personis et de substantia Dei. Qui tamen nunc cognoscunt se non considerate reprehendisse; et hac occasione quod prius non animadvertebant, gaudent se cognoscere. Nesciebant enim sic non dici proprie de Deo tres personas, quomodo tres substantias; quadam tamen ratione, ob indigentiam nominis proprie significantis illam pluralitatem, quae in summa Trinitate intelligitur, Latinos dicere tres personas credendas in una substantia; Graecos vero non minus fideliter tres substantias in una persona confiteri. Quapropter vestram vehementer efflagito sanctitatem, ut idem opusculum non verbosis et litigiosis hominibus, sed rationabilibus et quietis ostendat. Quod si contigerit ut aliquis sic aliquid ibi reprehendat, ut ejus ratio digna vobis cui responderi debeat, videatur: rogo ut mihi quid, quave ratione reprehendat, charitative aut ejus aut vestris litteris mandetis; quatenus, charitatis pace et amore veritatis utrinque servato, aut me illius reprehensio, aut illum mea corrigat responsio.

EPISTOLA LXXV. AD GILBERTUM. *Se amici absentiam aegerrime ferre.*

Domno, fratri, amico, dilecto dilectori GILBERTO frater ANSELMUS, quod scribere non valet.

Dulcia mihi sunt, amice dulcissime, munera dulcedinis tuae: sed nequaquam consolari possunt desolatum de te cor meum a desiderio dilectionis tuae. Certe si mittas omnem aromatum odorem, omnem metallorum nitorem, omnem lapidum pretiositatem, omnem texturae varietatem, renuet; imo non poterit consolari a scissura sua, nisi recepta altera parte sua scissa anima mea. Testis est angor cordis mei hoc ipsum cogitantis; testes lacrymae obtenebrantes oculos, et rigantes faciem et digitos idipsum scribentes. Et quidem tu sciebas, sicut ego ipse, erga te dilectionem meam, sed utique ego ipse nesciebam eam. Qui nos scidit ab invicem, ille me docuit quantum te diligerem: vere non habet homo scientiam boni vel mali, qui non experitur utrumque. Nesciebam enim non expertus absentiam tuam, quam dulce mihi erat esse tecum, quam amarum sine te esse. Sed tu habes ex ipsa nostra disjunctione praesentem alterum, quem non minus aut certe plus amas; mihi vero tu, tu, inquam, es ablatus, et nullus pro te oblatus. Te igitur in consolatione tua gaudente, solum mihi vulnus remansit in mente: forsitan gaudentes de te offenduntur a me ista tibi dicente. Sed si ipsi gaudent, quod desiderabant tenentes; cur prohibent vel dolere quod semper amat perdentem? Ex se excusent me, si me vident in se. Alioquin vel tu intellige quam compatienter, quam consolanter ipsi haec faciant: et unde mitescat dolor meus, quem nemo vult consolari qui potest, nemo potest qui vult. Sed ille qui omnia quae vult potest, sic consoletur me, ut nullum contristet; sic nullum contristet, ut amorem tui integrum ubique conservet. Amen.

EPISTOLA LXXVI . AD GUALTERUM. *Gratias refert: et de propositae quaestionis solutione se excusat.*

Domino sponte diligenti, merito dilecto, non ut ignoto sed ut familiari amico GUALTERO frater ANSELMUS, quod suus.

Si cor meum esset lapide durius et glacie frigidius, utique deberet calescere igne vestrae dilectionis, et mollescere oleo vestrae dulcis allocutionis. Tanto namque flagrant charitatis ardore, tanto fragrant benignitatis odore, tanta suavitate sunt jucundae, sic sunt salubris admonitionis fecundae litterae quibus meae parvitati vestra dignata est se notificare dulcis dilectio, et dilecta prudentia, ut nolit quiescere mens mea, donec videant oculi mei vultum ejus, et audiant aures meae vocem ejus, et fruatur anima mea praesentia ejus qui me tanto ignotus ignotum amore gratis anticipavit, qui me tam utiliter absentem litteris exhortari ad profectum studuit, qui me tam prudenter bona, si qua sunt in me, custodire praemonuit. Et utinam sic vera esset existimatio, quam fama hominum temere loquentium quod nesciunt de me vos docuit; quomodo necessaria mihi est vestra admonitio, quae ex abundantia bonae voluntatis et ex prudenti intuitu humanae fragilitatis processit. Per omnia benedictus Deus, qui vos tanta charitate ditavit, tam charitativa sollicitudine incitavit. Videat ipse desiderium meum, ut aliquando merear in Deo placita conversatione sic vestra societate laetari, ut nulla possimus viventes mutatione dissociari. De quaestionis solutione quam

a me scribi poscitis, scitote quia nec otium nec facultatem habeo, ut ad hoc credam me sufficere. Habetis vobiscum domnum et Patrem nostrum reverendum abbatem Gerbertum, qui vobis de ea, quam scripsistis, quaestione, et de aliis pro quibus vos velle meam adire parvitatem significastis, melius potest praesens colloquendo, quam ego vel loquendo, vel scribendo satisfacere. Precor tamen, ne despiciendo meam fatuitatem, contemnatis visere nostram charitatem. Plus enim debet amari charitas quam scientia. *Scientia enim inflat, charitas vero aedificat* **(I Cor. VIII, 1)**. Denique quoniam utilis omnis scientia pendet ex charitate: *Ex ea quippe universa lex pendet, et prophetae* **(Matth. XXII, 40)**. Et quoniam *ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine* **(Matth. XVIII, 20)** veritatis, ibi ipsa se esse in medio eorum dicit consilio in promissione veritatis, si convenerimus in quo nomine cum affectu charitatis, quia oderit nobis scientia veritatis. Quod si scirem vobis esse voluntatem veniendi ad nos, mandarem certum **340** tempus, quando hoc congrue fieret; ne forte aliquando, cum domi non essem, venientes vobis vanum laborem et mihi tristitiam faceretis.

EPISTOLA LXXVII . AD ADALAM. *Ut ipsa militi veterano militiae vacationem impetret a filio suo*.

Reverendae dominae suae comitissae ADALAE, frater ANSELMUS Beccensis, vita peccator, habitu

monachus; per praesentis vitae diuturnam prosperitatem, transire ad futurae aeternam felicitatem.

Quamvis me nihil apud vestram celsitudinem meruisse, ut nostris precibus annuere debeat, cognoscam, nisi quia ex quo parvitati meae innotescere dignata est, semper eam coram Deo volui participem existere nostrarum orationum, qualescunque sint; si tamen hoc dignum est vel memorari: tamen instat mihi dominus Engelhardus de castro quod vulgo dicitur Lenis, amicus noster, ut illum adjuvem apud vestram pietatem, ut ipse eam adjutricem habeat apud filium vestrum. Jam enim grandaevus et fractae aetatis homo vult dimittere militiam, imo malitiam, quam hactenus dum potuit efficaciter exercuit; et hoc tantillum vitae quod superest, sic transigere, ut si bona non potest efficere, saltem a malis possit desinere, ne peccans usque ad finem puniatur sine fine. Quapropter sperat, desiderat, obsecrat, ut per me vestrum adjutorium habeat, et per adjutorium vestrum quietem praediorum suorum a filio vestro obtineat. Sed vestra prudentia bene novit omnes homines esse debere adjutores bonorum studiorum, et cooperantes bonorum operum esse consortes praemiorum. Quapropter licet nihil meruerim a vobis, non tamen impudenter ego servus vester rogo sanctitatem vestram ut praefatum virum, propter Deum, ad adipiscendum quod vult adjuvetis; quia et vobis proderit, et hoc facere etiam non rogata debetis.

LIBER SECUNDUS . EPISTOLAS CONTINENS QUAS SCRIPSIT ANSELMUS CUM ABBAS BECCENSIS AGERET.

341 EPISTOLA PRIMA . AD LANFRANCUM. *De ejus in Beccenses eleemosyna gratias agit; et Beccensis coenobii penuriam exponit.*

Domino et patri reverendo archiepiscopo LANFRANCO frater ANSELMUS servus conservorum suoram fratrum Beccensium, cum eisdem dominis suis, diuturnam hujus vitae prosperitatem, et aeternam futurae felicitatem.

Gratias semper agimus multimodis beneficiis patenae vestrae celsitudinis. Nam, licet non semper hoc dicamus, semper tamen hoc in corde servamus. Et corte sicut scriptum est: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* **(Psal. IX, 10)**, benedictio vestrae largitatis, viginti scilicet librae, quas domnus abbas Herbertus nobis nuper attulit, in tanta opportunitate, id est, in tanta constitutis egestate venit *quasi imber nobis temporaneus et serotinus* **(Ose., VI, 3)**: ut cum citissime tota per saporem consumpta fuerit, non tamen ulla vestigia saturitatis reliquerit; quam cum somnio Pharaonis fertiles spicae, et pingues vaccae a sterilibus et quasi inedia consumptis devoratae sunt **(Gen. XLI, 18)**. Sustinuit nos tamen, et vix usque modo, ne penitus deficeremus. Nempe

nimis exhauserunt nos charae emptiones leguminum et avenae fere per totum tempus

post obitum domni Herluini abbatis, et terrarum quas similiter post ejusdem obitum emimus, ut taceam signum magnum, quod ex uno fracto et altero discordante imprevidi incoepimus, sed multo plura quam praecogitaveramus, addendo et insumendo, vix perfecimus; et plura alia, in quibus multa praeter praedicta expendimus. Et quidem multum prope tetigit nos annus de quo sumus utcunque egressi; sed valde propius minatur nobis in penuria multarum rerum annus in quem sumus ingressi. Sed *Deus*, qui *de coelo prospexit super filios hominum* **(Psal. LII, 3)**, respiciat super nos de cordibus abundantium. Praeterea, cum semper egeamus vestro consilio et auxilio, nunc multum vestra et cleri indigemus subventione, in his videlicet Ecclesiae nostrae negotiis, quae per vivam praesentium latoris vocem vobis necesse habuimus intimare. Quibus cognitis, si quid scitis quod ad ea nobis prodesse valeat, quantocius nobis precamur sanctitas vestra remandare studeat. De his enim omnibus placitare cogimur coram rege, Dominica die post festum sancti apostoli Andraeae.

EPISTOLA II . AD LANFRANCUM. *Referuntur gratiae ob liberalitatem, et speciatim pro auro quod ad conficiendum calicem miserat.*

Suo reverendo domino et Patri benignissimo archiepiscopo LANFRANCO frater ANSELMUS cum conservis et dominis suis fratribus Beccensis coenobii, quod sui

Gratias magnas mandamus in charta magnae et frequenti vestrae largitati, et immensas servamus in corde immensae et continuae bonae voluntati. Cum enim, Deo largiente, tanta sit vestra abundantia, ut toties supplendo nostram inopiam nequaquam decrescere possit, utique tanta est bona voluntas, ut abundantia citius exhauriri quam bona voluntas minui possit. Et Deus, qui *dedit vobis et velle et* operari **(Philipp. II, 13)** pro bona voluntate , conservet utrumque, quem vestrae sanctitati tot bona nobis tribuenti optamus retributorem, imo feneranti damus pro nobis debitorem et sponsorem. Secure igitur et hilariter cum millena usura recepturi impendite, sicut bene incoepistis; quia fallere nec vos nec nos volumus, nec fidejussor noster potest. Servos et filios vestros, fratres nostros, ad vestra mittimus vestigia: et sicut vestra eunt jussione, ita vel maneant, vel redeant, vel quidlibet agant, quidquid nos ordinaverimus, vestra dispositione. Filius vester abbas, ut aiunt, Beccensis, mutuavit a servo vestro fratre Anselmo aurum quod pro calice misistis. Nam et iste qui calicem faceret, non habebat: et ille interim auro opus habebat. Sed secundum pactum aurum reddetur formatum in calicem, et ea forma quae vobis magis placet in calice. Interim autem utetur servus vester eo calice quem Becci prior habuistis , et succedenti priori dedistis; sed scitote quia aurum ille nullatenus crederet, nisi vestra fidejussione: vos enim fidejussistis, quia jussistis. Satis autem patet cui sit fidendum ne sub Patris et domini fidejussione filius servum fallat.

342 EPISTOLA III AD GONDULFUM. *Illi quantumvis episcopo familiarem amicitiam protestatur; et Beccenses monachos quos in Angliam mittit, ei commendat.*

Domino et amico, Patri et Fratri, reverendo et dilecto episcopo GONDULFO frater ANSELMUS, quod olim quod ex quo magis nos dileximus.

Quanquam dignitas episcopalis, et reverentia sanctitatis sic vestram mihi personam superexaltet, ut me valde infra deserat: semper tamen, quod non tumore sed amore dico, pristina familiaritas et familiaris amicitia ad aequalitatem me sublevat: ut quantumcunque dignitate et meritis strenuus episcopus et ignavus monachus separentur, semper tamen Gondulfus et Anselmus familiari dilectione copulentur. Quapropter nunquam minus praesumam de vobis propter vestrum episcopatum, nunquam minus confidam propter vestram sanctitatem; quia semper unum cor sumus, propter parem dilectionis familiaritatem. Imo tanto magis, ubi ratio exiget, quanto magis vobis suppetit et in terrenis facultas ex dignitate, et in spiritualibus opportunitas ex sanctitate. Cum enim in hoc par sit voluntas in utroque, ut quisquis velit alterum prodesse quantum potest, necesse est ut plus ille prosit, qui plus potest. Oportet ergo ut plus vestram mihi magnam devotionem apud Deum prodesse curetis, quam meam (quae utique aut fere nulla est) prodesse vobis exspectetis. Nec hoc dico, ut pro vero amico meo non orem,

sicut possum; sed ut ostendam quia nimis parum est quod possum: quatenus ille qui plus potest, adjuvet illum qui minus potest, ut ad illius et suum opus plus possit. Nec idcirco vestra pro me debet oratio frigere, quia mea pro vobis non valet aequaliter fervere. Quisquis enim diligit aliquem, aut per dilectionem prodest alicui: scitote quia plus sibi prodest, quam alii . Multo namque majus est quod tenet ipsam charitatem, quam sit id quod praestat alii per charitatem. Isti enim id solum quod charitas ad tempus potest, tribuitur ; illi vero et hic ipsa charitas tribuitur, et in futuro quantum ipsa est retribuitur. Commendo vestrae paternae charitati et charitativae paternitati fratres nostros et vestros, quos in Angliam mittimus; quatenus, ubi opus erit, vestro sustineantur auxilio, vestro regantur consilio, vestra diligentia vita eorum exquiratur et vestra censura approbetur vel corrigatur.

EPISTOLA IV . AD BALDUINUM. *Commendatissimos Beccenses monachos in Angliam navigantes ejus curae ac regimini committit.*

Domno, et Patri reverendo abbati BALDUINO frater ANSELMUS, in hoc saeculo sancte, et in futuro beate vivere.

Quamvis de vestra sanctitate me nihil promeruisse nisi sola bona voluntate cognoscam ; tamen vestra nota multis benignitas facit me de se praesumere, ut, cum opus est, non dubitem quod vos non dedeceat, expetere. Nam et ego paratam nostram fateor voluntatem ad obediendum, si vestra

paternitas a mea parvitate aliquid exigeret faciendum. Quippe et charitas, quam semper nobis invicem debemus, sicut paratos nos facit ad obsequendum, ita fidentes reddit ad poscendum. Quapropter confidens de praecepto charitatis et experimento vestrae benignitatis, et conscientia nostrae voluntatis, commendo vestrae paternae charitati et charitativae paternitati fratres nostros, quos in Angliam mittimus; quatenus, ubi opus erit, vestro sustineantur auxilio; vestro regantur consilio, vestra diligentia vita eorum exquiratur, et vestra censura approbetur vel corrigatur.

EPISTOLA V. AD HENRICUM. *Ipsi eosdem Beccenses commendat.*

Domno et fratri charissimo HENRICO frater ANSELMUS salutem.

Licet charitatem vestram fraternitas nostra rarius alloquatur in epistola, nequaquam tamen dilectio tepescit in conscientia. Postquam enim de vera ratione dilectio inter rationabiles nascitur, nequaquam ipsa, quandiu radix vivit, exstinguitur. Quapropter nec ego nec vos de mutua dilectione debemus dubitare, quoniam uti mutua praesentia non valemus, sed semper in ejus certitudine perseverare, quandiu causam originis ejus immutabilem tenemus. Commendo vestrae fraternae charitati et charitativae fraternitati, fratres nostros et vestros, quos in Angliam mittimus; quatenus, ubi opus erit, vestro sustineantur auxilio, vestro regantur consilio, vestra

diligentia vita eorum exquiratur, et vestra censura approbetur vel corrigatur

EPISTOLA VI. ANSELMI ET RICARDI AD RICARDUM ET ROHAIDIM. *De beneficiis gratias agit; et Beccenses, quos ejus instantia in Angliam mittit, ejus providentiae dimittit.*

Suo charissimo domino RICARDO, et suae charissimae dominae ROHAIDI frater ANSELMUS et frater RICARDUS parvulus monachus, cum tota congregatione Beccensi salutem et fideles orationes.

Magnas gratias reddimus in primis Deo, a quo est omnis bona voluntas, et pro eujus amore omnia bona nobis fiunt; deinde vobis, pro omnibus bonis quae nobis facitis et promittitis. In hoc enim monstratis bene quia amor vester, quem semper habuistis ad nostrum monasterium, nunquam decrescit; sed plus et plus crescit. Quanto enim plura bona nobis facitis et promittitis, tanto certiorem amorem ostenditis. Omnipotens Deus, et sancta mater ejus Maria, quos quotidie rogamus pro vobis, et pro quorum amore nobis facitis omnia, illi vobis retribuant in regno coelorum. Fratres nostros vobis mittimus, sicut jussistis. Commendamus ergo vobis illos, ut sicut vadunt in Angliam vestra jussione et vestra spe, ita omnino sit in vestra cura et vestra providentia quid illi faciant, aut quomodo aut unde vivant.

343 EPISTOLA VII . AD RICARDUM ET MONACHOS BECCENSES. *Ut Beccenses in Angliam delati religiose vivant, et Henricus camerarius ab ebrietate prohibeatur*.

Frater ANSELMUS, dictus abbas Beccensis, Fratribus et filiis charissimis, RICARDO et aliis de Beccensi congregatione in Anglia conversantibus, salutem et paternam cum dilectione benedictionem.

Si sane, si prospere, si denique concorditer et secundum Deum vivitis, congratulatur charitati vestrae fraterno et paterno affectu anima mea. Testis enim est mihi conscientia mea quia nihil me tantum laetificat, quantum eorum, qui meae parvitati, nescio quo divino judicio commissi sunt, prosperitas et rectitudo: nihil me tantum moestificat, quantum eorumdem adversitas et fortitudo. Quapropter precor vos ut fratres, moneo ut filios charissimos, ut semper memoriam monachicae religionis perpetuam habeatis; ut quod habitus vestrae religionis profitetur, vita et moribus exhibeatis. Quippe nec locus, nec tempus aliquod excusat aliquem quin bene possit vivere, cum et bonam voluntatem nemo unquam alicubi a cordibus hominum, ipsis nolentibus, possit excludere; et morum compositio in qualibet rerum perturbatione secundum rerum congruentiam ordinata queat consistere. Opera namque Deus nequaquam exigit ultra possibilitatem, ubi bonae voluntatis et bonorum morum conspicit integritatem. Sic igitur desidero ut in omnibus

vosmetipsos absque omni excusatione exhibeatis, ut vos non mundi, *nec* eorum *quae in mundo sunt*, sed Dei et eorum quae Dei sunt, amatores ostendatis **(I Joan. II, 15)**. Quatenus de bona vestra conversatione aliis Deum laudantibus, vos in praesenti et futura vita in Deo possitis gaudere, et ego vere possim fratribus et filiis meis congaudere. De domno Henrico, qui camerarius fuit, audio quia in multis inordinate se agit, et maxime in bibendo; ita ut in Gildis cum ebriosis biba*t*, et cum eis inebrietur . Quod si verum est, dicere non possum quantum cor meum de tanta fratris perditione doleat. Non enim diu sola erit ista miseria, sed nisi se cito, Deo respiciente, correxerit, per eam ad alia trahetur mortis praecipitia. Quantum igitur abbas debet prohibere monacho, tantum ego, qualiscunque peccator sim, ex Dei et sanctorum ejus et nostra auctoritate prohibeo, ne postquam hanc nostram prohibitionem cognoverit, amplius in Gilda, aut in conventu eorum qui ad inebriandum solum conveniunt, bibere audeat . Hoc quoque praecipio, ut de praeterita inordinatione, si eam negare non potest, domini nostri Lanfranci archiepiscopi, aut domini episcopi Gondulfi, aut vestro judicio poenitere non negligat; et deinceps curam se custodiendi ab ebrietate et a malitiosis verbis cum Dei auxilio habeat. At si se corrigere noluerit omnino, malo, contempta omni utilitate quam per eum in Anglia debemus habere, ut ad nos sub disciplina regendus redeat, quam ut longe a disciplina perdendus remaneat. Domnum vero Henricum de Gornaco benigne rogo ut de eo quod in litteris suis tam studiose postulat, patienter et quieto animo toleret, donec domnus Ricardus (qui ad nos in proximo, sicut a rege audivi, venturus est), veniat: et quod tunc de illo et de vobis omnibus qui propter eumdem domnum Ricardum missi sunt, nostro et fratrum nostrorum consilio

dispositum fuerit, benigna patientia et patienti benignitate sustineat.

EPISTOLA VIII. AD MAURITIUM . *De monacho diutius morante in curia. Et de malo; an aliquid sit.*

Frater ANSELMUS, dictus abbas Becci, dilecto fratri et filio suo MAURITIO salutem et Dei benedictionem.

Erga fratrem illum, de quo mihi, quod res exigebat, scripsisti quia pro libitu suae voluntatis, neglecta claustri conversatione, moratur in curia regis ; volo ut ita deinceps tu et caeteri fratres nostri qui tecum sunt, vos habeatis. Si venerit ad vos, permitto ut eum suscipiatis, fraternae ei charitatis officium impendatis. Ostendite sibi tamen ex vestra parte, vos vereri ne id displiceat mihi. Arguite illum, debita tamen modestia, de sua tanta temeritate et inobedientia. Nam neque nostra jussione aut permissione jam remoratur, imo jussioni nostrae aperte contraire non veretur. Nec illi mando ut redeat, nec concedo ut remaneat. Quasdam enim causas intueor, quibus hanc ejus praesumptionem tolerare adhuc dissimulando compellor. Verum, nisi celerius se correxerit, postpositis omnibus his, quibus eum adhuc exspecto, causis, regularem in eum me exercere severitatem necesse erit. Mallem tamen illius spontaneam correctionem, quam ullam ei inferre austerioris disciplinae correptionem. Praeterea scriptum illud, quod de ea quaestione, quomodo scilicet, cum malum nihil esse dicatur, nomen ejus aliquid significet, rogatu

quorumdam fratrum de talibus me frequenter, ut nosti, interrogantium nuper feci; per praesentium latorem tibi modo, ut postulasti, huic annexum epistolae direxi. Si malum nihil est, quomodo nomen ejus aliquid significat? Rursus, si audito nomine mali intelligimus aliquid quod horremus et vitandum censemus, quomodo aut malum nihil est, aut mali nomen nihil significat? Sed et ipsum nihil, quid est? Verum cum nequaquam differant nihil esse, et non esse aliquid, quomodo dici potest quid sit quod non est aliquid? Ipsum tamen nomen quod dicimus, nihil , si nihil significat, id est si non significat aliquid, nomen non est: sed nomen est. Quanquam igitur nullus dicat nihil esse aliquid, sed semper nihil esse nihil cogamur fateri: nemo tamen potest nomen nihil significativum esse diffiteri. Verum econtra: si hoc ipsum nomen non significat nihil, sed aliquid, id quod significatur, videtur non posse esse nihil, sed magis aliquid. Si ergo quod significatur, non est nihil, sed aliquid, qualiter verum erit ut significetur per hoc nomen, scilicet, *nihil?* Quippe quod vere nihil dicitur, vere nihil est; et idcirco non est aliquid. Quare si quod significatur hoc nomine, non est nihil, sed aliquid, quemadmodum consequentia videtur ostendere: falso et incongrue vocatur hoc nomine. At econtra, si secundum judicium omnium, id quod nominatur nihil, vere nihil est et nequaquam est aliquid: usquamne videtur aliquid consequentius, quam ut hoc ipsum nomen nihil significet, id est non significet aliquid. Quid igitur est, quia hoc nomen, videlicet *nihil*, non significat nihil, sed aliquid; et non significat aliquid, sed nihil? An forsitan non repugnant, significare nihil et aliquid? Sed si non repugnant, aut invenienda res est aliqua, quae sit aliquid et nihil, quod non potest intelligi: aut ista vox diversa consideratione significat

nihil et aliquid. Constat namque quoniam haec vox, scilicet *nihil*, quantum ad significationem, nullatenus differt ab eo, quod dico, *non aliquid*. Nihil quoque hoc apertius, quam quod haec vox **344** scilicet *non aliquid*, omnem rem penitus, et omne quod est aliquid, intellectu removendum; nec omnino ullam rem, aut penitus quod aliquid sit ponendum, sua prolatione significat. Sed quoniam remotio alicujus rei significari nullatenus potest, nisi cum significatione ejus ipsius cujus significatur remotio, necesse est ut haec vox quae est *non aliquid*, destruendo id quod est aliquid, significet aliquid. Quoniam vero auferendo omne quod est aliquid, ullam significat essentiam, quam audientis intellectus quasi existentem retineat: idcirco *non aliquid* vox, nullam rem, aut quod sit aliquid, significat. Igitur haec vox *non aliquid* his diversis rationibus aliquatenus significat rem et aliquid, et nullatenus significat rem aut aliquid: significat enim, negando; et non significat, constituendo. Hac ratione *nihil* nomen, quod perimit omne quod est aliquid; et destruendo non significat nihil, sed aliquid; et constituendo non significat aliquid, sed nihil. Quapropter non est necesse nihil esse aliquid, ideo quia nomen ejus significat aliquid quolibet modo; sed potius necesse esse nihil esse nihil, quia nomen ejus significat aliquid hoc modo. Hoc itaque modo non repugnat malum nihil esse, et mali nihil esse significativum; si sic aliquid perimendo significat, ut nullius rei sit constitutivum. Sed cum hac ratione malum et nihil vere significent aliquid; et tamen quod sic significatur non est malum, vel nihil est tamen et alia ratione ; qua significant aliquid, et quod significatur est aliquid, sed non vere aliquid, sed quasi aliquid. Multa quippe dicuntur secundum formam, quae non sunt secundum rem; ut *timere*, secundum formam

vocis, dicitur activum, cum sit passivum secundum rem. Ita quoque caecitas dicitur aliquid secundum formam loquendi; cum non sit aliquid secundum rem. Sicut enim de aliquo dicimus quia habet visum, et visus est in eo; ita dicimus quia habet caecitatem, et caecitas est in eo, cum haec non sit aliquid, sed potius non aliquid: et hanc habere, non sit habere aliquid; imo eo carere, quod est aliquid. Caecitas namque non est aliud quam non visus, aut absentia visus, ubi visus debet esse. Non visus vero, vel absentia visus non magis est aliquid, ubi debet esse visus, quam ubi non debet esse. Quare caecitas non magis est aliquid in oculo, quia ibi debet esse visus; quam non visus, vel absentia visus in lapide , ubi non debet esse. Multa quoque alia similiter dicuntur aliquid secundum formam loquendi, quae non sunt aliquid; quoniam sic scilicet loquimur de illis, sicut de rebus existentibus. Hoc igitur modo malum et nihil significant aliquid, et quod significatur est aliquid non secundum rem, sed secundum formam loquendi. Nihil enim non aliud significat, quam non aliquid, aut absentiam eorum quae sunt aliquid: et malum non est aliud quam non bonum, aut absentia boni, ubi debet aut expedit esse bonum. Quod autem non est aliud, quam absentia ejus quod est aliquid, utique non est aliquid. Malum igitur vere est nihil, et nihil non est aliquid; tamen quodammodo sunt aliquid: quia sic loquimur de his, quasi sint aliquid, cum dicimus *nihil*, vel *malum fecit:* aut *nihil*, vel *malum est quod fecit*, sicut dicimus, *aliquid* vel *bonum fecit*, aut *aliquid* vel *bonum est quod fecit*.

EPISTOLA IX . AD MONACHOS BECCENSES. *De prospero sui in Angliam adventu; quem et dominae Evae vult nuntiari*.

Domnis et fratribus dilectissimis in Beccensi coenobio Deo servientibus frater ANSELMUS, servus et conservus eorum, semper sancte vivere, et sanctae vitae praemium percipere.

Sciens et certe sciens dulcissimum mihi vestram dilectionem nuntium meae incolumitatis et prosperitatis toto affectu desiderare, non potui eam dilatione aliqua fatigare. Ipsa itaque die, qua domnus Girardus hora, quae dicitur prima, a me mare ingresso discessit, divina protectio me vestris orationibus in Anglicam terram prospera navigatione et sine molestia, quam multi navigantes pati solent, hora nona perduxit : et ad dominum et Patrem nostrum archiepiscopum Lanfrancum vespere pervenire, et cum gaudio suscipi apud villam ipsius, nomine Limingis , concessit. In crastina vero has litteras scripsi, quibus et praefatum desiderium vestrum adimplerem, et sanctum propositum vestrum semper fervere et ad meliora proficere commemorem . Precor igitur ut frater, hortor ut pater, ut sic studeatis in pace et religione monachica conversari; quatenus et vos ex vestri studii retributione valeatis beatificari, et ego de vestra beatitudine quandoque congratulari. Omnipotens Dominus sua vos protectione ab omni adversitate defendat, et suam vobis misericordiam, per continuam corporis et animae prosperitatem, ostendat. Mandate matri et dominae nostrae Evae, quod de filio suo primogenito vobiscum audire pari desiderio exspectat, et ut oret quo sicut suis orationibus vobiscum impetravit me a vobis

timentibus cum prosperitate abire, ita impetret ut possim ad vos gaudenter cum gaudio redire.

EPISTOLA X . AD RODULFUM. *Laetatur de Rodulfo ad religiosam vitam converso*.

Frater ANSELMUS, dictus abbas Beccensis, suo olim amico desideratissimo, nunc domno, et fratri, et filio charissimo, novo Christi militi RODULFO , per contemptum terrenarum et falsarum divitiarum adipisci coelestes et veras divitias .

Gloria in excelsis Deo, qui *in terra* dat *hominibus* bonam voluntatem **(Luc. II, 14)**: cujus excelsa dextera secundum desiderium meum mutavit voluntatem dilecti et desiderati mei a vanitate saeculi, quae nulli in fine prodest, et omnibus se amantibus obest; ad veritatem, quae nulli unquam obest, et omnibus se quaerentibus prodest. Breviter tibi loquor, dulcissime cordi meo, litteris, quem super omnes homines, teste conscientia, videre, et cui multum loqui ore ad os, plusquam alicui in terra viventi, desidero. Novi enim malignam diaboli invidiam, quia de manibus suis, imo de ore suo te frendens tabescit evadere. Unde certus sum quia te multis modis, scilicet, aut gravitate servitutis Dei, quam elegisti, aut delectatione serviendi illi per amorem saeculi, quem reliquisti , tentabit decipere. Quare, quoniam spero per Dei gratiam contra omnes **345** ejus astutias, quoniam in falsitate et imbecillitate sunt, si certa spes in Deo non absit, me tibi posse consulere: et pro certo scio nullum consilium ad praesens desiderio tuo magis quam meum sufficere , non

habebit anima mea requiem in me, donec videatur oculi mei desideratum meum, et alloquatur os meum dilectissimum filium meum, et instruat cor meum contra diaboli jacula novum commilitonem meum. Precor igitur omnipotentem Deum qui te ab amore saecularis vanitatis segregavit, et sanctissimam matrem ejus quae te ad se fugientem sub sua tutela suscepit, ut te ab omni perturbatione incepti propositi custodiant. Teque rogo per illum cujus gratia inspirante hoc incoepisti, ne te terreant ullae insidiae vel suggestiones inimici. Ad hoc enim idem inimicus te molestare nititur, ut de te victo gaudeat; sed Deus ad hoc illi permittit, ut habeas unde tibi victoriae coronam ipse tribuat: *Nemo enim coronabitur*, dicente Apostolo, *nisi qui legitime certaverit* **(II Tim. II, 5)**. Exspecta igitur donec veniam; quia, Deo dante, consolationem omnium quae tibi nunc molesta sunt suscipies. Dominus custodiat te ab omni malo. Amen.

EPISTOLA XI AD HUGONEM. *De quibusdam Anselmi opusculis ab archiepiscopo requisitis. Et quod nomen abbatis in titulo operum suorum praefixerit ut aequivocationem excluderet.*

Domno et Patri cum dilectione reverendo, et cum reverentia diligendo Lugdunensi archiepiscopo HUGONI frater ANSELMUS dictus abbas Beccensis, quod dilecto patri fidelis filius.

Si velim scribere quam magnum et quam gratum sit mihi decus et dulcedo vestrae familiaritatis, quam ex vestra promissione me confido habere: quantumque eam, etsi non merui accipere, desiderem vel fideli voluntate, si aliter nequeo mereri, non amittere; forsitan aut subtrahendum erit aliquid, ut videbor veritati superaddere. Sed quod in epistola non audeo sufficienter commendare, in scrinio cordis curabo, Deo dante, fideliter servare. Per praesentium latores fratres, sanctitati vestrae, ut cognovi, dilectores celsitudini vestrae de scriptis nostris mitto quod jussistis. In qua re non tam alicujus me utilitati, quam vestrae scio servire voluntati. Quapropter si in illa legendo vos frustra tempus insumpsisse poenituerit, quia quod putatis non invenietis non mittenti, sed exigenti imputare debetis. De quaestionibus vero de quibus me velle scribere dixi, et reverentia vestra me monuit, si dixero quantum dictare impediar , ab ullo, qui meam non novit conversationem, credi non poterit Si quando tamen inde mihi per Dei gratiam quod volo efficere licebit, vestrae, si potero, prudentiae notum erit. Fratres praedicti lacrymabiliter de interiori monasterii sui conquerentes destructione, pro me obsecrarunt affectu ut nostris precibus paterni vestri consilii in tribulatione sua releventur consolatione: sed, sicut nostro consilio non eget vestra sapientia, ita nec precibus benevolentia. Si tamen placet ut dicam quid illis ad praesens expedire, donec visitatione supernae gratiae in eorum ecclesia per regularis abbatis praesentiam monachica restauretur religio, sentiam, aestimo quia melius est ut vestra licentia interim eligant, ubi secundum propositum suum vivant utiliter, quam ut ibi cogantur manere, ubi, indigentia bonorum corporis et animae tristes vivant inutiliter, aut eadem indigentia intolerabiliter gravati discedant inobedienter. Quod

in titulo opusculorum nostrorum nomini nostro addidi nomen abbatis, non ideo feci ut personam monstrarem honoratiorem, sed ut nominis excluderem aequivocationem.

EPISTOLA XII AD HELINANDUM. *Hortatur ut perseveret et diaboli variis tentationibus quas describit, constanter resistat.*

Servus servorum Dei in Beccensi monasterio commanentium, frater ANSELMUS fratri dilecto, filio desiderato HELINANDO, bene inceptae feliciter perficere.

Benedictus Deus, a quo *omne datum optimum, et omne donum perfectum* descendit **(Jac. I, 17)**: qui avertit *oculos tuos ne videant vanitatem* **(Psal. CXVIII, 37)**, et erexit animam tuam ad sequendam veritatem. Restat igitur, mi desiderate, ut sedula sollicitudine pertractes, quia *nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno coelorum* **(Luc. IX, 6)**. Antiquus enim hostis tanto enixius non cessabit multimodis te calliditatibus invadere, quanto te videt studiosius velle laqueos ejus evadere. Saepe namque reducet ante mentis oculos quam delectabilia sint ea in quibus solitus es conversari: ut continuo subinferat quam difficile sit assueta voluptate carere, quam sit impossibile in quodam austero rigore et rigida austeritate tota aetate perseverare; quatenus ex memoria assuetae delectationis plus horreat animus sobrietatem vitae sublimioris. Aliquando sub

specie discretionis finget se salubrius tibi, quam proposueris, consulere, ut scilicet pravitatem deserens in clericali proposito religiose vivendo velis persistere , ut et per vitae correctionem animam tuam possis salvare, nec per indiscretionem subeas onus quod non possis portare. Quod si te ab intentione perfectioris vitae nullatenus averti posse cognoverit, quasi tecum ire, approbando propositum, se simulabit; sed juxta iter laqueo ponere multimodos non cessabit. Aliquando quidem hinc oblata opportunitate peccandi; illinc stimulante tentatione suasionem callidus addet hujusmodi. Tam bonum est quod decrevisti facere, ut quamlibet immensitatem scelerum possit destruere. Interim ergo satisfacere voluntati tuae cur haesitas; cum cito sive multa, sive pauca peccata tua sint, pariter dolendo non dubitas? Aliquando vero taliter conabitur decipere: bonum quidem est quod vis facere, sed non opportune fit, nisi cum tepescente lascivia juvenili, quae pondus illius regularis censurae non tolerat, ipsa maturitas aetatis religiosae gravitati se contemperat. Quod si viderit te ita imbecillem, ut impediri possit tua intentio, si manifestetur, omnino conabitur ut his a quibus retineri aut vi, aut amore, aut aliqua persuasione possis, qualibet occasione publicetur. Promittet etiam quia si bonum quod intendis aliquantulum differre volueris, multo fructuosius atque utilius facere hoc poteris, et plurimorum salute quos tecum attrahes, et commodo pecuniae monasterio profuturae quam undique colliges. Quid etiam? quod te levitate et inconsiderata acceleratione tentabit arguere, quia te non solum promittendo, sed et pignus promittendo, indissolubili voto voluisti constringere: eum nihilominus et fortasse melius idipsum libera posses voluntate perficere? Ad haec omnia, charissime, quid respondendum sit, vellem aliquanto diffusius scribere,

nisi lex epistolae cogeret me brevitatem non excedere. Breve igitur et verum amici tui suscipe contra ista consilium. Qui putat voluptate saeculari carere, et in exercitio perseverare virtutum nimis austerum et impossibile; nunquam gustavit quantum sit non servire sed imperare vitiis per amorem et spem coelestis regni, laudandum et delectabile. Qui putat melius sibi esse **346** in habitu clericali religiose vivere , quam subire monachicae vitae pondus importabile: consideret per totum mundum quanta hilaritate utrique sexui, omni aetati, et omni generi hominum sit pondus illud cantabile. Sciat etiam quia valde difficilius est inter saeculares per liberam voluntatem, quam intra claustrum monachorum sub disciplina custodire vitae sanctitatem. Non dico nunc quod propositum vitae inter omnes vitas altiorem gradum contingat humilitatis, quem altior sequitur exaltatio; nisi quia nullus, ut melius vivat, monachi propositum deserit, et omne genus hominum ad monachicam vitam ut magis Deo propinquet concurrit. Qui peccatis addit peccata , quia peccatorum omnium exspectat remissionem, amando peccatum, probat se non amare, et ideo non mereri peccatorum absolutionem . Qui differt in futuram et forsitan non futuram aetatem, vitam suam corrigere, certum bonum dimittit pro dubio; et contemnendo quod perdit, probat se non amare quod exspectat, et meretur non accipere. Qui certus non est se tantae esse constantiae, ut nullo modo flecti possit a bono proposito, omnino celet bonam voluntatem, ut nonnisi cum in opus exit, appareat in publico. Qui bonum, quod vult facere, ut melius fiat, differt: bonum est, si melius certum est. Quod si melius bonum dubium est; et perdere minus bonum, nimis est damnosum et irrecuperabile: consilium est, ut acceleret facere bonum minus, ne nimis exspectando majus, non faciat majus nec minus. Qui judicat

levitatem, voto velle se ligare ad faciendum quod bonum est, ut jam non sit liber ad non faciendum, judicet doctorem levitatis illum, qui dicit: *Vovete et reddite* **(Psal. LXXV, 12)**. Nullatenus enim reprehendendus est, qui quod bonum est, vovit ; sed qui non reddit quod vovit. Certum quippe est quia qui bene vovet, ipso voto Deo placet. Qui ergo aliquid boni vovit, non poeniteat quia fecit unde Deo placeat; sed festinet reddere quod vovit, ut plus placeat. Haec, fili charissime. consilia, has consolationes in praesenti maxime tibi necessaria judicavi; haec paterna sollicitudine ego quem patrem et consiliarium non mea dignitate, sed tua voluntate elegisti, dictavi: haec interim reminisci non desinas, donec quod, Deo inspirante, vovisti, ipso adjuvante, perficias. Vale, desiderate cordi meo, et festina satisfacere de te desiderio meo, quod utinam facere placeat omnipotenti Deo! Amen.

EPISTOLA XIII . AD LANFRANCUM. *Ad eum mittit Gislebertum, quem ut brevi remittat, precatur.*

Domino et Patri reverendo archiepiscopo LANFRANCO frater ANSELMUS servus servorum Dei, Becci commanentium, cum eisdem dominis suis, quod domino fideles servi, quod reverendo patri reverentes filii.

De domno Gisleberto, ut eum vobis mitteremus, vestrae satisfecimus jussioni: quod autem tardius quam jussistis, verum est quod non est factum negligentia; sed ob multa, quae nunc enarrare longum est, impedimenta. Sed scitote quia

si quis fecerit ut ipse in Anglorum terra remaneat, nimis grave et majus, quam breviter dici possit, damnum in praesenti et in futuro, interius et exterius Ecclesiae nostrae, et tristitiam faciet. Quapropter precamur et obsecramus, quantum, salva justitia, et vestrae sanctitatis reverentia, nobis licet, per pietatem et per charitatem quam erga nos vestram semper habere paternitatem cognovimus, ut si absque Dei voluntatis obviatione fieri posse videritis, potius fratribus et amicis desiderantibus ad certam suam salutem et aliorum utilitatem per vestram instantiam reddatur, quam quibuslibet alienis ad periculum sui damni et illorum utilitatem dubiam ingeratur. Breviter, quod multum volumus et expedire credimus, obsecramus; quia sapientiae vestrae pauca verba sufficere non ignoramus. Quod si divinam dispositionem nostrae sic resistere petitioni vestra cognoverit prudentia, ut aliter fieri necesse sit: quod mihi si praesens essem vestra prudentia de reipsa concedere aut facere consuleret , vestrae committo potestati.

EPISTOLA XIV . AD MONACHOS BECCENSES. *Ut monachus, qui invito abbate. Parisiis propter studia in monasterio S. Maglorii morabatur, ad suum monasterium redeat.*

Frater ANSELMUS abbas Becci fratribus Beccensibus apud Confluentium commanentibus salutem.

Mittite nostras litteras Benedicto monacho de S. Petro supra Divam, qui propter scholas moratur apud Parisium, et conversatur in monasterio S. Maglorii. Mando enim illi et consulo ut ad monasterium suum redeat, a quo contra voluntatem abbatis sui abest. Promisit enim idem abbas ejus mihi, se illi misericordiam et mansuetudinem pro nostro amore, si redierit, exhibiturum. Quod si facere voluerit, omnino illum, sicut monachum de nostro monasterio charitativa sollicitudine benigne juvate; quatenus aut equo usque ad nostrum monasterium, aut navi usque Fraisnosam venire possit. Quod domnus Rodulfus mandavit vobis de equo suo, et de monacho S. Germani facite: sed hoc a me mandatum esse dicere nolite, sed a domno Rodulfo. Valete, et scitote quia, miserante Deo, de aegritudine quam nuper habui, bene convalesco, et hoc amico nostro domno Ursioni notum facite. Epistolas nostras, quas domnus Mauritius nobis mittere debuit, adhuc exspectamus. Iterum valete.

EPISTOLA XV . AD FULCONEM. *Exorat ut mitius agatur cum apostata monacho, poenitente*.

Domino et Patri reverendo abbati FULCONI frater ANSELMUS, orationum et servitii fidelitatem.

Filius vester, qui a paternitate vestra inordinate abierat, poenitens ad omnem satisfactionem, secundum vestrum judicium paratus, humiliter rediit. Qui non tam postulat ut illi

poenam quam meruit remittatis, quam ut vel ultimum illum intra gregem, quem sua culpa dimiserat, vestra misericordia constituatis. Precor igitur ego sanctitatem vestram, ut non tam consideret districtio vestra quod ille fecit peccando, quam penset pietas vestra quod facit humiliter poenitendo. Precor etiam atque etiam fratres ac dominos nostros, alios filios vestros, ut paternitatis vestrae misericordiam pro eo exorantes gaudium se monstrent habere quia *frater* eorum *mortuus fuerat, et revixit, perierat, et inventus est* **(Luc. XV, 24)**. Qua vero mensura erga eumdem fratrem judicium, sive misericordiam vestram ostendere debeatis, sicut scriptum est: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* **(Psal. C, 1)**, vestrae potestatis est, et vestrae prudentiae: tantum ut superexaltet misericordia judicium .

347 EPISTOLA XVI AD GISLEBERTUM. *Gratulatur ad abbatiae Westmonasteriensis regimen assumpto*.

Suo dilectissimo, olim divina dispositione filio, nunc Dei gratia coabbati

GISLEBERTO frater ANSELMUS, in hac vita diu sancte vivere cum prosperitate, in futura feliciter cum aeternitate.

Etsi tarde, propter aegritudinem impedientem dilecto dilectori meo pro nova sibi divinitus data gratia scribo: non tamen

tepide, quantum ad voluntatis benevolentiam pertinet, dico: *Gloria in altissimis Deo, et in terra* gaudium *hominibus bonae voluntatis* **(Luc. II, 14)**, qui judicium suum de te manifestavit, quod hactenus apud se occultum, licet semper de te, pro humana aestimatione, bona crederemus, servavit. In eo namque vitae proposito, in quo te custodiendo semper ejus gratia sapientia erudivit, et in sanctitate nutrivit, patrem et doctorem pastoremque animarum te constituit. Multo enim melius de te sperandum est et de similibus tuis, quorum vita est in sancta conversatione nutrita; quam de me, et de similibus meis, quorum vita olim est saeculari conversatione detrita. De vobis enim sperandum est, cum ad aliorum curam promovemini, quod dum et alios ad vestri similitudinem instruitis, justitia vestra perficiatur; de vobis vero timendum est, cum tanto pondere gravamur, ne injustitia nostra occulto Dei judicio augeatur. Quanto igitur melius est de tua sanctitate in suscepto officio sperandum, tanto magis est et securius de tibi concessa gratia gaudendum. Omnipotens Deus, qui te custodem aliorum constituit, ipse te sua gratia sic adjuvet et custodiat, ut pro tua et illorum justitia aeternam tibi beatitudinem retribuat.

EPISTOLA XVII . AD HUGONEM. *Mutandos esse titulos duorum opusculorum, quorum unum Monologion, alterum Proslogion vult inscribi.*

Domino et Patri venerabili archiepiscopo Lugdunensi HUGONI frater ANSELMUS, in praesenti saeculo sancte vivere, in futuro beate.

Pondus vestrae auctoritatis facit me dare pondus meis nugis. Cum enim celsitudo vestra tanti pendat opuscula nostra, ut ea petere et legere dignetur; nonnihil mihi, quod tanto viro placeat, esse videtur. Quapropter nullatenus apud vestram prudentiam me ridendum existimo, si qualiter aptius titulari debeant eadem opuscula, considero. Precor igitur ut si libellos, quos sanctitati vestrae jussus misi, recuperare poteritis, illud quod in ipsis titulis positum est, scilicet de ratione fidei, velut superabundans recidentes; illum quem monoloquium nominavi, *monologion* vocetis: et alterum non alloquium, sed *proslogion* tituletis: et secundum titulorum correctionem, finem praefatiunculae minoris libelli, quae de eisdem titulis loquitur, emendetis. Cur autem hanc mutationem fieri rogitem, exponere, si tantum fiat, nec adeo est necessarium, nec hac epistolari brevitate, quam proposui, congruum. Quod si secundum nostram petitionem feceritis, hoc vestrae paternitati volo retribuere: ut si Deus mihi ea quae desidero dederit scribere, aspectui vestro nolim ea, ut puto non minus prioribus placitura, subtrahere. Fidelitatem vestram, quam semel cordi meo commendavi, protegente Deo, servat et servabit; nec dissimiliter de gratia vestrae sanctitatis sperat et sperabit.

EPISTOLA XVIII. AD MONACHOS BECCENSES. *De prospera sua in Angliam navigatione*.

Charissimis et desideratissimis dominis suis, servis Dei Becci commanentibus, servus eorum frater ANSELMUS, de virtute in virtutem proficere, ut Deum deorum in Sion mereantur conspicere.

Mox ut de mari exivi in Anglicam terram die Dominica mediae Quadragesimae, hora tertia, dictavi has litteras ut vestram dilectionem de nostri itineris prosperitate laetificarem. Dei enim gratia favente vestris orationibus, omnia prospere et honorifice ultra spem meam mihi et iis qui mecum sunt in terra et in mari, postquam a vobis discessi, evenerunt. Precor itaque ut sicut fecistis hactenus, ita et deinceps peregrinationem nostram orando adjuvetis: sed multo magis precor ut reditum nostrum bene vivendo laetificetis.

EPISTOLA XIX . AD GUILLELMUM. *Saeculi militi suadet dare nomen militiae Christi*.

Suo in Deo desiderato, dilecto et utinam desideranti dilectori GUILLELMO frater ANSELMUS dictus abbas Becci, periculosam et aerumnosam contemnere vanitatem, et securam atque beatam quaerere veritatem.

Tanta, mi dilecte atque desiderate, dilectione tui animam meam omnipotens Dominus sua gratia, non meis meritis, occupavit: ut inter desiderium salutis tuae et timorem periculi tui angustata diurnis ac nocturnis sollicitudinibus eam pro te stimulantibus quiescere non possit; et benedictus Deus in donis suis, qui utinam sic abstulissat a te odium animae tuae, quomodo dedit mihi amorem salutis tuae. Sustine me, dulcis amice, et tolera dilectorem tuum, si importunus tibi videor, et durius quam velis tecum loquor. Amor enim animae tuae cogit animam meam, nec patitur eam pati ut tu oderis eam, cujus amorem semper habet secum. Suscipe ergo, charissime, cum amore, quod oro ut Deus tibi det, dicta amatoris tui. Tu es, dilectissime, tu es quod dicit amor cum dolore, et dolor cum amore, qui, quod Deus auferat a te, odisti dilectam animae meae animam tuam; quoniam *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* **(Psal. X, 6)**. Iniquitas certe et iniquitates sunt, quo tanto affectu prosperas, mi dilecte. Iniquitas et iniquitates sunt, quo te trahit impetus torrentis mundanae ruinae, mi desiderate. Iniquitas enim est cruenta bellorum confusio. Iniquitas est mundanae vanitatis ambitio. Iniquitas est insatiabilis falsorum bonorum et falsarum divitiarum aviditas. Ad haec, heu me! video illum, quem tantum diligendo retinere desidero, trahi ab hoste callido decipiente cor ejus. Amice hominum et liberator Deus, ne pertrahat servum tuum inimicus. Dicis mihi, frater desiderate: Non ista diligo, sed in eis involutum fratrem meum; et idcirco festino in eis convolvi cum eo, ut adjuvem et custodiam eum. Vae, aerumnosus dolor de aerumnoso errore filiorum Adae! Quare, o homo, non potius dicis: Non ista diligo, sed Christum Deum meum; et idcirco ista fugiens festino ad eum, ut adjuver et custodiar ab eo. An tu, audito fragore ruentis mundi super

fratrem tuum, contemnens vocantem **348** Christum curris sub ipsam ruinam, ut homunculus homunculum, vermiculus vermiculum sub tam confuso pondere et ponderosa confusione adjuvet et custodiat. Responde, frater, quis adjuvabit et custodiet te illum adjuvantem et custodientem? Deus, quem minus studes sequi quam ipsum fratrem tuum . Christum vocantem te contemnis sequi in pace, et in patria, et inter propinquos et amicos, ut haeres *quidem Dei*, cohaeres *autem* ejus **(Rom. VIII, 17)** possideas regnum coelorum; et per tot et tantas itinerum difficiles asperitates, per marium turbines et procellosas tempestates, in bellicosam confusionem curris ad fratrem tuum, ut videas eum, ut multum dicam, tenentem regnum Graecorum: et tu putas quia Deus plus adjuvet et custodiat illum per te, quam sine te; aut teipsum propter illum, quam propter seipsum imo multo minus hoc faceret: irascitur enim si videt ullum ab ullo amari plus quam se. Sed forsitan dicis: Si incipio sequi Christum, timeo ne imbecillitate mea deficiam. Iterum et iterum dolendum et lugendum de errore filiorum hominum. Ad ea quae semper deficiunt , imo ad ipsum defectum currendo toto affectu non timent defectum; et ad Deum nunquam deficientem et suum auxilium promittentem non audent proficere timendo defectum. Gaudent deficere ut deficiant, et timent proficere ne deficiant. Crede, rogo, consilio Dei, et committe te totum auxilio Dei, et non senties defectum in servitio Dei. Jacta, amate et desiderate, et dulcis amice, *Jacta cogitatum tuum in Domino*, et certus esto, promittente Spiritu sancto, quia *ipse te enutriet* **(Psal. LIV, 23)**. Ne differas tantum bonum tuum, et comple de te desiderium meum: ut habeam te, ineundo post Christum, socium meum; et conemur simul, quatenus tu me tuum, et ego te possim videre , in

haereditate Christi, ipso dante, consortem meum. Ne pudeat te rumpere vincula propositae vanitatis; quia non dedecus, sed honor est transire in libertatem veritatis. Pudeat te Deum minus thesaurario Belvacensi diligere, qui tuae aut minoris aetatis adolescens delicatus et pulcherrimus, valde dives et nobilissimus, et immoderatus amator saeculi; olim cum similiter, ut modo sum, in Anglia essem, nescio qua causa veniens Beccum, statim recessurus subita sancti Spiritus gratia mutatus, se monachum ibi permansurum, tonsura statim et habitu nostro sumpto, spopondit, se nunc laetiorem quam unquam in vita sua fuisset affirmans. Ne erubescas profiteri te pauperem Christi, quia tuum erit regnum coelorum. Ne timeas facere te militem tanti regis, quia rex erit ipse in omni periculo tecum. Ne tardes amplius in hac vita meliorem, quam constituisti, viam incipere; ne forte in alia vita moreris coronam beatam percipere. Moneo, consulo, precor, obsecro, praecipio ut dilectissimo, ut dimittas illam Hierusalem, quae nunc non est visio pacis, sed tribulationis, thesauros Constantinopolitanos et Babylonios cruentatis manibus diripiendos: et incipe viam ad coelestem Hierusalem, *quae est visio pacis*, ubi invenies thesauro, nonnisi istos contemnentibus suscipiendos. Invitus finio longam epistolam, quia ex abundantia cordis multum tibi loqui cupit os meum. Omnipotens Deus, qui de illo quem supra dixi, quam simili sed impari desiderio, quia minori spe quam te desiderabam gaudere, facit plusquam sperabat cor meum, non frustretur majorem de te spem et majus desiderium meum. Quod si Deus cordi tuo ante reditum meum inspirare dignaretur, ita est Deus Becci cum fratribus nostris, me absente sicut me praesente. Dominus dirigat cor tuum

secundum voluntatem suam, et sati faciat voluntati meae de te secundum misericordiam suam. Amen.

EPISTOLA XX . AD HENRICUM. *De Folceraldo Beccum transmittendo: ut ibi sub Anselmi regimine degat petit epistolam sigillo abbatis illius munitam*.

Domino et Patri reverendo abbati HENRICO frater ANSELMUS, hujus vitae diuturnam prosperitatem, et futurae aeternam felicitatem.

Lator praesentium retulit mihi vestram paratam esse sanctitatem de domno Folceraldo filio suo, nostram facere voluntatem. Cui nuntio, quoniam nec litteras vestras, nec sigillum vestrum certum litterarum testimonium video, non omnino sum credulus: nec cum reminiscor quia amicus amico tres panes petente, etsi non surgat, eo *quod amicus sit, propter* importunitatem *tamen* surgit, *et* dat *illi quotquot habet necessarios* **(Luc. XI, 8)** , non sum penitus incredulus. Si enim somnolenti amici pigritia vincitur, mediae noctis tempore, importunitate ; quanto magis tot amicorum importunitas impetrabit a vestra charitate. Si ergo Deus posuit in corde vestro, ut praefatum filium vestrum, Ecclesiae nostrae sub abbatum ejus regimine penitus concedatis, non enim peto , nec expedit ut rediturus veniat, propter longae viae periculosam difficultatem: precor per eamdem

importunitatem, quatenus epistola vestro sigillo signata indubitabilem mihi vestram ostendat voluntatem. Postquam vero certi erimus, nostrae sollicitudinis erit qualiter illum habeamus.

EPISTOLA XXI . AD FOLCERALDUM. *Quod ei non expedit venire Beccum ut redeat: nec debeat suscipi sine litteris abbatis sui sigillo signatis*.

Suo charissimo in Christo fratri, in carne consanguineo FOLCERALDO frater ANSELMUS salutem.

Si domnus abbas Henricus te nostrae Ecclesiae perpetim concedere paratus est, aliter enim non consulo te venire, quia non expedit; nec facile est monachum ire et redire tam longo itinere: debuisti instare ut hoc mihi suis litteris et sigillo intimaret, sicut mandavi, ne pauperem hominem frustra cogeres tanto itinere laborare. Non enim decet ut pro solo verbo talis homunculi tantam rem incipiam. Moneo igitur quatenus aut litteras cum sigillo domni praefati abbatis, sicut dixi, mittas; aut omnino quod fieri nullatenus potest, dimittas; et dispositionem vitae tuae totam divinae misericordiae committas.

EPISTOLA XXII . AD HUGONEM. *Suggerit ei monita quibus erudiat saeculares qui ipsum adeunt.*

Domino et amico charissimo HUGONI incluso frater ANSELMUS dictus abbas Becci, a malis excludi, in bonis includi.

Duo viri laici nuper ad me venerunt dicentes se a vestra dilectione missos, quatenus ex nostra exactione aliquid assumerent, unde se ad patriae coelestis **349** amorem accenderent . Per quos etiam, ut referebant, postulastis ut aliquid a me breviter scriptum acciperetis, unde saecularium mentes hominum vos adeuntium ad hujus saeculi contemptum et aeterni regni desiderium incitaretis. Quod vos tanto melius per vos efficere potestis, quanto liberius hauritis vitae dulcedinem coelestis. Nam quod ego quasi a longe intueor, vos gustu sentitis; et quod ego mente jejuna ore rumino, vos cordis affectu glutitis: quod enim ego de sanctae vitae rectitudine utcunque intelligo, vos operibus tractatis; et quod ego utcunque loqui possum, vos faciendo gustatis. Quanto ergo satur suavius quam jejunus eructat; tanto dulcius vestra commonitio quod persuadere nititur, inculcat. Sed quoniam vestrae aliquid negare nequeo voluntati, quamvis hoc quod a me petitis, in latitudine sacrae Scripturae multo melius inveniatis: tamen dicam aliquid secundum petitionem vestram, ne me velut ejus contemptorem arguatis. Sic itaque aliquem illic tantum, et qui altiora capere non possit, ad beatitudinis aeternae desiderium existimo posse invitari. Frater charissime, regnum coelorum clamat Deus se habere venale. Quod quidem regnum coelorum tale est, ut ejus

beatitudinem et gloriam nec oculus hominis mortalis possit videre, nec auris audire, nec cor cogitare **(I Cor. II, 9)**: ut tamen aliquo modo illud possis cogitare. Quisquis ibi regna meruerit, quidquid ipse volet, hoc erit in coelo et in terra; quidquid vero nolet, non erit in coelo nec in terra. Tanta enim erit dilectio inter Deum et eos qui ibi erunt, et inter seipsos invicem, ut omnes se invicem diligant, sicut seipsos; sed omnes plus ament Deum quam seipsos. Et propter hoc nullus ibi volet, nisi quod Deus; et quod unus volet, hoc volent omnes; et quod unus vel omnes, hoc ipsum volet Deus. Quapropter quidquid unusquisque volet, hoc erit et de seipso et de omnibus aliis, et de tota creatura, et de ipso Deo. Et sic singuli erunt perfecti reges, quia quod singuli volent, hoc erit; et omnes simul cum Deo unus rex, et quasi unus homo, quia omnes unum volent, et quod volent erit. Hanc mercem clamat Deus de coelo se habere venalem. Si quis quaerit, quo pretio? respondetur illi: Non indiget terreno pretio, qui vult dare regnum in coelo; nec aliquis potest Deo dare quod non habeat, cujus est totum quidquid est. Nec tamen dat Deus tantam rem sine omni pretio, quia non dat illam non amanti. Nemo enim dat quod charum habet illi cui charum non est. Quoniam ergo Deus tua re non eget, nec dare debet tantam rem contemnenti amare illam; non quaerit nisi amorem, sine quo non dare debet. Da ergo amorem, et accipe regnum; ama, et habe. Denique quoniam regnare in coelo non est aliud quam sic conglutinari cum Deo, et cum omnibus sanctis angelis et hominibus per dilectionem in unam voluntatem, ut omnes utantur simul una potestate. Ama Deum plusquam teipsum, et jam incipis tenere quod sibi perfecte vis habere. Concorda cum Deo et cum hominibus , si tantum a Deo ipsi non discordent; et jam incipis cum Deo et cum omnibus sanctis

regnare. Nam secundum quod tu concordabis modo cum Deo et cum hominibus, in illorum voluntate concordabit Deus tuus et omnes sancti tecum in tua voluntate. Si ergo vis esse rex in coelo, ama Deum et homines sicut debes; et mereberis esse quod optas. Hunc vero amorem non poteris habere perfectum, nisi evacuaveris cor tuum ab omni alio amore. Quippe sic est de corde hominis et de hoc amore, quomodo de vase et oleo. Nam sicut vas quanto magis aquam aut alium similem liquorem, tanto minus capit oleum. Ita cor, inquantum occupatur alio amore, in tantum excludit istum. Est et aliud, quia sicut fetor est contrarius odori, et tenebrae luci; sic omnis alius amor, huic amori. Sicut igitur contraria nunquam simul integre conveniunt; sic nec iste amor cum ullo alio amore in uno corde. Hinc est quod qui cor suum implent dilectione Dei et proximi, nihil aliud volunt nisi quod vult Deus, aut quod vult alius homo, tantum si non sit contra Deum . Hinc est quod instant orationibus, et coelestibus colloquiis, et cogitationibus; quia dulce est illum desiderare Deum et loqui et audire et cogitare de illo quem multum amant . Hinc est quod gaudent *cum gaudentibus*, flent *cum flentibus* **(Rom. XII, 15)**, miserentur miseris, donant indigentibus, quia alios homines tanquam seipsos amant. Hinc est quod contemnunt divitias, potestates, voluptates, et honorari aut laudari. Qui enim haec amat, saepe facit aliquid contra Deum et contra proximum. Sic enim ex *his duobus* praeceptis *universa lex pendet et prophetae* **(Matth. XXII, 40)**. Qui ergo vult habere illum amorem perfecte, quo regnum coelorum emitur, amet contemptum, paupertatem, laborem, subjectionem, sicut sancti viri faciunt. Sic enim *qui se humiliat, exaltabitur* **(Luc. XVIII, 14)**. Breviter vobis haec, charissime , sicut postulastis, dixi; sed in horum

expositione prudentia vestra multo plura proferre poterit quam dixi. Si tamen de plenitudine beatitudinis aeternae aliquid a me latius dictum sanctitas vestra legere voluerit, in fine libelli mei, qui *Proslogium* appellatur, ubi de pleno gaudio tractavi, reperire hoc poterit. Valete, et orate pro me.

EPISTOLA XXIII . AD PETRUM. *Quod clericus priusquam stabilitatem libere promiserit, non potest invitus ab abbate detineri. Quodque in eo monasterio manere debet in quo prius petitionem et votum monachi fecit.*

Domno et Patri abbati reverendo PETRO frater ANSELMUS dictus abbas Becci, per praesentis vitae sanctitatem adipisci futurae felicitatem.

Fratrem me vestrae sanctitatis, sicut mandastis, et fraternitatem hanc me velle servare sicut poscitis, confiteor. Quod quia domino Ursioni clerico , qui apud vos petitionem et votum monachi fecit, et nunc apud nos manet, vultis apparere; nihil utique vobis minus de illo faciemus, quam a vestra charitate nobis fieri postularemus. Scitote namque quoniam apud nos priusquam apud vos petitionem et votum monachi fecit. Si ergo per hoc vos putatis juste illum posse revocare, quibus posterius hanc petitionem et hoc votum, importunitate precantium victus fecit; multo justius possumus nos illum retinere, quibus hoc prius de longe veniens spontanea voluntate, non ulla vestra

persuasione coactus, fecit ille: quo multo magis est debitor servare veritatem in prima et libera promissione quam in ejusdem primae promissionis violatione. Nam si praefatae petitionis et voti testes habetis et ejusdem confessionem; nos plus habemus, quia voluntatem ipsius tenemus cum testibus et confessione, et priores suscepimus ejus promissionem. Denique vestram non latet prudentiam quia quanto tempore novitius in incolumitate sui sponte petens monachicam conversionem, in monasterio conversatur ante professionem, secundum regulam nostram differtur propter stabilitatis probationem. Nec interim eum ullus cogere potest ad remanendum, sed libera ei conceditur potestas ad discedendum. Non dico quod non peccet , si acceptam bonam voluntatem deserat; et quod saepius ore bene promisit, diabolica persuasione deceptus exhorreat sed dico quia quamvis coram Deo mendacii arguatur ; non est tamen abbatis, **350** ut quod ille promisit, ab eo violenter exigat. Quam rationem et nobis et vobis pariter servandam esse cognoscitis. Quapropter si praedictum clericum vultis ad vos reducere, mittite pro eo: et, si voluerit, liberam habet potestatem a nobis recedendi; si autem noluerit, non a vestra discretione calumniam pati debet nobiscum remanendi; nec in nobis ulla debet esse voluntas illum expellendi. hoc enim modo me erga vos fraterno affectu uti, quod poscitis, existimo; si quod a vobis mihi ordinate fieri peterem, vestrae fraternitati facere non renuo. Ad calumniam vestram, quam dicitis, rationem excusationis nostrae exposuimus; sed quoniam inter nos et vos res haec agitur, consilium vobis dare non audemus. Quo tamen nos utamur in re simili consilio , dicere non prohibemur. Nostrum utique semper est consilium ut nullum ante illam sui deditionem, quam per cucullae

spontaneam acceptionem facit; si ad aliud monasterium ire voluerit, invitum teneamus novitium: sed inquantum possumus, illum absolventes, nostrum simul illi consilium, si poscit , impendimus et auxilium. Quod si bonam deserens volantatem monachus esse noluerit, a voto cujus se debitorem fecit non absolvimus, sed nullam illi vim per nos inferentes, illum Dei exactioni, cui se debitorem fecit, dimittimus. Si autem praedictus clericus nobiscum manserit, et res ejus, quas prius sicut seipsum nobis dedit quam apud vos petitionem et votum monachi faceret, retinere volueritis, nullam a nobismet calumniam sustinebitis. Valete.

EPISTOLA XXIV. AD IDAM. *Illi magnas gratias agit de beneficiis in se ac reliquos sui gratia collatis*.

Dominae suae dilectissimae, generis et morum nobilitate clarissimae comitissae IDAE frater ANSELMUS servus servorum Dei Becci commanentium, cum eisdem dominis suis, in flagranti desiderio Dei usque in finem manere, de desiderato conspectu Dei sine fine gaudere.

Gratias agere reverendae vestrae celsitudini tota mente vellemus; sed ut que dignas secundum magnitudinem benevolentiae et beneficiorum, quae nobis et multis pro nobis impenditis, non valemus. Illum igitur propter quem nobis, et quibuscunque potestis, tanta bona facitis, oramus ut ipse vobis secundum multitudinem divitiarum suarum retribuat, sicut optamus. Ex abundantia tamen

charitatis hortamur ut benefaciendo non deficiatis, quatenus tempore suo indeficienter metatis. Domnus Ricardus tator hujus epistolae promisit nobis se ad nos, si Deus illi concesserit, rediturum et nobiscum deinceps permansurum. Precamur igitur reverentiam vestram ut illum, secundum quod vestra scit prudentia, confortetis; et in omnibus in quibus vestro opus habebit auxilio, propter Dei et nostrum amorem adjuvetis. Dominum nostrum comitem virum vestrum, et filios vestros, vos ipsa ex nostra parte, quia fideliorem nuntium de nobis ad illos non habemus, sicut pro vestris fidelibus salutate.

EPISTOLA XXV . AD GUILLELMUM. *Ut si diligat Anselmum, veniat Beccum, et saeculum fugiat*.

Suo dilecto, suo dilectori, suo desiderato GUILLELMO frater ANSELMUS dictus abbas Becci, non diligere mundum, nec ea quae in mundo sunt, sed a Deo amari et Deum amare.

Quod prius dicam in epistola mea dilecto dilectori meo, nisi quod maxime postulat de dilectione mea. Anima namque dilecta animae meae mittendo litteras dilectione flagrantes, et dilectionem fragrantes, petit a me signa dilectionis, litteras consolationis. Quid autem dulcius, quid jucundius, quae major consolatio dilectioni, quam dilectio? Quid igitur scribam quod magis consoletur te dilectorem meum , quam quia sic te diligit anima mea; ut nisi te teneat, non consoletur

de te cor meum, nec satietur desiderium meum. Cum enim tanta dilectione, tanta postulatione rogas ut te diligam; utique facis ut te non solum voluntate diligam, sed et necessitate desiderem: et certe nihil consolatur desiderantem, nisi quod satiat desiderium, et nihil magis torquet quam dilatio. Optat dilectio tua consolari epistola dilectionis meae; desiderat dilectio mea delectari praesentia dilectionis tuae. Si ergo non vis torquere animam meam, satia quod tam studiose, tam vehementer accendisti, desiderium meum. Quomodo enim mihi dicis quia me diligis; et ut te diligam, anima dilecta mea, sinis torquere praecordia mea? Denique si eadem fervent dilectione intima tua, qua et mea, necesse est ut eodem desiderio liquefiat anima tua quo et mea. Sed quomodo vel possibile est ut tu velis me diligere te, et tu non similiter diligas me? Ne ergo sis crudelis in animam tuam et meam, veni et consolare tuam et meam. Sed cum exieris de civitate tua, esto Loth: ne respicias retro **(Gen. XIX, 14)**. Oculos habe ante, ut discas viam ad veniendum, ne habeas eos retro, ut obliviscaris viam ad redeundum; quatenus cum Apostolo *obliviscaris ea quae retro sunt*, et extendas te *ad ea quae* ante sunt **(Philip. III, 13)**. Aperte dico, sic veni, ut simul conversemur, si vis ut invicem nos consolemur. Possem, mi charissime, commonere dilectionem tuam ex multis sacrae Scripturae dictis, ut mundum et concupiscentiam ejus contemneres; si ea quae tibi dicturus essem ipse nescires. Memento, charissime, quia per vanitatem transimus ad veritatem. Noli amare vanitatem, si vis obtinere veritatem. Scito quia in Anglicam terram ante mediam hanc Quadragesimam proficiscor, circa Pentecosten, Deo annuente, monasterium nostrum reversurus. Si tamen Deus inspiraret tibi quod desidero et quod tibi expediret, scis

quia *semper nocuit differre paratis*, nec deessent qui te cum gaudio susciperent, sicut susceperunt olim, me absente, similiter domnum Rodulfum filium Lanscelini. Omnipotens Dominus praeveniat omnes voluntates et actiones tuas suo consilio, et subsequatur suo auxilio, amice mi dulcissime cordi meo.

351 EPISTOLA XXVI . AD MONACHOS BECCENSES. *Eos hortatur ut absente coenobiarcha vivant integerrime: et eis suae in Anglia morae causas reddit.*

Dominis et fratribus charissimis, servis Dei Becci commanentibus, frater ANSELMUS servus eorum, semper ad meliora cum humilitate proficere, et nunquam deficere.

Bene fecistis, quia de rebus domni Hugonis defuncti, et de his quae erga vos sunt, mihi mandastis; et quia gratia Dei vos et vestra protegi intimastis, me semper hoc desiderantem valde laetificastis. Quoniam autem vos scio non dissimiliter desiderare nosse quae circa me sunt, scitote quoniam ex quo a vobis, vestris me prosequentibus orationibus, egressus sum, omnia mihi prospere per Dei misericordiam evenerunt **(I Esdr. VIII, 23)**, et his qui mecum sunt. Ubicunque vel eundo, vel morando sum; non aliter quam in nostra re propria, Deo donante, sum. Quoniam vero rex chartam nostram de rebus quas habemus in Anglia, nonnisi praesentibus datoribus, qui non omnes in curia Paschali adfuerunt, voluit confirmare: jussit me usque Pentecostem ad curiam suam, ubi omnes

simul jam convenerunt, exspectare: qua confirmatione peracta, Deo vestris favente precibus, ad desiderantes et desideratos meos desidero remeare. Notum est, dilecti mei , dulcedini vestrae quia *religio* vestra *munda et immaculata apud Deum et Patrem est* **(Jac. I, 27)** desiderium meum, et bona vita vestra est in hoc saeculo gaudium meum. Si quid ergo de vestra charitate pro hac voluntate merui, ut taceam, bene vivendi, primum, quod majus est, precor, obsecro ut bene vivendo laetificetis absentes et praesentes cor meum, et de bono vestro impleatis desiderium et gaudium meum. *Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras* **(Philipp. IV, 7)**: ut magis ac magis (quod gratia Dei estis) *solliciti sitis servare unitatem spiritus in vinculo pacis* **(Ephes. IV, 3)**. Domnum Hugonem de Gornaco dilectissimum nostrum, et domnum Odonem antiquum amicum, et novum commilitonem nostrum, et

charissimas dominas et matres nostras dominam Evam, et dominam Basiliam ex nostra parte, quanto dulcius potestis, salutate; et eos, sicut vos et illos decet, et nostram scitis voluntatem, serviendo et honorando confortate. Si plusquam dixi moram fecero, tolerate; quia spero in Deo, non erit sine aliqua utilitate.

EPISTOLA XXVII. AD ROBERTUM. *Ut qui, relicto monasterio suo, absque causa et ipso absente discesserat, eo revertatur*.

Domino et fratri dulcissimo ROBERTO ANSELMUS salutem et vitam consequi sempiternam.

Dictum est mihi quia postquam ivi in Angliam, noluistis in monasterio vestro conversari. Quod si factum est bono animo et propter rationabilem causam, utcunque potest tolerari; si vero aliquo rancore factum est, scitote me multum mirari. Nam etiamsi habetis aliquam causam, quae vobis recta videtur, ut a monasterio vestro vos alienaretis; vel propter amorem nostrum deceret vos exspectare, donec mihi rem ipsam, quae vos offenderet, intimaretis; et deinde nostro consilio cor vestrum, sicut servum Dei deceret, pacaretis. Precor igitur ut si me et consilium meum diligitis, sicut ego vos semper dilexi et diligo, ad monasterium vestrum veniatis, et ibi cum aliis pacifica et benigna conversatione Deo serviatis. Si autem mihi acquiescere nolueritis scitote quia animae vestrae non expedit, et me contristatis. Quod si vobis grave est placita tenere quae vobis commendavi, magis volo ut illa dimittatis quam quod animam aut famam vestram laedat faciatis. Non dico modo verba inconvenientia, quae de vobis pro hac occasione dicuntur in Anglia. Valeat mihi dulcis charitas vestra; et ne faciat quod me contristet, quia jucunda est mihi benignitas vestra.

EPISTOLA XXVIII . AD HAYMONEM ET RAYNALDUM MONACHOS. *Ut Becci cucullam induant, qui e longinquo illuc venerant*

Anselmi convisendi ergo, eos vehementer hortatur.

Suis dilectissimis et desideratissimis consanguineis HAYMONI et RAYNALDO frater ANSELMUS servus servorum Dei Becci commanentium, tota virtute vanitatem contemnere, et toto affectu ad veritatem contendere.

Cum audivi, animae dilectissimae animae meae, quas sicut se diligit, et de quibus quod de se, desiderat anima mea; cum audivi vos de tam longe quaesivisse faciem meam, exprimere nequeo quantum gaudium perfudit cor meum, quantum dilatata est spes mea de vobis, quantum prius ardens, vehementius exarsit desiderium meum de vobis. Concupiscunt jam, dilectissimi mei, concupiscunt oculi mei vultus vestros, extendunt se brachia mea in amplexus vestros. Anhelat ad oscula vestra os meum, desiderat conversationem vestram quidquid restat de vita mea, ut in pleno gaudio futurae vitae vobiscum gaudeat anima mea Hoc optant, hoc orant de vobis ardentia pro vobis intima mea, charissimi, hoc jam fidentius sperant, et ad hoc ardentius anhelant, quia vos in Northmanniam adduxit voluntas Altissimi. Spero enim orando, et oro sperando in eo qui sua gratia tantum fecit, quia secundum votum meum perficiet quod incoepit. Sed quoniam donec videam quod opto, stimulat me desiderium meum, interim *ex cordis abundantia loquitur os* **(Matth. XII, 34)** meum. *Gustate*, amantissimi, quam *suavis est Dominus* **(Psal. XXXIII, 9)**; quod nequaquam scire potestis quandiu dulcis est vobis mundus. Scitis, dilectissimi mei, quia *mundus transibit et concupiscentia ejus* **(I Joan. II,**

17); *Deus* autem permanebit **(Psal. CI, 13)**, et omnis gloria ejus. Qui ergo diligit mundum, sectatur vanitatem, et consequetur miseram indigentiam; qui autem, contempto mundo, eligit Deum, sequitur veritatem et inveniet beatam sufficientiam. Sed quid cunctor aperte dicere desiderium cordis mei? Dicam ego: Persuadeat Deus. Desiderati mei, nihil tam bene potestis, quam monasticae vitae propositum arripere; nusquam melius hoc potestis, quam cum illo qui vobis in hoc desiderat et potest, Deo dante, servire et consulere. Utique non fallo, quia amicus sum; certe nec fallor, quia expertus sum. Simus ergo monachi simul, serviamus Deo simul, ut de invicem nunc et in futuro gaudeamus simul una caro, unus sanguis, una anima, unus spiritus simus. Denique accessistis, accedendo succendistis, succendendo conflastis, conflando consolidastis animam meam cum animabus vestris. Scindi potest, secerni jam non potest. Trahere illam ad saeculum vobiscum **352** non potestis. Aut ergo cum illa manebitis, aut illam scindetis. Sed si illi cohaeretis, non solum consanguinei, sed et conspirituales estis. Si vero illam scinditis, non consanguinei, sed vere sanguinei et carnales estis. Si ad hoc venistis, vos ipsi judicate qui et quales dicendi estis. Sed absit! charissimi; sed avertat Deus, dilectissimi, ne tam insanabiliter animam vos diligentem et erga vos innocentem laedatis; ne tam intolerabiliter spem de vobis bonam confundatis. O quomodo inter praecordia mea fervet amor meus! Quomodo laborat totus erumpere simul affectus meus! Quomodo quaerit se verbis exprimere; sed nulla verba sufficiunt! Quanta vult expromere; sed tempus et charta non capiunt! Dic tu, o bone Jesu, cordibus eorum, sine quo nulla vox valet auribus eorum; dic illis ut relinquant omnia, et sequantur te. Promitte illis quia, cum veneris judicare,

sedebunt tecum et judicabunt tecum. Nec separes a me, quibus me tanto carnis et spiritus affectu junxisti; sed aggrega eos illis quibus tibi servientibus me servire jussisti. Domine, tu testis es interius; et lacrymae quae, me hoc scribente, fluunt, testes sunt exterius, si mecum quod opto fecerint quomodo gaudens erit cor meum: si alibi hoc fecerint, quam melius illis scio, quid talibus expediat, qualiter timida et suspensa erit mens mea? Si saeculum tenuerint, quam dolens et tristis erit anima mea. Nimis loquor, sed immenso amore cogor. Amati et desiderati, valete et manete. Manete, inquam, et permanete. Quod utinam prius audiam incoeptum quam veniam, et cum venero, inveniam!

EPISTOLA XXIX AD HENRICUM. *Ut quantocius mundum relinquat*

Domino, fratri amico HENRICO frater ANSELMUS, abbas Becci, bonae voluntatis perfectionem et effectum.

Benedictus Deus in donis suis, *et sanctus in omnibus operibus suis* **(Psal. CXLIV, 17)**, qui vestrae dilectioni tantum de nostro desiderio, propter quod ivistis, concessit efficere: quem oramus ut quod deest adhuc de voto nostro et de vestra mercede, dignetur perficere. De qua re consilium nostrum per fratres nostros mando. De gratia et dilectione ducis, de qua mihi scripsistis, multum gaudeo; et pro ea Deo et illi et vobis gratias ago. Quod etiam illi per litteras facere cogito, cum nuntii vestri, sicut audivi constitutum esse, ad illum redibunt. Et quoniam nescio si hoc

necesse erit fieri antequam redeam; cum primum poteritis, mandate mihi praenomen ejus, et nomina uxoris et filiorum ejus: solum enim nomen ejus teneo, quia Vitalis vocatur. Sed quoniam dulcis mihi vestra dilectio sic me sibi sua probitate conglutinavit, ut idem de vobis, quod de me, desideret cor meum, unde jam spem magnam ex vestris sermonibus concepi, non potest mens mea quiescere, donec ipsum meum desiderium de vobis satietur. Quamvis igitur nullus sermo mihi sufficiat, donec Deus quod opto perficiat, pauca tamen, quia non nescienti loquor, pro hoc ipso amica familiaritate commemoro. Pensa igitur, dulcis amice, quantalibet mundi gloria potitus fueris, quis sit finis, et in fine quis fructus, quod praemium: et econtra, quae sit exspectatio mundi gloriam calcantium. Si dicis, non soli monachi ad salutem perveniunt, verum est. Sed qui certius, qui altius illi qui solum Deum conantur amare; an illi qui amo rem Dei et amorem saeculi simul volunt copulare? Sed forsitan dicet aliquis quia et in ordine monachorum est periculum. O homo qui hoc dicit, quare non considerat quid dicit! O rationalis natura! an est hoc rationabile consilium, ut quia ubique est periculum, ibi eligas manere ubi majus est periculum? Denique si ille qui solum Deum nititur amare servat propositum usque in finem, certa est salus. Si vero ille qui mundum vult amare, non deserit suum propositum ante finem, aut nulla, aut dubia, aut minor est salus. Et certe satis probat quia nullatenus, aut parum aliquod bonum diligit, qui illud ubi certius et melius cognoscit, non elegit. Sed dicunt multi: Gravius irascitur Deus peccanti monacho quam alii, quia de proposito altiori cadit. Hoc verum est, quandiu est in peccato. Sed certe benignius et familiarius suscipit Deus monachum poenitentem, si ad suum propositum rediit, quam non monachum qui ad idem

propositum non venit. Plus namque placet Deo etiam post grave peccatum, cujus propositum est et ante post, quo majus habere non potest, quam ille qui nec ante nec post simile peccatum, vult proponere, quo melius non potest. Si ergo et innocentibus et poenitentibus melius est ad vitam monachicam venire, et redire, quam absistere: quid moraris? Si prius de hac vita tolleris, damnum est irrecuperabile. Multa, charissime, de monachicae vitae altitudine et certitudine, de quiete et jucunditate dicere possem, si epistola modum non excederet: festina ergo ad tantum bonum, quia nullo bono efficacius venies ad summum bonum. Plures vidi hoc promittentes et differentes, quos ita mors tulit ut nec hoc perficerent quo se impediebant, nec hoc inciperent quod promittebant. Quod valde timeo de te; sed avertat Deus a te, charissime. Vale, et noli tardare.

EPISTOLA XXX . AD WALCHELMUM. *Quod monachum ad tempus datum non possit retinere invito abbate qui eum repetit. Et intercedit pro Gisleberto*.

Domno et Patri reverendo episcopo Wintoniensi WALCHELMO frater ANSELMUS, orationum et servitii fidelitatem.

Secundum quod vestram scivi voluntatem, locutus sum cum domno abbate de monte Sanctae Trinitatis. Concessionem a domno abbate Rainero antecessore suo vobis factam esse de domno Stephano monasterii sui monacho penitus negat. Hanc

autem negationem mihi sic se putat asserere, quia dicit se vestris precibus eumdem fratrem eo tenore concessisse, ut quandocunque ab ipso, aut post ipsum a priore sui monasterii revocaretur, absque excusatione rediret; vestramque reverentiam eumdem non invitum suscepisse. Persuasi tamen quantum potui, ut nihil contra voluntatem vestram acceleraret. Quid tandem jam velit, vobis aut jam scripsit, aut scripturus est, omni interim de dilatione reditus fratris offensione remota. Interea, si quid plus potero, secundum quod scio vos inde velle, apud illum efficere tentabo. Domnus Robertus frater, et sub vestra sanctitate conservus noster, quem et dilectorem vestrum volo dicere, quia scio, sed non audeo; quia forsitan non omnis qui audit, credit: nescio quid supra me confidens per me nimis instat, quatenus apud me pietatem vestram pro fratre meo Gisleberto intercedam. Sed valde grave mihi semper est aliquid a quoquam petere contra ejus voluntatem, maxime ab illo cujus nunquam volo offendere benignitatem. Itaque angustiae mihi sunt undique. Si enim precibus pietatis non moveor, nimis ero durus; si autem aliquid precibus ab invito extorqueo, etiam quod sponte tribuendum sit, timeo videri **353** importunus. Quoniam igitur nec tacere audeo, nec rogare, saltem ad discendum liceat servo vestro benignam vestram prudentiam humiliter interrogare: *Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* **(Matth. II, 7)**. Doceri ergo a vestra sapientia cupio, si apud Deum pater non portat iniquitatem filii, nec filius iniquitatem patris, utrum apud propinquum frater portet iniquitatem fratris. Videmus enim hoc fieri non solum apud multos extraneos, sed et apud quosdam propinquos, quorum auctoritas facile reprehendenda non est. Denique quomodo

verum est quia *sicut anima patris, ita et anima filii, Dei est* **(Ezech. XVIII, 4)**; ita verisimile videtur quia sicut caro fratris, ita et caro fratris consanguinei est; et si cujuslibet culpa in propinquum transit, propinquior est filius patri quam frater fratri. Si ergo vestrae pietati solubilis videtur haec quaestio, praefatum Gislebertum, quia prope est, doceat suam solutionem, et super ipsum erit dubitanti mihi susceptam mandare responsionem. Valete.

EPISTOLA XXXI. GREGORII PAPAE AD ANSELMUM. *Ejus precibus se et Ecclesiam commendat, et ei praecipit ut justitiam faciat cuidam converso suo*.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ANSELMO venerabili abbati Beccensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam fructuum tuorum bonus odor ad nos usque redoluit, etc. *Vide in Gregorio VII, Patrologiae tom. CXLVIII*.

EPISTOLA XXXII . URBANI II AD ANSELMUM. *Ut episcopo rerum ecclesiasticarum imperitiori adsit. Ut non differat sedem apostolicam visitare, et ad eam*

mittere quae Hubertus subdiaconus ejus legatus collegerat ex censu B. Petri.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, ANSELMO venerabili et dilectissimo abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Religionis ac scientiae tuae praerogativam scientes, etc. *Exstat supra in Urbano II, Patrologiae tom. CLI.*

EPISTOLA XXXIII . ANSELMI AD URBANUM. *Exponit duram quam Belvacensis episcopus et a clericis et a laicis patitur persecutionem. Et postulat sedis apostolicae privilegium pro suo monasterio contra episcopalem dominationem.*

Domino reverendo, Ecclesiae catholicae summo pontifici, URBANO, frater ANSELMUS, servus servorum Dei Becci commanentium cum debita subjectione fidele servitium.

Gratias ore et corde celsitudini vestrae, quantas possum, ago; quia parvitatem meam dignata est suae benignitatis epistola honorare, et apostolica benedictione laetificare. Pro vestra et Romanae Ecclesiae tribulatione, quae nostra et omnium vere fidelium est, non cessamus orare Deum assidue, *ut* mitiget vobis **354** *a diebus malis, donec fodiatur peccatori*

fovea **(Psal. XCXIII, 13)**. Et certi sumus, etiamnum nobis moram videatur facere; quoniam *non relinquet virgam peccatorum super sortem justorum* **(Psal. CXXIV, 3)**; quia *haereditatem suam non derelinquet* **(Psal. XCXIII, 14)**: et *portae inferni non praevalebunt adversus eam* **(Matth. XVI, 18)**. De dilectissimo nostro episcopo Belvacensi, quem ea diligentia qua scivi et potui, exquisito ejus introitu, ut onus episcopale susciperet coegi; sic multimode coactus regis Francorum et cleri Belvacensis, et multorum aliorum religiosa (inquantum cognoscere poteram) instantia, cum assensu Remensis archiepiscopi, nullo resistente, ut nisi hoc facerem, Deum timerem offendere. Novit sanctitas vestra qua voluntate post susceptum episcopatum olim eam petiit, quid fecit, quomodo rediit. Cur autem nunc quoque vestrae se majestati repraesentet, plenius per ejus vocem quam per litteras nostras innotescet. Scio namque quoniam ipse mendacium, et maxime in hac re coram vobis exsecratur, et sperat ob puritatem conscientiae quia veritas in hac causa sibi non adversatur. Verum rei ipsius serie pertractata, nec vestra prudentia nostro consilio indigebit, nec justitia precibus opus habebit. Solum igitur hoc nunc intimo, quod si ad vestram jam venit (sicuti est aut venturum est) notitiam per alium, nescio; scilicet quia non minimam idem episcopus *persecutionem* patitur *propter justitiam* **(Matth. V, 10)**, quam per jussionis vestrae servare nititur obedientiam. Nam, intantum ejus odium canonici et presbyteri ejus episcopatus, paucissimis exceptis, et quidam laici exardescunt, et extraneos, quoscunque possunt et quibuscunque modis valent, accendunt, ut non solum ipsum, sed et illos immoderate detestentur, et detestabiles monstrare conentur, qui ei aliquod solatium impendunt: ut

cum Propheta ipse dicere possit: *Tota die verba mea exsecrabantur, adversum me omnes cogitationes eorum in malum: inhabitabunt et abscondent; ipsi calcaneum meum observabunt* **(Psal. LV, 6)**. Canonici quidem et presbyteri hoc illi faciunt, quia eos a pravis consuetudinibus, et maxime a mulierum reproba conversatione vult prohibere, et filios eorum, sive quos sibi secundum placitum haeredes eligunt, a praebendarum haereditaria successione, atque a sacrorum ordinum promotione conatur arcere. Laici vero idcirco, quia invasionibus rerum Ecclesiae inordinate factis non vult favere. Quapropter ut eum vestris litteris vehementer roboratum remittatis, valde necessarium existimo, et ut dominum supplex servus postulo. Sicque illum auctoritas vestra Remensi archiepiscopo, et aliis vicinis episcopis, et clero civibusque Belvaci, et ejusdem episcopatus nobilibus commendans contra malevola machinamenta muniat, ut in exsecutione mandatorum vestrorum non tam eos adversarios quam adjutores inveniat. Praesumo aliquam gratiam de vestrae largitate pietatis Ecclesiae Beccensi postulare; sed haec praesumptio non tantum de mea ascendit temeritate, quantum de vestra reverenda mihi et charissima descendit benignitate, quae se meae parvitati litteris per praefatum episcopum Belvacensem missis, et verbis mihi per illum et quosdam alios relatis, dignata est monstrare. Est enim nova res, nostrum monasterium nec adhuc ulla antiquitate, aut ullius apostolica auctoritate, aut privilagio confirmatum; sed vestris temporibus et vestrae clementiae jassioni divinitus servatum. Ut ergo aliquo vestrae auctoritatis dono, prout vestrae visum fuerit religiosae discretioni, se gaudeat honorari et confirmari, nulla nostra merita obtendimus; sed divinae voluntati et vestrae pietati committimus. Non enim ignotum

esse puto vestrae excellentiae quia plures episcopi non tantum gaudent monasteria paterna pietate nutrire et episcopali cura erudire, quam austera quadam dominatione et propria voluntate gravare. Quod tamen sub paterna sanctitate reverendi archiepiscopi nostri Guillelmi fidelis dilectoris nostri non timemus. Servi vestri, conservi et domini mei fratres nostrae congregationis, qui pro vestra paternitate quotidie mecum non cessant orare, desiderant se mecum orat orationi et benedictioni vestrae commendare .

EPISTOLA XXXIV . AD URBANUM. *Timet ne episcopus tam gravibus aerumnis obruatur; eumque optat episcopatu absolvi*.

Suo reverendo domino Christianorum universali pontifici URBANO frater ANSELMUS, quod suus.

De Belvacensi episcopo, quod sentio breviter, sed magno affectu dico, et ut notum sit vestrae pietati desidero. Nihil proficit in episcopatu, sed et ipse a sui custodia impeditur, nec rebus Ecclesiae prodest, nec in futuro ego, aut aliquis eorum qui rem noverunt, et secundum Deum eam considerare volunt, aliquid melius sed deterius exspectamus. Non quia in ejus innocenti vita aliqua culpa malae voluntatis sit; sed quia non est talis qui tantum onus possit sustinere, tantam malitiam irruentem, tantas insidias circumstantes cavere. Unde valde timeo ne abundantiori tristitia absorbeatur, in qua cum nimio dolore cor ejus versatur, et in qua nullo alio vinculo quam sola vestra jussione ligatur. Quapropter ego et alii secundum Deum

amici ejus corde cum ipso prosternimur ad vestigia vestrae misericordiae, ut ei viscera sua aperiat, et de tanto malo et periculo, in quibus sine utilitate esse se sentit, clementer eripiat. Ne prohibeat agnum mitem de medio circumvenientium et irruentium luporum et leonum fugere; nec puerum innocentem de Chaldaeorum fornace exire. Quod qualiter meae parvitati fieri posse congruentius videatur, per eumdem ipsum excellentia vestra poterit audire, si dignatur. Eo enim modo, nisi aliter prudentiae vestrae videbitur, nequaquam gloriabitur se malitia per falsitatem praevaluisse; sed innocentia gratulabitur per libertatem mentis evasisse. Mirari potest forsitan vestra sapientia cur sic mihimet contrarius videat existere, ut quem episcopum fieri coegi, episcopatum velim deserere. Sed fateor illi, cui conscientiam meam celare non debeo, quia mala quae patitur, prius sensi et praedixi, cum ad episcopatum peteretur; sed illi in me sententiam meam obruerunt, qui illum petendo cum magna importunitate concorditer in me irruerunt. Timebam enim in corde meo asserere Deum magis esse in meo solo sensu et voluntate, quam in multorum, se simpliciter eum propter Deum petere clamantium, unanimitate. Ingerebat se etiam hoc menti meae, quia saepe Deus magis operatur per vitam illitteratorum quaerentium quae Dei sunt, quam per astutiam litteratorum quaerentium quae sua sunt . Ecce in conspectu vestro est, cur eum episcopum fieri concessi, et cur nunc mutare desiderem quod coactus concessi: et judicio vestro subjacet, si puniendum, aut corrigendum, aut suscipiendum sit quod facio et quod feci. Paternam vestram sanctitatem omnipotens Deus diu nobis in integra prosperitate conservet, Amen. Soli vestro conspectui hanc epistolam notam esse, si

vobis placet, quidquid de illa vobis videatur, desidero et flagito.

355 EPISTOLA XXXV . AD JOANNEM. , *De falsa et impia assertione cujusdam qui tres personas in Deo dicebat esse tres res*.

Domino, et fratri dilecto JOANNI, frater ANSELMUS semper ad meliora proficere.

Ad litteras, quas mihi dilectio vestra misit, de illo qui dicit in Deo tres personas esse tres res; aut Patrem et Spiritum sanctum cum Filio esse incarnatum; ideo tandiu moratus sum respondere, quia volebam plenius de hac re loqui. Sed quia, multis me occupationibus impedientibus, postquam epistolam vestram suscepi , non mihi licuit, interim inde breviter respondeo; in futuro vero, si Deus dare opportunitatem dignabitur, voluntatem habeo copiosius inde tractare. Quod ergo dicit tres personas tres res, aut vult intelligi secundum tres relationes, id est secundum quod Deus dicitur Pater, et Filius, et a Patre et a Filio procedens Spiritus; aut secundum id quod Deus dicitur. Sed si ipsas tres relationes dicit tres res esse, superflue hoc dicit. Nullus enim negat hoc modo tres personas esse tres res. Sic tamen, ut diligenter intelligatur, quomodo ipsae relationes dicantur res, et cujusmodi res; et si aliquid faciunt eaedem relationes circa substantiam, quemadmodum multa accidentia, an non. Quamvis videatur non intelligere hoc modo tres res, quas dicit: ex eo quia subjungit triam personarum unam esse voluntatem, aut

potestatem. Nam tres ipsae personae non habent voluntatem, aut potestatem secundum relationes, sed secundum hoc quod unaquaeque persona Deus est . Quod si dicit tres personas esse tres res, secundum quod unaquaeque persona est Deus; aut tres deos vult constituere; aut non intelligit quod dicit. Ad ostendendum quid sentiam de sententia praefata, ista interim dilectioni vestrae sufficiant. Quod autem petitis mecum conservari, antequam Romam proficiscamini, scitote quia quantum ad dilectionem honestatis vestrae pertinet, libenter vellem. Sed inquantum intelligo, et vobis parum esset utile propter multas occupationes meas, et impedimentum esset vobis. Omnino namque persensi quia, nisi cum episcopo manseritis usque dum proficiscamini, aut nihil aut parum vos ipse juvabit ad hoc quod facere debetis; nec ego aliquid, quod valeat ad iter agendum, vobis facere possum.

EPISTOLA XXXVI. AD GISLEBERTUM. *Laudat vitae ab abbate institutae rationem. Fratrem, quem in claustrum reduxerat, ei dimittit.*

Amico, fratri, domino, Patri, dilecto dilectori reverendo abbati GISLEBERTO frater ANSELMUS, perseverantem in longa vita cum prosperitate sanctitatem, et indeficientem in aeternitate felicitatem.

Si velim scribere mutuae nostrae dilectionis affectum, timeo ne aut videar ab ignorantibus veritatem excedere, aut necesse sit aliquid veritati subtrahere. Qui affectus quantus et quam

verus sit, cum multum cognoscerem, quando sese oculo ad oculum, osculo ad osclum, amplexu ad amplexum ostenderet: nunc multo magis experior, cum abesse illum irrecuperabiliter, in quo tanta jucunditate delectabar, intueor. Sicut enim abundans nescit quid sit indigenti, ut qui deliciis affluit, ignorat quid sit esurienti; ita qui amico fruitur, non sentit languorem animae carentis. Quoniam ergo nec scribi sufficienter potest quid nobis invicem sit, nec ignoranti loquor: his interim omissis, oro vobiscum ut aliquando nos invicem videntes oculo ad oculum, osculo ad osculum, amplexu ad amplexum non oblitum amorem recolamus. De his autem quae de vitae suae conversatione charitas vestra mihi dignata est exponere, gratias ago Deo quia nihil ibi videre possum, quod non sit laudabile. De fratre illo, quem in claustrum reduxistis, quod vultis donec vobis aut nobis aliter videatur, concedo: sed occulta ejus vestra discutiens prudentia, prout judicaverit, illi coosulat. De damno vestro, quod mandastis, miror et condoleo. Quod dignatur vestra charitas excusare se, quia non potest modo facere quod vellet: gratias ago vestrae dignationi et bonae voluntati. De domno Lanfranco nihil melius scivi, aut potui, quam quod in Anglia feci et dixi. Valete.

EPISTOLA XXXVII . AD IDAM. *Quod debet niti ad profectum, qui cupit defectum vitare*.

Reverendae et charissimae dominae suae comitissae IDAE frater ANSELMUS, per bona temporalia ad aeterna pertingere.

Sicut verus amor, quem secundum Deum erga reverentiam vestram habeo, a sua integritate non potest deficere: ita nunquam debet a salubri exhortatione deficere. Quamvis igitur semper sperem prudentiam vestram undique sibi prospicere, ne callidus hostis aliqua fraude violare valeat bonae vitae propositum; nequaquam tamen, si vel tantum suggero ut instantius faciatis quod bene facitis, judicandum est esse superfluum. Nullus enim gaudium bonae vitae quem jam conscendit, custodire sufficit, qui semper ad altiorem proficere non appetit. Semper igitur necesse est ut nitatur ad profectum, qui semper vult vitare defectum. Sic itaque se reverentia vestra, imo Deus cor et os et actus vestros semper et ubique custodiat, ut vita vestra nunquam, et nusquam in magnam, vel parvam culpam decidat. De monasterio vestro, quod a me petebatis, regi Anglorum retuli; sed certe non laudavit ut facerem. Argentum domni Ricardi per praesentium latorem mitte nobis. Valete.

EPISTOLA XXXVIII . AD ROBERTUM. *Peccare statuens, et divinitus impeditus, si postea laetetur se non peccasse, reus non est ac si crimen ipsum comisisset a Deo desertus*.

Domino et Patri, abbati reverendo ROBERTO, pater ANSELMUS dictus abbas Becci, hujus vitae prosperitatem et futurae felicitatem.

Respondens vestrae reverentiae de re, unde per filium suum Villelmum meam parvitatem dignatur consulere, vellem exempla et auctoritates proponere: sed ejus festinatione, et mea occupatione, sicut **356** ipse testis est, impediente, vix mihi licet rei ipsius veritatem simpliciter exponere. Nuliius Catholici ignorat prudentia quia sicut ille qui bonum opus facere volens prohibetur, et postea gaudet se facere non potuisse quod bene voluit, non est laudandus non fecisse bonum quod proposuerat. Ita ille qui pravum opus agere disponens non permittitur et postea laetatur se non esse concupiscentiae suae traditum, nequaquam judicandus est crimen egisse quod voluerat. Nam etsi quandiu est aliquis in criminis voluntate, si in nulla vitam terminat, de crimine judicandus sit, magna tamen distantia est inter illum, quem ira superni judicis usque in reprobam actionem deserit, et illum, quem gratia a praecipitio servans operis in bonam voluntatem restituit. Multum igitur est criminandus ille qui pariter illis crimen conatur impingere, quorum pravas voluntates divina sapientia tam diverse voluit disponere. Ille namque nomine facinoris notandus est, qui aut in actum labitur, aut in malitiosa intentione deseritur, non ille, qui nec in opus malitiae praecipitatur, et a perversa intentione eruitur. Hic enim in hoc servatus est, unde gaudendo gratias possit agere; ille in hoc desertus est, unde dolendo veniam necesse sit petere. De hoc certum est quia pro hujusmodi gaudio praemium accipiet; illi multum est, si pro dolore peccati poenam effugiet. Plura vellem scribere, sed quia, sicut dixi, mihi non licet, ista vel ad testimonium eorum , quae praedictus filius vester de nostra viva voce vobis referet, licet intercisa, sine reprehensione suscipite. Valete.

EPISTOLA XXXIX . AD LAMBERTUM. *Hunc nobilem virum ad vitam monasticam hortatur*.

Dilecto et desiderato in Christo LAMBERTO frater ANSELMUS abbas Beccensis, toto corde saeculi hujus vanitatem contemnere, et ad aeternam veritatem contendere.

Tanta mihi charissimus frater et filius meus domnus Rodulfus Belvacensis, olim socius tuus, nunc verus amicus et desiderator tuus, retulit de nobilitate et de morum tuorum, quae generis nobilitatem exornat, honestate, ut non parvo affectu cogatur cor meum te desiderando diligere, et diligendo desiderare. Quapropter quoniam animam tuam anima mea nec minus vult, nec plus potest diligere quam seipsam: non aliud potest desiderare de illa quam de seipsa. Hoc igitur est de te desiderium meum ut mundum relinquendo Christum sequaris, et per temporalem humilitatem et paupertatem, exaltationem et divitias aeternas consequaris. Non te detineat, mi dilecte, nec moretur ulla occasio carnalis; quia utique non est consilium, non expedit bonum aeternum perdere, aut minuere, aut vel differre pro temporali. Quod si superna gratia tibi, quod utinam videant oculi mei, inspirare dignabitur secundum desiderium meum, et ad hoc eligere dignabertis consortium et consilium meum, jam dilatata in amplexus tuos obviam cantat tibi anima mea: *Paratum cor meum*, dilecte mi, *paratum cor meum* **(Psal. LVI, 8)**. Vale, dulcissime, vale: et quam dubia et

brevis sit vita hominis, et quam infinita sunt quae sequuntur bona vel mala, incessanter memorare.

EPISTOLA XL . AD ERMENGARDAM. *Ipsa, consentiente viro, voverat continentiam; sed cum vir monachus vellet fieri, ipsa non vult: unde eam precatur Anselmus ut annuat*.

Dominae in Deo dilectae ERMENGARDAE frater ANSELMUS abbas Becci, salutem et fideles orationes .

Quamvis vos non cognoscam visu, tamen quia ejus ordinis sum qui omnibus hominibus debet bene velle et salubriter consulere, nulli mirum videri debet si vestram reverentiam, secundum quod audio expedire, commoneo. Audivi, charissima domina, qualiter sit inter virum vestrum et vos, quoniam nobilitas vestra non hoc patitur occultari, sed longe lateque facit publicari. In qua re primum gratias ago Deo, a quo est omne bonum, qui eidem viro vestro dedit tanta constantia temporalem gloriam contemnere, et vobis concessit tot tribulationes pro tuenda castitate tam viriliter sufferre: ita tamen ut ille in ipso mundi contemptu non plus diligat seipsum quam vos, nec vobis aliquid in hoc mundo sit clarius illo. Certe ambo in hoc Deo et bonis hominibus amabiles, ambo estis laudabiles, utique in tanta et tam vera mutua vestra dilectione non tam corpora vestra diligere credendi estis quam animas. Corpora namque vestra nulla cura, nullo mutuo amore potestis a morte temporali eripere; animabus vero vestris, si ipsum vestrum amorem regere scitis, vitam aeternam potestis

acquirere. Quid ergo est, femina reverenda, femina probatae castitatis, quid est quod te cogit impedire virum tuum, ne perfecte quaerat salutem animae suae, quam non minus deligis quam tuam? Nullatenus enim vel cogitandum est ut hoc facias propter vilem carnis delectationem, quam tantum, postquam ipse a te discessit, contempsisti: ut ne virum alterum susciperes, cum hunc habere non posses, multas passa sis tribulationes, multas respueris persuasiones. Quod si detines animam ejus a salutis suae profectu, propter gloriam et commoda temporalia quae amas, et quae te per illum speras posse retinere: quomodo diligis animam illam, cujus certo et aeterno commodo dubia, vilia et transitoria tua praeponis commoda? Aut qua ratione potes ab eo exigere, ut ipse aeterna bona animae suae postponat temporalibus bonis corporis tui; si tu bona corporis tui praeponis bonis animae illius? Vide ergo, charissima domina, vide, fortis et prudens mulier, vide si hoc facis, quam non bene regas amorem tuum, quam non recte diligas diligentem te virum tuum. Quid si illum cogis ut desiderat consilium animae suae pro voluntate tua; et tunc morte tua vel illius occurrente; aut alio casu, sicut solet, irruente, ille non prosit tibi, et tu noceas illi; atique si noces animae illius, noces animae tuae. O quanto melius, reverenda domina, quanto laudabilius ostenditis vos diligere virum vestrum, si non solum permittitis, sed etiam consulitis et juvatis, ut quod incoepit, Deo inspirante, hoc conetur perficere, ipso adjuvante: si bonum illius amando, vestrum facitis; si certissime creditis; quia quanto fortius propter amorem Dei et proximi, humanum auxilium dimittitis, tanto familiarius et securius vos divinae protectioni committitis. Confidat ergo in Deo prudens vestra fortitudo, et fortis prudentia: et sicut, si mortuus esset vir ille, absentiam ejus

sufferretis nolendo, sine ullo ejus et vestro proficuo; ita dum vivit, sponte illam tolerate pro magno ejus et vestro praemio. Concedite ut libere faciat quod desiderat, quatenus **357** cum illo participetis mercedem. Si enim Deus curam gerit de viduis quae non propter illum sunt viduae: multo charius illam fovebit quam pro suo amore videbit sponte viduam. Quod si contigerit (quod forsitan non erit) ut terrenum perdatis honorem, nolite dolere, quia in coelo recipietis meliorem. Et certe quod a melioribus et sapientioribus multum contemnitur, non est multum dolendum, si perditur. Plus aliquid vellem consulere, sed non audeo; orare tamen non timeo. Omnipotens et misericors Deus ita det tibi mundi contemptum, sicut dedit viro tuo; ut in coelesti regno par sis viro tuo soror et Domina in Deo dilecta.

EPISTOLA XLI . AD FALCONEM. *De Roscelino, qui Lanfrancum et Anselmum secum sentire dicebat in Deo esse tres res, et vere dici posse tres deos*.

Domino et amico charissimo, reverendo episcopo Belvacensi FULCONI frater ANSELMUS dictus abbas Becci, salutem.

Audio (quod tamen absque dubietate credere non possum) quia Roscelinus clericus dicit in Deo tres personas esse tres res ab invicem separatas, sicut sunt tres angeli, ita tamen ut una sit voluntas et potestas: aut Patrem et Spiritum sanctum

esse incarnatum, et tres deos vere posse dici si usus admitteret. In qua sententia asserit venerabilis memoriae archiepiscopum Lanfrancum fuisse, et me esse. Quapropter dictum est concilium a venerabili Remensi archiepiscopo Rainaldo colligendum esse in proximo. Quoniam ergo puto Reverentiam vestram ibi praesentem futuram; volo ut instructa sit quid pro me respondere debeat, si ratio exegerit archiepiscopum quidem Lanfrancum vita ejus, multis religiosis et sapientibus viris nota

, quia de eo nunquam aliquid tale sonuit, ab hoc crimine satis excusat et absentia et mors ejus omnem de eo novam accusationem recusat. De me autem hanc veram omnes homines habere volo sententiam. Sic teneo ea quae confitemur in Symbolo, cum dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae*. Et: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem coeli et terrae*. Et: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem*, et ea quae sequuntur. Haec tria Christianae confessionis principia, quae hic praeposui , sic inquam, haec et corde credo et ore confiteor ut certus sim quia quicunque horum aliquid negare voluerit, et nominatim quicunque blasphemiam, quam supra posui me audisse a Roscelino dici, pro veritate asseruerit, sive homo, sive angelus, anathema est; et confirmando dicam, quandiu in hac perstiterit pertinacia, anathema sit. Omnino enim Christianus non est. Quod si baptizatus et inter Christianos est nutritus, nullo modo audiendus est; nec ulla ratio aut sui erroris est ab illo exigenda, aut nostrae veritatis illi est exhibenda; si mox, ut ejus perfidia absque dubietate innotuerit, aut

anathematizet venenum quod proferendo evomuit, aut anathematizetur ab omnibus Catholicis, nisi resipuerit. Insipientissimum enim et infrunitum est, propter unumquemque non intelligentem quod supra firmam petram solidissime fundatum est, in nutantium questionum revocare dubietatem. Fides enim nostra contra impios ratione defendenda est; non contra eos qui se Christiani nominis honore gaudere fatentur. Ab his enim juste exigendum est ut cautionem in baptismate factam inconcusse teneant; illis vero rationabiliter ostendendum est quam irrationabiliter nos contemnant. Nam Christianus per fidem debet ad intellectum proficere, non per intellectum ad fidem accedere; aut si intelligere non valet, a fide recedere. Sed cum ad intellectum valet pertingere, delectatur; cum vero nequit, quod capere non potest, veneratur. Has autem nostras litteras ad praedictum concilium a vestra sanctitate portari; aut si forte non iveritis, per aliquem de vestris litterarum mitti deposco. Quae, si ratio nominis mei exegerit, in totius conventus audientia legantur; sin autem, non erit opus ut legantur . Valete

EPISTOLA XLII . AD LANFRANCUM. *Quod contra voluntatem consiliumque sui praelati in abbatem assumi consentire nusquam debuerit: cumque non intraverit per obedientiam nullatenus sit ab ipso benedicendus*.

Frater ANSELMUS, quamvis indignus, tamen abbas monasterii Beccensis, fratri LANFRANCO, monacho ejusdem coenobii, declinare a malo et facere bonum.

Ego frater Anselmus in Deum dilector tuus, fidelis consiliarius tuus, divina dispositione et tua electione abbas tuus, tibi, frater Lanfrance, in nomine Domini nostri Jesu Christi moneo, consulo et praecipio ut plusquam bis aut ter intente perlegas hanc fidelem epistolam meam, et inter cor tuum assistens coram districto judice, in cujus conspectu semper es, pertractes verba et consilium meum. Quod si aliquo modo factum fuerit ut alius illam, te non habente. aut legere nolente, legat, adjuro eum per omnipotentem Deum ut non subtrahat animae tuae salubre consilium; sed hanc praemissam meam jussionem tibi, aut audienti aut legenti aperiat, et ipsam epistolam totam tibi legendam exhibeat: quod si facere noluerit, peccatum tuum ab illo requirat Deus, ita ut nulla sit excusatio in die revelationis justi judicii Dei. Antequam donum abbatiae acciperes, dicebam tibi et aliis secrete et publice, corde et ore, me nolle ut acciperes; non approbare, non consulere nunquam me esse praecepturum: et si sine jussione mea acciperes, nunquam te benedictionem abbatis ab ullo episcopo meo assensu esse accepturum. Et tamen nescio quo superno judicio celabatur mihi quid sensurus eram, cum idem donum acciperes. Sed postquam factum est subito se ingessit cordi meo grave pondus rei, et aperuit se terribile judicium Dei: *Audivi et conturbatus est venter meus, consideravi et expavi* **(Habac. III, 16)**. *Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea* **(Jer. XXIII, 9)**. Sensi rem detestabilem esse coram Deo, et coram omnibus illuminatis ab eo. Unde quod

tristis dico, tu primum, et per te totus noster ordo, et maxime dolens et rubescens ego Pater tuus, et mater tua Ecclesia nostra, *facti sumus opprobium vicinis nostris, subsannatio et irrisio his qui in circuitu nostro sunt* **(Psal. LXXVIII, 4)**: et omnibus audientibus factus est exemplum dedecorandi et destruendi Ecclesiam Dei, cujus rei te fecisti principium et principem nostris temporibus in hac patria. Sustine me sic graviter loquentem, fili, quia non me impellit furor ex odio, sed cogit me dolor ex amore. Desiderat enim tristis frater subvenire pereunti fratri suo; festinat tremens pastor eruere de faucibus leonis ovem tremendi domini sui. Prosequitur dolens pater ut revocet in infernum properantem dolendum filium suum. Redi ergo, redi ad cor; tuum discute factum, et concute mentem tuam; reprobasti consilium aeternum, et tenuisti consilium reprobum. Nam *Dominus reprobat* **358** *consilia principum, consilium autem Domini manet in aeternum* **(Psal. XXXII, 10)**. Non enim te fecit abbatem Christus veritas , sed tua cupiditas, et eorum qui non percipiunt quae Dei sunt temeritas. Memento quia *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro: fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat* **(Joan. X, 1)**: fili mi, non intrasti per ostium, quia non instrasti per Christum. Non intrasti per Christum, quia non per veritatem. Non per veritatem, quia non per rectitudinem. Non enim intrat monachus in abbatiam per rectitudinem, qui non intrat per regularem electionem et per obedientiam. Non te excuses. Dices mihi: *Non intravi per obedientiam, quia non prohibuisti*. Sufficit ad removendam rectitudinem, quia non per obedientiam introisti. Verum est quia non dixi, prohibeo, aut praecipio ne facias. Videbam enim intelligenti sufficere quia incessanter dicebam: Non vult, non approbat cor meum,

non consulit, non praecipit, nec praecipiet os meum. Si acceperis sine mea jussione abbatiam, nunquam habebis ab archiepiscopo benedictionem. Non enim debet monachus exspectare oris imperium, si novit voluntatem abbatis sui, aut consilium. Si ergo non instrasti per ostium, grave mihi est dicere; sed tu considera et intellige, quem te nominet veritas, ad quid te venisse testetur.

EPISTOLA XLIII . AD WANDREGISILIUM. *Afflictos in tribulatione consolatur. Et quod nusquam consenserit ut Lanfrancus eorum abbas fieret.*

Domnis et fratribus charissimis, domno GUALTERO, priori monasterii S. Wandregisilii et aliis monachis ejusdem monasterii, qui cum eo sunt, frater ANSELMUS, post praesentem tribulatione, temporalem et aeternam consolationem.

Domnus Northmannus petiit a me ex vestra parte, ut dilectioni vestrae aliquam scriberem consolationem, et nostram ostenderem de Lanfranco voluntatem. De consolatione quidem hoc mihi scribere pro temporis brevietate sufficit, quod S. Scriptura dicit: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet* **(Jac. I, 2)**. Et alibi: *Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei* **(Act. XIV, 21)**. Et: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra quam*

ferre potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut sustinere possitis **(I. Cor. X, 13)**. Cum ergo ex tribulatione tot nobis bona veraciter promittantur; nec frangi, nec desperare, nec a bono proposito ullo modo deficere pro ulla tribulatione debemus: sed tanto magis in proposito bonae voluntatis secundum similitudinem grani sinapis fervere **(Matth. XIII, 51)**, quanto magis tribulationem adversitate atterimur . Confidite ergo quia, annuente Deo, post tribulationem laetitia consequetur. Si quis autem ex vobis in hac tribulatione defecerit, dicite: *De nobis exiit, sed non erat ex nobis* **(I Joan. II, 19)**; quia non erat nobiscum radicatus. De voluntate autem nostra hoc mens nostra dicit et lingua quia si olim voluissem et praecepissem ut Lanfrancus esset Abbas vester, quod certe non feci: tam crudelem se super vos ostendit, ut jam nec velle possem. Valete.

EPISTOLA XLIV . AD GISLIBERTUM. *Quod ipse molestissima febre correptus fuerit dum Cadomo Beccum rediret: quae tamen diffugit, cum de petendo ab eis orationum succursu meditaretur.*

Domno et Patri abbati reverendo GISLEBERTO, ejusque sanctitati commissis domnis et fratribus in Cadomensi coenobio commanentibus, frater ANSELMUS, quod servus fidelis et frater.

Postquam a vestra desiderata presentia nuper vi, quam scitis, abstractus recessi: Beccum ante festivitatem S. Benedicti ob

multa impedimenta videre non potui. Intra quod spatium cum multis curis et doloribus corporeis affectus essem in Francia insuper febris subito irruit in me, ferociter comminans me non amplius vos, aliosque dominos nostros Beccenses visurum, multumque exterritans bis ausa est tangere servum vestrum. Sed cum videret me intentissime meditantem ut ad vos et quoscunque possem, mitterem pro auxilio et succursu orationum, exterrita fugit exterritum. Sed illud tantillum quod habebam saporis, edendi et dormiendi, et virium corporis, avida nocendi accelerando rapuit et secum tulit. Tanta igitur ejus haec mancipia, fastidium scilicet et insomnium, et horum sociam imbecillitatem, quae ejus semper sequi solent terra vestigia, a me nondum expellere possum. Haec idcirco mando vestrae charitati quia statum meae parvitatis semper vobis notum esse volo, et vos idipsum velle non ignoro. Scitote quia donec vos videam, semper me debitorem ad vos veniendi cognosco. Juvate ergo me vestris orationibus, ut secundum votum meum possim solvere debitum meum. Valete nunc et semper.

EPISTOLA XLV . AD HENRICUM. *Exorat pro monacho refuga, cui est in votis redire ad ovile, et pecuniam mutuam solvere*.

Domnis et amicis, et fratribus charissimis, domno priori HENRICO, et aliis in Cantuariensi coenobio, Christi Ecclesiae servis Dei commanentibus, frater ANSELMUS, in

sanctae vitae proposito semper ad meliora proficere, et nunquam deficere.

Moyses charissimus frater noster, qui claustrum sanctae conversationis vestrae sua juvenili levitate et aliena deceptus fraude deservit, utpote filius Evae matris nostrae, quae in paradiso decepta paradisi amoenitate caruit, superno protegente respectu; nec dissipavit substantiam suam cum meretricibus, nec inedia coactus pavit porcos extraneos, nec desideravit saturari siliquiis quas porci manducant: sed nondum exhausta mentis satietate, quam de spirituali mensa vestra acceperat, ad nostrum monasterium, quasi ad notum portum post multos mundani maris discursus tandem applicuit. Qui, quamvis ob reatus sui conscientiam severitatem justitiae sibi timeat Apostolo dicente: *Nemo unquam carnem suam odio habuit* **(Ephes. V, 29)**: tamen intra gregem, in quo lactatus et nutritus est omni modo recolligi cupit. Et quoniam non se dignum vocari filium, aut fratrem jam judicat, saltem fieri se sicut unum de mercenariis **359** vestris tantum inter vos esse mereatur, desiderat: famulo quoque suo, quem ipse ad consensum et obsequium sui dilecti attraxit, tanto magis quam carni suae timet, quanto si ille aliqua vindicta puniatur justo judicio, ab anima sua exigendum videt. De pecunia etiam alliena sub pacto redditionis accepta, quam incaute per alienam fallaciam expendit, ita sollicitus est ut nisi per largitatis vestrae auxilium, et per licentiam ut undecunque poterit se adjuvari postulet, ab eo debito contigerit eum exonerari, nunquam speret cor suum ex hac verecundia posse consolari. Sed quoniam ad tot et tantas res preces suas considerat nec posse

nec debere sufficere, me servum vestrum, quoniam nec fideliorem vobis, nec quem magis confidat a vobis aliquid posse impetrare ad praesens habet, pro se rogat intercedere. Verum cum nulla major sit intercessio, quam pellis pro pelle, animae pro anima positio, dicente Domino: *Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam ponat quis pro amicis suis* **(Joan. XV, 13)**. Domnum Moysen a planta pedis usque ad verticem in circuitu pelle servi vestri fratris Anselmi indutum, et os ejus os meum esse vestra sciat dilectio. Si quis ergo vestrum est in quem aliquando sponte peccavi, primus in illo pro praedicta culpa pellem meam percutiat, et os meum a cibo prohibeat. Post hanc vero culpam pellem meam fratri Moysi studiosissime commendo, sicut suam diligit, ad custodiendum; vobis autem, non adeo ad parcendum. Nam si ejus culpa pellis mea laesa aut gravius excussa fuerit, ab illo exigam; si quis autem ei pepercerit, illi gratias agam. De famulo vero ejus scitote quia aliam pellem non habeo, quoniam salus ejus salus mea; anima ejus, anima mea est. Quoniam autem quid de argento postulat, est ad faciendum facile; non erit, ut puto, apud misericordiam vestram ad impetrandum difficile. De his omnibus antequam incipiat redire, voluntatem vestram per litteras vestras desideramus audire. Non quia ipse recuset, si jubetis, etiam ad tormenta properare; sed quoniam cum bona spe, laetus ad eos quos desiderat, optat remeare. Valete.

EPISTOLA XLVI . AD GONDULFUM. *Exorat pro eodem refuga*.

Domino et Patri, amico verissimo, reverendo episcopo GONDULFO, frater ANSELMUS, in hujus vitae perseverare sanctitate, in futurae permanere felicitate .

Si vestrae benevolentiae et vestrorum beneficiorum retributionem in gratiarum actione esse sciremus, utique multas pelles ovium gratiarum actionibus impleremus. Sed quoniam non in voce irrevocabili, nec in scriptura putribili, sed in aeternae plenitudine felicitatis mercedem vestram novimus consistere: ideoque supersedemus per singula vestra beneficia gratias remittere. Mutuam vero vestram dilectionem, sicut in vobis manere immutabilem non ignoramus; ita in nobis eam servare inviolabilem curamus. De fratre Moyse Cantuariensi juvene, qui nunc est in monasterio nostro et vult in Angliam ad suum monasterium redire, vestram precamur sanctitatem ut et vos ei veniam delicti sui propter nostrum amorem, sicut de vobis confidimus, tribuatis: et ut a domno Henrico priore, et a tota congregatione benigne suscipiatur, efficiatis. Epistolam , quam de hac re praedicto priori et congregationi misimus, placeat vestrae sanctitati legere; et secundum quod in illa postulamus, antequam a nobis F. Moyses proficiscatur, communem voluntatem vestrae benignitatis per litteras vestro sigillo signatas mereamur accipere. Valete.

EPISTOLA XLVII . AD GISLIBERTUM. *De febre qua corruptus fuit et de qua supra in epist. 44, scribit.*

Domino servus, amico amicus, dilecto dilectus, domno abbati GISLEBERTO, frater ANSELMUS, sempiternum gaudere.

Si sane, si bene, si prospere cuncta sunt erga domnum abbatem Gislebertum dilectum dilectorem meum, vere inde gaudet cor meum, quia certe sic est desiderium meum. Si dilectionem et beneficia, quae nobis et nostris rebus impenditis, alienus alienis impenderet, utique gratiarum magnam actionem in scriptis et voce exhiberemus ne deficeret. Sed quoniam hoc ille facit, de quo nunquam possumus desperare, sufficere credimus majores gratias cum semper prompta voluntate, praesertim cum hoc ipsum non ignoretis, indesinenter in cordis arca servare. Scio quia vestra dilectio quomodo se habeat status noster, desiderat cognoscere: qui, Deo protegente, secundum modum nostrum, et secundum temporis hujus varietatem in cunctis bene esset et prospere, nisi quia cum nuper in Francia essem aliis quibusdam affectum laboribus levis quaedam febris subito irruens plus me terruit quam laesit. Sed cum videret mentem meam intentissime conversam ut ad amicos nostros pro auxilio mitterem orationum, exterrita bis tactum fugit exterritum. Unde aliquandiu post passus sum, cum edendi fastidio, dormiendi difficultatem, et membrorum majorem imbecillitatem. Dominos et fratres nostros dilectissimos filios vestros quanta possum devotione saluto; de quorum erga me dulci dilectione re mihi cognita, quoties recogito, exsulto. De Ricardo serviente vestro, qui vos in Angliam secundum jussionem vestram secutus est, vellem vestram, si vobis non displiceret, benignitatem rogare, quoniam quem Deus suo judicio ab impacto crimine excusavit, si ipse ab incepto fideli servitio non deficit jam nihil est quod bonae vestrae voluntati

quam de eo incepistis, debeat obviare. Justus enim est, et plus decet honestatis vestrae auctoritatem, ut vestra constantia cujuslibet perversitatis impetus circa illum repellat, quam ut aliena non laudabilis pertinacia laudabilem intentionem benevolentiae vestrae reflectat. Valeat semper dulcis mihi vestra dilectio.

EPISTOLA XLVIII . AD GUALTERUM. *Laicum recenter conversum in spiritu lenitatis instruendum esse.*

Domno et fratri dulcissimo GUALTERO, frater ANSELMUS abbas Becci, salutem.

Domnus Robertus de Briodua gratias magnas agit vobis pro benignitate quam illi, supra quam sperare unquam potuit, exhibetis et cum gratiarum actione testis vobis est quia et ab ipso et ab aliis propter eum multa molesta passi estis. Unde ego cum amore gratias ago, et cum gratiarum actione laudo, et laudando precor discretionem vestram, ut memor quia calamus quassatus non est conterendus **(Matth. XII, 20; Isai. XLII, 3)**, **360** et quia *sani non egent medico, sed qui male habent* **(Luc, V, 31)**, in hoc quod incoepit perseveret. Sperandum enim est quoniam qui per vestram tolerantiam jam aliquatenus, misericordia Dei efficiente, profecit: si in eo quod incoepistis, perseveraveritis; per eamdem Dei misericordiam ad majora proficiet. Nam hoc ipsum magnum signum est profectus ejus, quia illi per quem se profecisse cognoscit, multum commendari per me amicum vestrum desiderat; non

ut vitiis suis consentiatis, sed ut infirmitati ejus, ut ab illis paulatim sicut aeger levetur, condescendatis. Nondum enim audet promittere se mores suos, in quibus aliter quam expediat nutritus est, in proximo penitus deserturum; sed cum voluntate et desiderio promittit quoties ceciderit, se Deo adjuvante, per vestrum auxilium et consilium, et per vestras orationes surrecturum , et quandoque in bonis moribus constanter staturum. Salutate dominos et fratres nostros vestrae congregationis monachos ex nostra parte: quos rogo, ut fidelis et amicus, quatenus *solliciti* sint *servare unitatem spiritus in vinculo pacis* **(Ephes. IV, 3)**, *si templum* volunt esse *Spiritus sancti* **(I Cor. VI, 19)**, qui sicut scindi non potest, ita in discordia habitare non potest. Valete.

EPISTOLA XLIX . AD GIRARDUM. *Ut Beccensis quidam monachus ab ecclesiae S. Ullmari regimine excusetur, ne lupi agnum devorent et leones ovem.*

Domino et Patri reverendo Morinorum episcopo GIRARDO, frater ANSELMUS dictus abbas Becci, quod suus.

Multa propter necessitatem rei dicere expediret: at propter multa mihi non licet. Brevi igitur alloquio et magno affectu vestram deprecor paternam pietatem, ut et vos faciatis, et domino nostro Remensi archiepiscopo ex vestra et nostra parte persuadeatis, quod ad prudentiae vestrae pertinet discretionem; quatenus hic frater noster diutius frustra non vexetur, nec ad ecclesiam S. Vulmari, ejus occasione,

convenienti consilio et ordinatione privetur. Impossibilile enim est eum amplius in eadem ecclesia ob multa, quae longum est narrare, in pace consistere; aut ad aliquam utilitatem vel cum nimio labore proficere. Quapropter iterum iterumque precor ne tantum auctoritatis vestrae censuram attendatis, ut animam proximi insanabiliter vestro rigore frustra frangatis. Nolite, obsecro, amplius agnum fugientem ad lupos reducere; nolite ovi catulos leonum domandos committere; nolite innocentem et reclamantem in fornacem Chaldaeorum ad nullius boni effectum impellere. Permittite ut alius in loco ejus constituatur, cujus mens paratior sit interiora et exteriora bella circa pravos mores tolerare: et qui tentet, quod ipse sese non posse probavit, si quo modo, Deo auxiliante, possit utiliter cohabitantibus concordare. Quod si vestra sententia aliquid immutabiliter senserit, quod non optamus, prius in praedicta ecclesia pacem et bonam voluntatem aedificare, et sic pacatum et benevolum in domum pacis inter benevolos revocare. Valete.

EPISTOLA L . AD JOANNEM ET BOSONEM. *De quaternionibus suis ab eo deperditis dolentem eum consolatur. Et ei se musicam missurum pollicetur.*

Amicis amicus, dilectis dilectus, domno JOANNI et domno BOSONI frater ANSELMUS, hujus vitae et futurae inviolabilem laetitiam.

Quamvis delectabiles et dulces sint sapientia et dilectio, tamen in hujus vitae lubrico generant dolorem et amaritudinem aliquando: quae quanto veriores et majores sunt, tanto hoc faciunt rarius et tanto gravius. Rarius enim sapientiores falluntur; sed cum hoc contingit, magis laeduntur. Et qui verius diligunt, rarius quos diligunt, offendunt. Verum quando hoc accidit, gravius se affligunt. Quapropter cum vos modicum quid incaute fecisse (si tamen incautum judicandum est, quod de quaternionibus nostris fecistis) vos tam graviter ferre mandastis; utique non hoc ex consuetudine, nec ex negligentia descendisse, sed ex ea necessitate, quia non est homo qui non peccet, monstrastis. Unde vos probatis pro certo in cautela prudentiores, et in dilectione ferventiores. Quod quanto verius intueor, tanto rectius laesionem cordis vestri cor meum laedere debere confiteor. Cum ergo mihi vulnus cordi vestro infixum ob dilectionem mei, quem timuistis vos offendisse, scripsistis; non dissimile vulnus cordi meo inflixistis. Quantum enim vos dolore studio mei amo ris cognovi, tantumque doluistis, recte et ego dolui. Sanate ergo vulnus vestrum ne doleat; sicut vultis sanare meum, ne condoleat. Salvum enim est, quod perditum esse timuistis, et habemus, quod in tuto reliquistis. Salutate reverendum et dilectissimum nobis domnum abbatem Rodulfum, et dilectos fratres nostros sibi commissos. Musicam, quam petitis a Cadomensi priore, cui eam praestitimus, repetemus, et eam, quam citius poterimus, vobis mittemus.

EPISTOLA LI AD BALDRICUM ET ALIOS MONACHOS. *De diuturniore sui mora in Anglia. De sua ad S. Nicolaum oratione, et de sua epistola contra Roscelinum*.

Desideratis desideratoribus suis, domno priori BALDRICO et aliis, qui cum eo sunt, fratribus fratres ANSELMUS, suus illorum: semper bene esse intus et extra.

Nondum vobis possum aliquid mandare de utilitate nostri itineris in Angliam, quantum pertinet ad nostram Ecclesiam. Differt enim adhuc rex respondere nostrae petitioni; quamvis ipse et alii principes Angliae mihi nimis ultra mensuram meam, amorem et honorem exhibeant. De incolumitate mea lator praesentium monachus domini abbatis Gisleberti, melius quam epistola nostra docere vos poterit, quem volo ut valde benigne excipiatis . Reditum nostrum ante Quadragesimam non spero futurum. Mandate mihi litteris de his quae circa vos sunt, ea quae scire me debere scitis. Mittite mihi orationem ad S. Nicolaum quam feci, et epistolam quam contra dicta Roscelini facere inchoavi: et si quas de aliis nostris epistolis **361** habet domnus Mauritius, quas non misit. Salutate matres nostras, dominam Evam et dominam Basiliam. Valete.

EPISTOLA LII . AD ERNULFUM. *Professionem a monacho factam*

et servatam, non esse iterum ab eo exigendam, cum abbas benedicitur.

Domino et amico, abbati ERNULFO, frater ANSELMUS, salutem praesentis vitae et futurae.

Domnus Nicolaus frater vester dixit mihi ex vestra parte, ut vobis consilium nostrum mandarem de eo; quia episcopus Bajocensis invitat vos ad benedictionem, quae vestrae debetur electioni. Sed ego, quidquid inde sentio, jam vestrae dixi praesens dilectioni. Scimus enim quia semper profiteri ore et opere exhibere debemus majoribus nostris regularem obedientiam. Quam scripto repetem, quandiu eam non abnegasse cognoscimur, superfluum certe est; ad quod si quis nos vult cogere, cum ad abbatiae praelationem promovemur, sine ulla ratione fieri videtur. Cum enim professi sumus conversionem morum nostrorum, ac obedientiam secundum regulam S. Benedicti, utique promisimus obedientiam, non solum abbatibus, nec solum quandiu essemus sub abbate, sed omnibus majoribus nostris, et quandiu viveremus. Eadem enim Regula docet ut monachus omni obedientia se subdat majori, et ut, ad exemplum Domini, obedientiam servemus *usque ad mortem* **(Philipp. II, 8)**. Qui ergo monachicam semel scripsit et legit professionem, si nunquam eam abnegavit, frustra aliquis ab eo aliam exigit. Vale.

EPISTOLA LIII. AD LANFRANCUM ET OMNES BECCENSES

MONACHOS. *Lanfranco morbo laboranti condolet.*

Domino et Patri reverendo archiepiscopo LANFRANCO frater ANSELMUS, et tota Beccensis coenobii congregatio, quod sui.

De aegritudine paternae vestrae sanctitatis graviter dolentes, pro salute vestra Deum orare non cessamus: quoniam aegritudinem vestram tribulationem nostram, et salutem vestram incolumitatem nostram esse putamus; nec solum nobis, sed et matri Ecclesiae, quantum nomen vestrum extendi potest, vitam vestram necessariam esse intelligimus. Jussio vestra de conductu Longobardorum amodo, Deo annuente, servabitur. Domnum Balduinum, quem in Angliam mittimus pro necessitatibus nostris, quas ipse vobis narrare poterit, secundum quod eas cognoscetis et paternae benignitati placebit, ut adiuvetis, sicut mos vester est, supplicamus. Omnipotens Deus diu nobis et Ecclesiae suae vitam vestram in salute et prosperitate, etiam in grata sibi sanctitate conservet. Amen.

EPISTOLARUM LIBER TERTIUS EAS CONTINENS QUAS SCRIPSIT CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS

EPISTOLA PRIMA. ANSELMI AD MONACHOS BECCENSES.

Se quantumvis reluctantem electum esse Cantuariae archiepiscopum. Cui electioni ut consentiant ipse suadet.

362 Suis dilectissimis et desideratissimis domnis fratribus et filiis, servis Dei Becci commanentibus, frater ANSELMUS, post Deum corde suus illorum: sancti Spiritus semper regi consilio et consolatione gaudere.

Quaecunque scripta vel dicta communiter, vel singuli de affectu cordis vestri mittitis dilectissimo et desideratissimo vestro, et quae nec lingua potest exprimere, nec calamus, omnia expresse et aperte scripta sunt in corde meo. Insuper et multa alia ex affectu et intellectu meo, quae utinam similiter scripta et expressa essent in corde vestro. Ibi, scilicet, in intimis meis, ibi ea lego et relego, volvo et revolvo saepe coram Deo. Quod quo affectu faciam, videt ipse intus et foris; testantur lacrymae meae, et voces, et rugitus a gemitu cordis mei, quales nunquam de me illo dolore memini exiisse ante diem illam, in qua sors illa gravis archiepiscopatus Cantuariae visa est super me cecidisse. Quas voces, gemitus, ut puto, non simulaverunt confectiones, sed gladii doloris animam meam penetrantes extorserunt, et adhuc extorquent confixiones. Quod ignorare nequiverunt illi qui ea die vultum meum inspexerunt, quando me episcopi et abbates, aliique primates ad ecclesiam trahentes reclamantem et contradicentem rapuerunt, ita ut dubium videri posset utrum sanum insani, an insanum traherent sani; nisi quia illi canebant et ego magis mortuo quam viventi colore similis

stupore et dolore pallebam; et illi, qui postea ipsa die me inusitate lugentem, dolore rationem superante, cum intente mihi licuit cogitare et vestram dilectionem, et onus quod meae imbecillitati impedebatur, de longe audientes accurrerunt, et videntes me aut animam aut sensum amissurum timuerunt; et hoc timore aqua benedicta me aspergentes, eam mihi potandam porrexerunt. Forsitan mihi erubescendum est, quia vulnera doloris sic animam meam totam intentam in scissuram sui ab animabus vestris et in grave periculum suum superaverunt, et adhuc sic superant, ut gemitus profundos fluentibus lacrymis saepe toleret. Sed certe non erubesco confiteri quia timor Dei et charitas hominum, maxime vestra, sic eam vulneraverunt et vulnerant. Quae omnia testimonium perhibent conscientiae meae, quo desiderio quave procuratione exspectavi celsitudinem et onus archiepiscopatus, et quo gaudio suscipio. Quod si aliqui de me aliter suspicantur, quam mea de se conscientia coram Deo judicet, consolatur me quia pro minimo mihi debet esse ut ab illis dijudicer, aut ab humano die. Et quia hanc vitam transituri sumus per infamiam, et bonam famam, ut seductores et veraces, sicut qui ignoti, et cognoti, tantum conscientia mea non me accuset ante Deum. Huic autem de me electioni imo violentiae, hactenus quantum potui, servata veritate, reluctatus sum; sed jam velim, nolim, cogor fateri quia quotidie judicia Dei magis ac magis conatui meo resistunt, ut jam nullo modo videam me ea posse fugere, nec sine gravi malo corporali et spirituali ex utraque parte, nec sine ira Dei intentionem conceptam me posse, aut ullum alium, aliquatenus impedire. Unde jam non tam hominum quam Dei, contra quem non est prudentia aut fortitudo, victus violentia, hoc solo intelligo me uti debere consilio, ut

postquam oravi quantum potui et conatus sum ut, si possibile esset. calix iste transiret a me, ne biberem illum, et orationem meam videns repelli conatumque frangi, jam dicam Deo *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*. Cum enim ex utraque parte Deum timeam; nec aliquid nisi Deum, et homines propter Deum, utrinque , diligam, nihil mihi puto tutius in re tam periculosa quam ut, meum sensum et voluntatem postponens, me sensui et voluntati Dei penitus committam.

Et quamvis in hac re mihi nimis sit grave date et vobis accipere consilium quod contra meum et vestrum affectum sit, tamen quia ego et vos magis sumus Dei quam ego vester, aut vos mei : *sive enim vivimus sive morimur, Domini sumus* **(Rom. XIV, 8),** non audeo in causa Dei, et in tanta necessitate mihi commissis ad consulendum, quidquid homines suspicentur, meum coram Deo subtrahere consilium. Consulo igitur dilectissimis dilectoribus meis ut nulla res faciat vos pertinaciter ordinationi Dei obviare, *quia quasi peccatum hariolandi est, nolle acquiescere* **(I Reg. XV, 23);** et : *Durum nimis est, contra Dei stimulum calcitrare* **(Act. IX, 5).** Ad hoc enim res ista indubitabiliter judicio Dei perducitur, ut necesse sit me, si quid boni Deus dignatur per me operari, servire et prodesse vobis, et multis aliis; aut omnino nec mihi, nec vobis, nec aliis; non deficiente voluntate, sed potestate.

Quod si ob vestram pertinaciam contigerit, facietis senectutem meam in inconsolabili tristitia deduci et **363** deficere, propter magna et multimoda mala quae inde sequentur, et mihi et vobis juste videbuntur imputari, etiam ab iis qui modo ea non praevident. Si enim sciretis ipsa sola

dilatio quanta mala jam fecit corporibus et animabus, et quam exsecrabilis illa sit, et illi pariter per quos fit, melioribus et prudentioribus, ipsi quoque populo Angliae, puto quia et vos (si inhumani non estis) eamdem dilationem exsecraremini . Mirum forsitan vobis videtur quod dico; et multi qui me intus non vident et praecipites sunt alienas conscientias, quas ignorant, judicare; de me perversum aliquid jubicabunt, quia sic vobis de hac re loquor. Sed coram Deo loquor, cui revelo viam meam, et spero in eo, ut ipse faciat **(Psal. XXXVI, 5)** quia non me accusat coram eo conscientia mea quod me concupiscentia terrenarum divitiarum, aut celsitudinis, ad haec dicta trahat.

Si quis deinceps aliter de me senserit, puto quia adversus veritatem erit, et Deus mihi testis adversus illum erit. Valete; et Dominus, qui dirigit mansuetos in judicio, et docet non rigidos **(Psal. XXIV, 9),** sed mites, vias suas, dirigat sensus vestros et voluntates in hujus negotii judicio.

EPISTOLA II. OSBERNI AD ANSELMUM.

Ei consulit humiliter subire onus Cantuariensis archiepiscopi.

Domino sanctissimo, charissimo electo Anglorum archiepiscopo ANSELMO, suus quod semper erat, et semper esse desiderat servus, et filius, frater OSBERNUS; ita rectis consiliis agi, ut Deum recta consilia dantem valeat promereri.

Cum te, charissime domine, in omni veritatis cognitione scientissimum esse sciam, mirum valde quod in hac sola re sic omnimoda veri cognoscendi scientia aufugerit, ut quod Deo placitum sit in eo, quod communis de te sanctae ecclesiae sententia tulit, ignorare possis. Aut si animus tuus in hanc potissimum sententiam vergit, ut quod generalis electio, vel omnium, vel certe quam multo maxime plurium, et eorum sapientissimorum, Deo placere clamat, solus tu displicere contendas, verendum, pretiosissime domine, ne prae omnibus hominibus melior sanctiorque videri velle videaris, dum quod illi rectissime intelligunt, rectius quasi a te intellectum defendere coneris.

Ut enim in offenso dulcissimo mihi amore tuo loquar, aut cunctis, quod non credimus, meliorem te fateberis, quippe cui soli revelatum est quod universae Anglorum Ecclesiae fas non erat revelari; ant facias necesse est quod universalis Anglorum Ecclesia suadet, hoc est, ut pontificalis infulae principatum inter beatos apostolos suscipere non renuas.

Sed forte exspectas Deum majoribus, quod coepit, induciis probaturum : non ausim dicere, propterea quod te sapientissimum scio; sed timeo ne talia quaerenti ex obliquo respondeatur : *Non tentabis Dominum Deum tuum* **(Matth. IV, 7).** Quid namque insignius ad te eligendum ostenderet Deus, quam, ut tu promovereris, regem triumphis nobilem, severitate cunctis formidabilem, lecto decubuisse, ad mortem usque aegrotavisse; te autem provecto, statim eumdem respiravisse, convaluisse, atque ex fero et immani mitissimum pariter ac mansuetissimum redditum fuisse ? Quid, inquam, aut effectum dulcius, aut ad innocentiam praestantius, quam te ante lectem aegrotantis violenter pertractum; dextram

aliorum dextris impudenter de sinu extractam sinistram , ne sororem juvaret, fortiter retentam virgam, caeteris digitulis pertinaciter occlusis, pollici atque indici crudeliter impactam, post haec toto corpore e terra te elevatum, episcopalibus brachiis ad ecclesiam deportatum, ibique, adhuc te reclamante, et importunis nimis obsistente, *Te Deum laudamus* esse cantatum ?

Quid, inquam, vel ad divinas laudes magnificentius, vel ad humana spectacula gaudentius, quam quod in tua electione, exclusis omnibus transactae tempestatis afflictionibus, omnia ad proprii juris possessionem veluti jubileo termino cucurrerunt , dum vincti ad expeditionem, carcerati ad lucem, captivi ad libertatem, oppressi dirissimis exactorum furoribus redierint ad erectionem.

Omnia haec te loquuntur, tibi famulantur, tuis meritis ascribuntur. Quod si omnes hae divinae blanditiae ad consentiendum te non excitaverint, profecto noveris districta animadversione aequissimum judicem tecum acturum, taliterque in die extremi judicii adversum te propositurum : O homo meis uberibus nutrite, meis virtutibus ditate, meis doctrinis illuminate, meis honoribus sublimate, quam tibi molestiam ingessi, ut me praeceptorem fugeris, monitorem contempseris, imponentis mei jugum erecta cervice abjeceris ? Nonne satius erat nihil mihi de tuo contulisse, quam quae mea fuere crudeliter abstulisse? Annon constabat per tuam negligentiam ablatum, quod per tuam mihi diligentiam non est allatum? Cur non cogitabas infinita hominum millia te occidisse, dum paucorum volebas saluti consulere? Ecce etenim sponsa mea, sancta Cantuariensis Ecclesia, apostoli mei Petri benedictione a principio sanctificata, piissimo

piissimi Gregorii studio nobiliter fundata, SS. Bonifacii, Honorati, Vitaliani, Agathonis , et caeterorum orthodoxorum Patrum singulari semper privilegio donata; ad quam, salva Romanae et apostolicae sedis auctoritate, omnium circa regionum Ecclesiae in suis oppressionibus confugere, atque ab ea tuendae libertatis praesidia expetere simul ac suscipere solebant; ecce illa talis omnium peripsema effecta, omnium pertranseuntium pedibus conculcata, non solum nulla perditae libertatis, jura caeteris restituere, sed nec sua multo tempore valuit illibata custodire. Homines autem, quos ei ad custodiam castitatis deputavi, a quibus servandae integritatis illius fidem accepi, non modo ipsi nihil defensionis adversus alios incaesti cupidos paravere, imo ipsi flagitiosissimum corruptionis negotium meditati sunt. Cumque illa, non immemor quam fuerit magno acquisita, quam legibus convincta , quam denique muneribus dotata, reluctando succlamasset, illi, abreptis ornamentorum suorum vestibus, nudam, venalem et confusione plenam eamdem reliquerunt. Exclamat itaque multiplex filiorum caterva, quos in lavacro secundae nativitatis ipsa mihi genuerat, et intra gremium sanctae dilectionis tenerius nutrierat, maternae cupiens verecundiae mederi, ejusque nuditatem oppanso velamine tueri. Ecce qui matrem afflixerant, gravioribus in filios molestiis desaeviunt, dum hunc ab uberibus raptum miseranda caede discerpunt, illum ferrugiendo stridore premunt, alter caeca latibula inhabitat; alius longa exsilia deplorat. Quodque ad scelus praecipuum fuerat, dum se adulteri homines scelerata calliditate innocentes prodere vellent, in tantum apud terrenas potestates odium matrem cum prole adduxerunt, ut quicunque eos interficeret, obsequium se praestare Deo arbitraretur. Ultimum vero et quasi palmare totius mali flagitium exstitit,

cujus radix si in lucem solis hujus perlata fuisset, non solum hanc exhorreret Christianus, verum etiam omnis exsecraretur paganus, Judaeus, atque haereticus. Ego autem ultra non ferens tantam sponsae meae calamitatem ex tota hominem plenitudine te, Anselme, elegi, atque ad zelandum pro **364** me amicum sponsi exhibui, doctrinam contuli, virtutem largitus sum. Praemonstravi oraculis, comprobavi miraculis; verum tu mihi praetulisti Normanniae comitem, Deo vermem, viventi mortalem, latitudini Anglorum angustae solitudinis nidum. Excessit ne animo Petrum apostolum Antiochiae intronisatum, nec tamen ullorum singultibus, ne Romanos experiretur

furores, praepeditum ? Cur te fugit Pauli caput Miletinorum atque Ephesiorum fletibus irroratum; nec tamen a sulcando aequore, quod eum ad exteras transmitteret nationes, prohibitum ? Rogo, hominum sapientissime, si talibus te sententiis judex impeteret, nonne, rationum pondere pressus, Parce, judex, clamares ? Jam vero, si illam, cui tu noviter attitulatus es, Ecclesiam non tanti apud Deum meriti esse dixeris, grande ejus meritum licet agnoscas . Laurentium namque archiepiscopum multo verbere a praefato apostolo novimus flagellatum, propterea quod, paganorum metu conterritus, fugam inierit, et eamdem Ecclesiam adhuc in fidei perceptione rudem, derelinquere tentaverit. Idem beatissimo confessori Christi Dunstano idem apostolus cum coapostolis Paulo et Andraea splendens apparuit, eique tradens gladium verbo Dei inscriptum, futurum illum, ut postea evenit, ejusdem Ecclesiae pontificem praefiguravit. Quod si tanta Christi et apostolorum dignatio super eamdem

Ecclesiam ab initio fuisse perhibetur, magno tibi providendum est opere, qui sanctissimam scientiam habes, ne hujus dignationis participium refugias, cum neque sis privata gratia. exhibitus, neque mercenarius, neque Simonis discipulus, sed quem et divina vocavit electio, et apostolica informavit institutio. Praeterea, quamvis monitore non egeas, pro affectu tamen monere te audebo, ut nihil inconsulte agas, nec alieno multum a nobis consilio, sive id consecratione tua sit, sive in rebus Ecclesiae dandis aut mutandis, ideo quod novimus sanctissimum praedecessorem tuum multa primo adventus sui tempore ordinasse, quae omni tempore postmodum sibi displicuere. Sunt enim plures qui circa destructionem Ecclesiae semper laboraverunt, qui nunc putant quam maxime se regnaturos, dicentes te cum Deo semper acturum, res Ecclesiae non curaturum, quasi res Ecclesiae curare non sit cum Deo agere. Sed, Deo auxiliante, cum te cognoverint, quemadmodum ego, puto illos secus dicturos ac sensuros. Jam nunc repeto omnibus medullis quod promisi salutando, orans Deum ita te rectis consiliis agi, ut Deum recta consilia dantem valeas promereri, Domine sanctissime, sapientissime, et super omnes animo dulcissime.

EPISTOLA III GONDULFI EPISCOPI AD MONACHOS BECCENSES.

Ut non tristentur de erepto sibi abbate Anselmo.

GONDULFUS gratia Dei Roffensis episcopus, dominis et amicis suis charissimis, servis Dei, Becci consistentibus, salutem et fideles orationes.

Charissimi, vestrae dilectioni cognitum est quantum temporis sit ex quo Anglica Ecclesia proprio est orbata et destituta pastore, atque omni paterna desolata consolatione. Sed Deus ploratus orphanorum, gemitus et suspiria hactenus longissima viduarum, preces quoque fidelium suorum miseratus exaudiens, tandem sua gratia eam consolando visitare dignatus est. Ipsius namque inenarrabili potentia operante, dedit Dominus noster rex Anglorum consilio et rogatu principum suorum, cleri quoque et populi petitione et electione, domino abbati Anselmo Cantuariensis Ecclesiae gubernationem. Quod quidem piissima Dei operatione et ordinatione factum esse non dubium est. Qua propter humiliter mandamus, et vehementer precamur, ut fratres charissimos, quatenus omnem tristitiam vel cordis indignationem, si qua est, deponentes, divinae voluntati, operationi, et bonorum virorum electioni nequaquam resistatis, sed Deo gratias agentes, quod factum est, cum gaudio et bona voluntate concedatis. Est etiam aliud quod vos latere non debet. Impediri quidem res ista fortassis ad tempus potest, omnino autem remanere nullo modo potest. Verum enim dico vobis, notitia et consilium hujus rei multum processit, et sine dubio usque ad sedem apostolicam jam pervenit. Utimini igitur sapienti consilio, et per charitatem facite sine dilatione, quod quandoque facturi estis sine dubitatione. Valete.

EPISTOLA IV. ANSELMI AD MONACHOS BECCENSES.

Ut ipsi Anselmo et regi scribant se ultro consentire electioni illius in archiepiscopum Cantuariensem.

Dominis, et fratribus, et filiis dilectissimis monachis Beccensibus, dilectissimus et abbas eorum, frater ANSELMUS : continua Dei protectione, et consolatione gaudere.

Quod humiliter per dominum Balduinum et dominum Tesonem petivistis, et si praesens essem, supplici devotione per vos petivissetis, paterno et pio affectu omnibus petentibus, ut filiis dilectissimis, concedo quod ex me est, et oro Deum ut ipse misericorditer concedat quod ex ipso est. Cum de sorte archiepiscopatus, quae super me divina cecidit dispositione, loquor vobiscum, valde alienum et a me et a vobis videtur, si consideretur mutuus noster affectus , me vobis inde consulere, et vos mecum consilium accipere. Si quis consideret quia plus Deo quam nobismetipsis debemus, non ei mirum videbitur, si ego in causa Dei commissis mihi ad consulendum, quos nullo modo eisdem ipsis testibus, a recto volo deviare, consulo contra meum et illorum affectum, secundum voluntatem Dei. Benefecistis, quia concessionem vestram mihi per domn. Tesonem mandastis, quandoquidem res nec per me vos mutari potest; sed melius facietis, si per epistolas unam regi, alteram mihi mandabitis quia quod Deus

dignabitur de me disponere, et idem rex et omnes qui Domini sunt Ecclesiae nostrae ordinaverint secundum timorem Dei, et archiepiscopus noster religiosa et ecclesiastica ratione jusserit, et mihi videbitur, humili devotione propter timorem Dei conceditis, et me Deo et Ecclesiae ejus committitis. Hoc retento, ut, in quantum possibile vobis erit, nostro semper fruamini, quamdiu vivam, consilio. Hoc consulo, hoc hortor, quia sic oportet fieri, ut et vos plus voluntati Dei quam vestrae subditos esse ostendatis; et regis gratiam, quae vobis necessaria est, sine omni proficuo, imo cum damno maximo non perdatis, et mentem meam multis molestiis onustam, onustiorem dissensione vestra non faciatis. Comitissae Lermendensi, quae ad vos venit , ut audivi, larga et benigna voluntate honorifice omnibus modis, quibus potestis, secundum voluntatem ejus servite. Grandis enim vester honor est, et multum hoc nostrae profuturum est Ecclesiae, sicut spero; illam ex nostra parte dulciter salutate . Valete.

365 EPISTOLA V. OSBERNI AD ANSELMUM.

Ut acceleret suam inaugurationem.

Domino sanctissimo, Patri dulcissimo, jam nunc, quod non sine desperatione dico, Anglorum archiepiscopo ANSELMO, servus et filius suus OSBERNUS: salutes luctu et lacrymis plenas.

Quousque, dulcissime domine, desideria nostra suspendis? quousque animas nostras tollis? Si tu es qui venturus es, veniendo ad nos, ostende; nec velis diutius bonum differre, quod ab aeterno consilio profectum humano generi Christus dignatus es impertiri. Alioquin, mi dulcissime, *commovisti terram et conturbasti eam;* potiusque esset mortis non dispendia sustinuisse, quam super tuo nomine aliquid unquam accepisse. Quid enim putas, qui luctus, quae lacrymae adversum te hodie funduntur , quae ante hoc tempus in conspectu Dei profundebantur? Quae major potest esse miseria, quam homines, quibus quasi noxiis humoribus corpus Ecclesiae gravabatur, nuperrime vidisse exclusos; et nunc eosdem non modo exclusos, verum etiam videre corpori Ecclesiae incorporatos? Puta, mi dulcissime omnium, adversum te istas esse querelas. Hiccine est ille, de quo tantum gaudebamus, de quo tam magna audiebamus? Ecce quomodo nos decepit, quomodo animas nostras interfecit. Expectavimus pacem, et non est bonum; tempus medelae, et ecce clamor. Hiccine est ille, quem Osbernus hos tredecim annos ad populum tantopere laudavit, quem in omni sermone magistrum et sanctissimum et sapientissimum praedicavit? Ecce quomodo fecit novissima nostra pejora prioribus. Credas, nunquam haec desinent dici, nisi desieris elongari. Veni ergo, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum; festinandum tibi est, princeps esto noster. Erit hoc Deo ad laudem, tibi ad mercedem, nobis ad vitam. Recuperemus in te quod in mortuo sanctissimo Patre Lanfranco nos cum toto mundo perdidimus : quem mortuum semper dolebimus, quoad usque illum in te viderimus. Deus omnipotens, quicunque Anselmum ab incepto praepedierit, anathema in medio hominum sit. Credas

me in maxima lacrymarum alluvione ista scripsisse et usque ad mortem sollicitum de te esse. Mater et omnes filii te salutant.

EPISTOLA VI. MONACHORUM BECCENSIUM AD ANSELMUM.

Beccenses Anselmum concedunt Ecclesiae Cantuariensi.

Dulcissimo domino, et Patri suo, divinitus sibi olim dato, abbati ANSELMO, humiles Beccensis Ecclesiae servi, et filii sui : continua Dei in omnibus viis suis protectione dirigi semper et muniri.

Audita concessione domini nostri Northmanniae principis, et archiepiscopi nostri Rothomagensis, quam de vobis ad petitionem regis Anglorum et omnium fere ejusdem gentis principum fecerunt, ut ad culmen, scilicet, promoveamini archiepiscopatus, pro ea etiam quae ad nos de vobis pertinebat, et a nobis expetebatur concessione , omnes in unum congregati sumus, unusquisque nostrum de sua sententia ab eo qui praesidebat nominatim est requisitus. Multa hinc et diversa nobis sensa et dicta sunt, quae modo replicanda et exponenda vobis minime sunt : finem tantum ipsius rei propter quam convenimus, breviter vobis intimabimus. Pars quaedam nostrum, quamvis pro dulci et unico pietatis erga vos affectu valde dolens atque tristis, propter Dei tamen metum, cujus id nutu atque consilio agi creditur, libenter ad honorem et commodum Ecclesiae Dei,

secundum quod vos etiam consulitis, quod de vobis petitur concedit; pars vero nostrum altera, suo potius quam vestro utens atque fidens consilio ardentiori; atque, ut sibi videtur, rectiori , amoris vestri zelo, minime id concedit, nec ad concedendum ulli majorum se sive minorum persuasionibus aliquo modo acquiescit. Quae autem pars alteram, aut numero aut ratione praeponderet, domnus Lanfrancus, qui interfuit, et omnia hic apud nos gesta sive dicta et vidit et audivit, plenissime per seipsum et sufficienter vobis dicet. Nos enim ista succincte et celeriter multum dictamus, quia urget nos festinans lator praesentium, ut sic agamus. Omnipotens Deus vitam vestram in beneplacito suo recte disponat, et ad communem fidelium suorum utilitatem et gaudium, diu eam in praesenti custodiat. Amen.

EPISTOLA VII . ANSELMI AD MONACHOS BECCENSES.

Aegerrime fert se a Beccensibus esse distractum, nec juxta quorumdam malevolorum calumnias ficta humilitate recusasse archiepiscopatum.

Suis dilectissimis domino priori BALDRICO, et aliis servis Dei in Beccensi coenobio commanentibus; servus et conservus eorum frater ANSELMUS divino semper regi consilio, et protegi auxilio.

Quamvis divina dispositio me a vobis corporaliter non sine gravi pioque cordis mei dolore separet, oro tamen Deum, ut dilectio, qua ipso dante anima mea vos in utero suo complectitur, indissolubiliter perseveret : per quam, Deo propitiante, semper vester ero servus; quia semper, quantum Deus mihi dabit, ero vestris utilitatibus intentus. Nam etsi tanta sit ipsa dilectio, ut saepe cum intente cogito amicos vestros de tam inseparata et contra voluntatem nostram separatione, statim sua quadam tempestate, velut mare ventis, intumescat et conturbetur cor meum, et pluant oculi mei, dulcius tamen mihi est hoc ab illa me tolerare, quam illam a me separare. Novit enim Deus, ante cujus conspectum secundum conscientiam meam loquor, quia plus vos dilexi Deo et vobis, et meipsum vobis, quam vos mihi sive praelationem, aut dominationem, aut possessionem terrenam, quas habebam pro vobis. Quamobrem plus me gravat vestra tristitia de qualicunque, si apud vos est, mei indigentia, quam me consoletur aliqua terrena celsitudo vel opulentia. Ecce nunc in hac ipsa locutione, qua vobis absens loquor dictando, testes mihi sunt lacrymae, quas continere nequeunt oculi mei, et vim mihi facientes singultus gutturis mei inundantes a gemitu cordis mei, obturantes et interrumpendo tardantes scriptori verba oris mei. Quamvis sint quidam, ut audio, qui autem sint, Deus sit, qui aut fingunt malitia, aut suspicantur errore, aut coguntur dicere indiscreto dolore, quod magis trahar ad archiepiscopatum vitiosa cupiditate, quam cogar religiosa necesitate. Quibus nescio quomodo possim persuadere quae sit in hac re conscientia mea, si illis non satisfacit vita et **366** conservatio mea. Sic enim vixi jam per triginta tres annos in habitu monachico , tribus scilicet sine praelatione, quindecim in prioratu, totidem in abbatia annis,

ut omnes boni me deligerent qui me noverunt, non mea industria, sed gratia Dei faciente, et magis illi qui me interius et familiarius noverunt; nec aliquis in me videret aliquod opus, unde me praelatione delectari cognosceret. Quid ergo faciam? Quomodo propulsabo et exstinguam hanc falsam et odibilem suspicionem, ne animabus eorum noceat qui me propter Deum diligebant, charitatem illis minuendo; aut eorum quibus qualecunque consilium aut exemplum parvitatis prodesse poterat, me pejorem quam sim illis persuadendo; aut etiam horum et aliorum qui me non noverunt et hoc audient, malum illis exemplum proponendo? Deus, tu qui omnia scis, non me justifico secundum examen districti judicii tui, quia ille magnus Apostolus tuus, qui dicere potuit : *Nihil mihi conscius sum* **(I Cor. IV, 4),** cum hoc dixisset, subdidit : *Sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me Dominus est.* Et vir ille simplex et rectus, timens Deum et recedens a malo, cui te ipso teste, non erat similis in terra, dixit, *verebar omnia opera mea* **(Job IX, 28)** : sed secundum quod anima mea comprehendit conscientiam suam, coram te dico eam, ut omnes qui hanc meam epistolam legent aut audient, sub tuo testimonio sciant et credant eam. Tu, Domine, vides, et tu esto testis meus, quia nescio, sicut mea mihi conscientia dicit, quid me rapiat aut alliget ad consensum archi episcopatus, ad quem subito raptus trahor, amor alicujus rei quam servus tuus contemptor mundi debeat contemnere; et quia, si mihi liceret servata obedientia et charitate, quas propter te, quantum dedisti, volo custodire, potius eligerem sub praelato, sicut monachus, servire et obedire, et ab illo consilium animae meae et necessaria corporis mei accipere, quam aliis hominibus dominari aut praeesse, sive ad animarum gubernationem, sive ad

corporalem sustentationem, aut terrenas divitias possidere. Tu vides, et tu esto testis meus, quia, sicut mea mihi conscientia dicit, nescio quomodo me sine peccato possim evolvere ab hac me eligentium intentione; et quia timor tuus, et charitas, et obedientia, quas tibi et Ecclesiae tuae debeo, me cogunt, me ligant, ut non audeam religiosis precibus eorum, et magno sicut mihi ostendunt, desiderio pertinaciter contradicere. Domine, si fallit me conscientia mea, ostende mihi meipsum et corrige me, et *dirige in conspectu tuo viam meam* **(Psal. V, 9).** Et sive mihi placeat, ut quod inceptum est ab hominibus de hac mea electione fiat, sive potius ut non fiat, *Deduc me in via tua, et ingrediar in veritate tua* **(Psal. LXXXV, 11).** Domine, tu vides, sicut dixi, conscientiam meam, tu esto mihi testis ad eos qui aliter de me suscipiantur; et ostende illis eam, ne laedant suas aut aliorum animas, male eam judicantes. Ecce, dilectissimi fratres mei, audistis vere conscientiam meam de archiepiscopatus desiderio, sive contemptu. Si enim Deo sciens mentior, nescio cui verum dicam. Si quis deinceps contra hoc, quod de hac re sub testimonii Dei invocatione dixi, me voluerit aperte vel callide male alicui commendare, puto quia Deus erit mecum adversus eum, et pro me respondebit ei; ego vero consolabor me sub testimonio Dei. Certus autem sum quia quidquid haec falsa suspicio alicui animae vel nocebit, peccatum hoc super se suscipient, si plures sunt, auctores ejus; et sive unus sive plus sint, maxime super eum erit qui maxime auctor ejus est. Ad ea vero quibus quidam vestrum putant me potuisse rationabiliter electioni praedictae resistere, breviter respondeo. Dicunt enim : Quando coactus est ut noster abbas fieret, tradidit se nobis in servum in nomine Domini. Bene, quia hoc feci in nomine Domini. Quid hic intelligunt? An putant me jurasse vobis servitutem per nomen Domini? utique

non hoc feci. An quod Dominus dicit : *Si quid petieritis in nomine meo* **(Joan. XVI, 24)** sic intelligendum est, ac si diceret : Si juraverit Patri, petendo aliquid per nomen meum ; aut quando dicimus : *Adjutorium nostrum in nomine Domini* **(Psal. CXXIII, 8),** aut quoties facimus aliquid, sive dicimus in nomine Domini, toties juramus per nomen Domini? Nequaquam : quomodo autem illa intelligatur. nihil nunc ad me; quod vero ego tunc dixi in nomine Domini, intellexi et intelligo, in Domino, hoc est in Deo. Quae in Deo fiunt, secundum Deum, id est, recte fiunt. Cum ergo tradidi me vobis in servum in nomine Domini, tradidi me vobis in servum, quantum potui, secundum Deum. Judicate nunc, si hoc modo abnegavi; aut si potui secundum Deum abnegare dispositionem Dei de me, cui vellem, nollem, recte subjacebam; aut obedientiam, cui me penitus tradideram. Cum enim professus sum monachum, abnegavi meipsum mihi, ut deinceps meus non essem, id est non viverem secundum propriam voluntatem, sed secundum obedientiam : vera autem obedientia aut est Deo, aut Ecclesiae Dei, et post Deum maxime praelatis. Hanc ergo non abjuravi, nec abnegavi; sed potius servavi, cum dixi, ln nomine Domini. Discite itaque quid vobis tunc dedi. Hoc utique, ut me vestro non possem subtrahere propria voluntate servitio; nec quaerere ut subtraherer, nisi ea cogente dispositione et obedientia, quarum prius secundum Deum servus eram. Quod autem feci, si aliter fecissem quam dixi, certe vos monachi non essetis, si quod contra Deum vobis promisissem, exigeretis. Nunquam antequam concederetis me ad archiepiscopatum promoveri, hanc meam vobis factam deditionem alicui exposui, sed objiciebam eam quasi firmissimum obstaculum, ne promoverer; donec intellexi me

volentes promovere in tanta suae voluntatis persistere constantia, ut et ad hoc nihil obesse intelligerent, et ab incepto se nullatenus , aut velle, aut debere desistere assererent. Dicunt etiam quidam quia et vobis secundum Deum datus eram; et quibus recte praelatus eram, non recte me posse auferri ab illis, nec me debere concedere . Beatus Martinus secundum Deum abbas erat, et tamen monachis est ablatus, et clericis, et monachis et laicis viris, et mulieribus est praelatus. Petrus apostolus, puto quia secundum Deum Antiochiae cathedram episcopalem tenebat; nec tamen dicit aliquis quia peccavit, cum deserendo eam, studio majoris fructus Romam migravit. An ideo dicendum est quia non diligebant priores discipulos suos, aut quia postea minus eos dilexerunt; aut quia Deus comtempsit et deseruit eos, quia isti eos corporaliter deseruerunt? utique non est dicendum, fratres. Non me comparo magnitudini eorum; sed tamen non ideo sum damnandus, si de me facit Deus aliquid ad similitudinem eorum. Forsitan dicit aliquis : Non es homo, cui tanta res conveniat . Hoc ipsum de me corde et ore judico. Sed dicunt mihi, qualiscunque sis, te volumus, te non dimittimus. Reminiscuntur quidam quia dicere solebam quod nollem vivere nisi vobis, et quia nunquam aliam praelationem haberem quam Beccensem. Sed hoc secundum affectum meae voluntatis dicebam, et secundum hoc, quod in defensione et responsione mea, si ad aliam praelationem vocarer, confidebam. Sed quid si Deus ordinat ut etiam aliis vivam et serviam ? An debeo superbe resistere? Et ego et vos plus sumus Dei quam ego vester, et vos mei. Princeps apostolorum dixit Domino : *Non lavabis mihi pedes in aeternum* **(Joan. XIII, 8).** Talis erat voluntas ejus. Sed quid Dominus? *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum* **(ibid.).** Et

Petrus quid? *Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput* **(ibid., 9).** Tamen non ideo illum Deus damnavit, quia sententiam suam pro divina mutavit, imo ad pedes ejus se humiliavit. Praesumebam **367** de fortitudine et ingenio meo ad me defendendum; sed fortior et ingeniosior me Deus fuit, et ideo praesumptio mea nihil fuit. Insipienter me locutum esse forsitan dicet aliquis, quasi me justificando et dignum archiepiscopatu probando; sed falsi calumniatores mei me coegerunt, ne vos aut aliquem alium veneno suae falsitatis inficiant. Nec nitor me dignum archiepiscopatu probare, sed falsum crimen expurgare . Sed de his, unde hactenus locutus sum, nunc ista sufficiant. De consolatione vero vestra pauca subjicio. Precor itaque vos, fratres mei dilectissimi, ut non contristemini ultra modum propter absentiam meam. Certe tristitia vestra mea est tristitia et consolatio vestra mea consolatio est. Non sit in homine spes vestra, sed in Deo; quia si quid vobis profui, non a me fuit, sed ab eo. Multi propter me, et fere omnes, Beccum venistis, sed nullus propter me monachus factus est; nec propter spem retributionis meae vos Deo vovistis; ab illo cui totum dedistis quod habuistis, ab illo exspectate totum quo indigetis. Jactate cogitatum vestrum in Domino, et ipse vos enutriet. Convertite totam curam ad illi serviendum; et ipse suscipiet totam curam vestram ad vos nutriendum. De me vos precor, ne minus me diligatis, si Deus de me facit voluntatem suam; et ne propter hoc perdam, si aliquando volui facere voluntatem vestram, quia non audeo, nec debeo, nec possum Deo resistere, nec adhuc video quomodo me possim Ecclesiae Anglorum subtrahere, nisi Deo resistendo.

Appareat quia non me vobis solummodo dilexistis, sed et Deo, et mihi. Orate pro me, ut quidquid fiat de me, bono fine per gratiam Dei consummetur. Abbatem vestrum ex hac hora nolite me exspectare; sed dilectorem vestrum et sollicitum pro vobis, quandiu vivam, Deo servante voluntatem quam mihi de vobis dedit, scitote. Nunquam tamen dimittam potestatem ligandi et solvendi, et vobis consulendi, quam habui in vobis, quandiu abbas, qui post me erit, et vos, qui sub illo eritis, hoc mihi concedetis : flendo et vix dico. Domino nostro Jesu Christo, et piae genitrici ejus Mariae, et beato Petro, cui ipse commendavit oves suas, et beato Benedicto (secundum cujus regulam obedientiam professi estis) et aliis sanctis Dei vos commendo, dilectissimi fratres mei, et eorum meritis et intercessionibus ipse qui vos redemit sit vester abbas, sit vester custos, ipse faciat vos post hanc vitam beate vivere in regno suo. Ibi sua pietate tribuat mihi vos videre, et vobiscum sine fine gaudere, qui est Deus benedictus in saecula. Amen. Mirantur multi ex vobis, quos tam dulci et familiari dilectione amplectebar, ut unicuique videri posset me nullum alium pariter dilexisse, cur non illis singulis aliquam nostrae dilectionis commemorationem scribo. Sed sciant quia non hoc facit oblivio mea, sed multitudo eorum. Et forsitan faciam, cum magis opportunum erit; et si non omnibus, saltem aliquibus. Hoc tantum ad praesens illis dico, ut reminiscantur quia non ob aliud eos sic dilexi, nisi ut ipsi Deum et animas suas diligerent. Ipsi sunt mihi testes, hoc de illis semper et de omnibus vobis desidero, hoc precor, hoc moneo, hoc consulo : hoc faciant, et sic semper dilectionem meam inviolabilem erga se servabunt. Abbatem vobis sustinere festinate, expedit enim vobis. Valete. Hanc epistolam nostram, quibuscunque potestis, pro excusatione falsae de me suspicionis ostendite;

et maxime reverendis dominis et Patribus meis, qui me propter Deum sua gratia dilexerunt, episcopis et abbatibus, de quibus me magis gravat si de me aliquid suspicando perversum, falluntur. Nolo enim dilectionem eorum ullatenus perdere, sed semper, eos venerando et diligendo, illam mereri et custodire

EPISTOLA VIII . ANSELMI AD MONACHOS BECCENSES.

Ut Guillelmum qui apud Pexeium prior fuit in abbatem eligant; et ut hanc curam suscipiat, ei praecipit; Baldrico autem ne prioratum dimittat, ipse inhibet.

Dulcissimis et dilectissimis suis, domno priori BALDRICO, et aliis monachis Beccensibus, frater ANSELMUS, qui hactenus eis sub abbatis nomine servivit , a Deo semper custodiri et protegi.

Deo, de me quod vult, ut de creatura sua, velim, nolim, disponente, et reverendo domino nostro principe Northmannorum Roberto concedente; et archiepiscopo nostro Guillelmo praecipiente, et vobis a Deo coactis, faventibus, a vestra cura sum absolutus, et majori involutus. Si Deus vobis dederit eam gratiam praedicti domini nostri principis, ut de Ecclesia nostra vobis velit dare abbatem, et nostrum inde dignetur audire consilium, illi et vobis dico quia

de nullo mihi melius videtur quam de domno Guillelmo, qui prior fuit apud Pexeium. Et si jussio gloriosi domini nostri principis in hoc fuerit, quod utinam ita fiat, ego quoque tibi, frater Guillelme, in nomine Domini per sanctam obedientiam praecipio, ut hanc curam in spe auxilii Dei, tuam postponens requiem, pro fratrum tuorum utilitate humiliter suscipias. Istas litteras congruo tempore, et domino nostro, et congregationi, et quibus oportebit, volo praesentari. Tibi quoque, Baldrice prior, per sanctam obedientiam praecipio, ut quicunque sit abbas, prioratum non deseras, nisi ejus et meo consensu, dum vivo. Valete.

EPISTOLA IX . ANSELMI AD ROGERUM ABBATEM.

Commendatio Beccensium.

Domino Patri reverendo, abbati ROGERO, frater ANSELMUS, in hac vita prospere vivere in sanctitate, in futura feliciter in aeternitate.

Sic nobis invicem conscii sumus ego et vos mutuae dilectionis in Deo, ut nec putem me indigere precibus, ut ipsa semper in nobis, quandiu vivetis, vivat; nec vos indigere persuasionibus, quia, Deo annuente, quandiu vivam, in me non deficiet. De Ecclesia Becci (quia nihil in hoc mundo purius dilexi, nec diligo), si vestra Sanctitas supplicationibus indigeret, utique corde et litteris, quia verbis praesens nequeo, quantum possem supplicarem, quatenus illi vestra consolatio, et vestrum consilium et auxilium non

deesset, et ut filios ejus, velut primogenitus et major frater eorum, paterna sollicitudine et materna dulcedine foveretis. Sed quoniam vestra prudentia, et vestrae charitatis sinceritas hoc vobis persuadere sine mea exhortatione sufficiunt, et ego propter cordis abundantiam omnino tacere non valeam, hanc brevem commonitionem sufficere ex nostra parte existimo. Mementote Dominici verbi ad principem apostolorum, velut ad fratrum suorum primogenitum : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* **(Luc. XXII).** Salutate dominos et fratres nostros filios vestros; et eis precibus nostris et vestra commonitione persuadete, quatenus **368** sic non deficiat, sicut non deficit ille propter quem illam inceperant . De conscientia mea ad archiepiscopatum incunctanter credite, et secure aliis asserite quia nulla cupiditas (coram Deo loquor) quae in corde servi Dei contemptoris mundi esse non debeat, me trahat aut alliget, sed timor, et charitas, et obedientia Dei et Ecclesiae ejus. Litteras istas, aut exemplum earum, Becci videri facite. Valete.

EPISTOLA X . ANSELMI AD GISLEBERTUM EBORACENSEM EPISCOPUM.

Se non honoris aut alicujus rei terrenae cupiditate suscepisse onus archiepiscopi.

Suo dilectissimo Patri, reverendo domno Eboracensi episcopo GISLEBERTO, frater ANSELMUS, quod fidelis servus et filius.

In principio meae epistolae apud reverendam mihi Paternitatem vestram me excusare desidero, quia quod tarde illi scribo, postquam sors gravis mihi archiepiscopatus super me cecidit, non hoc fecit negligentia vel oblivio, sed magna valde perturbati cordis mei dubitatio. Sic enim intra me luctabantur timor Dei et timor oneris, quod subire cogebar, et dilectio eorum a quibus sine magna tristitia separari non poteram, ut cum ordinationi Dei resistere pertinaciter non auderem, et grave pondus, et scissuram animae meae ab illorum animabus quos sicut me diligebam, et quibus solis vivere velebam, nimis horrerem; quoniam in neutra parte Deum volebam offendere, omnino dubium mihi esset quid magis deberem eligere, aut ad quid potius auxilium amicorum expetere. In qua re hoc unum et tutissimum, ut mihi visum est, elegi consilium, ut, sicut scriptum est : *Jacta cogitatum tuum in Domino* **(Psal. LIV, 23),** omnino me committerem divino moderamini, et consilio. Ita tamen ut facerem quidquid possem sine peccato, ut quod volebant de me facere qui me eligebant, non fieret, et nihil facerem quod sine peccato dimittere possem, ut fieret. Quod quo affectu, qua simplicitate facere volui, vel in quam partem cor meum magis pependit, coram Deo ipse novit, ad cujus regulam intentionem meam in hac re pro meo intellectu et possibilitate volui diligere. Veniam ad hoc quod mox non parum contristat, si verum est. Novit enim prudentia vestra, mi Pater charissime, quoniam quanto sincerius aliquis diligit et a dilecto diligitur, tanto molestius illi est si dilectionis ejus dilectio aliquo modo minuitur. Quod autem vestra Celsitudo parvitatem meam dilexerit sincere, dubitare non possum, quia hoc certissimis argumentis beneficiorum, quae mihi et Ecclesiae Beccensi, cui hactenus sub nomine abbatis

praefui, in dictis et factis et in multa benignitate et dulci pietate impendistis, probare possum. Quod quoniam nullis obsequiis aut beneficiis me prius metuisse aut postea retribuisse considero, valde me reprehensibilem ego ipse judico, si paternam vestram sanctitatem fideliter non diligo. Quanto ergo vos diligo sincerius; tanto si vestra dilectio erga me aliquatenus obnubilatur mihi est amarius. Hoc idcirco dico, reverende mi Pater et Domine, quoniam audivi quod paterna vestra Sanctitas suspicetur me aliquatenus cupiditate archiepiscopatus, ad quem dolens, tristis et timens, multis lacrymis testantibus, trahor illaqueari, unde valde timeo mentis vestrae benignitatem erga humilitatem meam, quamvis nequaquam hoc merear, decolorari. Deum enim invoco testem, in cujus conspectu mentiri non debeo, et quem mendacii testem invocare nefas esse scio, quia, secundum quod meam coram illo comprehendo conscientiam, mallem, si hoc servata charitate et obedientia quas Deo debeo, et Ecclesiae Dei propter Deum possem monachica paupertate serviendo et obediendo abbati regulariter subesse, quam uni, vel multis, vel omnibus hominibus dominando in terrena celsitudine et opulentia terrenarum rerum praeesse. Certe, mi reverende Pater, coram Deo similiter loquor, non mentem meam trahit aut alligat ad archiepiscopatum terrenae alicujus rei, quam servus Dei contemptor mundi contemnere debeat, cupiditas, sed timoris Dei cogit, quam adhuc non video quomodo rumpere possim sine peccato, necessitas. Quod autem domino nostro comiti Northmannorum Roberto, et Patri nostro reverendo archiepiscopo Guillelmo, et fratribus nostris Beccensibus mandavi, me nullo modo posse amplius sine peccato resistere, et quia voluntati Dei nullatenus possem obsistere, et idcirco consilio virorum spiritualium et plus

timentium Deum quam homines ageret idem archiepiscopus, ut mihi praeciperet sicut monacho, qui non nisi per obedientiam vivere vult , quid mihi potius faciendum esset; et quod scripsi praedictis fratribus rem ad hoc perduci inevitabiliter, ut aut illis et aliis prodessem, si ordinationi Dei acquiescerent; aut nec illis, nec aliis prodessem, sed in tristitia viverem deinceps, si pertinaciter agerent, et idcirco illis consului, sicut mihi commissis ad consulendum, ut nihil nisi consilio spiritualium de concessione mei, quae ab illis exigebatur, facerent; quidam non intelligentes quid me cogeret, putaverunt cum haec legerent, me cupiditate archiepiscopatus esse devictum. Sed certe non ita fuit, nec est : sed videbam ex ipsa sola dilatione, quia non determinabatur quid futurum esset de me, jam praesentia multa et gravia mala corporibus et animabus multorum nocentia nasci, et multo plura et graviora nascitura, si diutius differrentur, quae nunc non est opus dicere. Inter quae mala erat destructio Beccensis Ecclesiae, et ut intelligebam, irreparabilis, sicut erat inevitabilis. Quam si viderem in tanta tristitia deinceps viverem, ut nec mihi nec ulli essem. Sciebam etiam quia propter concessionem vel contradictionem eorumdem fratrum nostrorum, nec majus nec minus quod inceptum erat fieret; et idcirco volebam ut illi sine culpa et sine omni occasione imminentis periculi essent, quidquid fieret. Quod vero significavi voluntate fieri, quod fiebat, cui non possem obsistere, non ita intellexi, quasi certus essem quia Deo placeret, sed quia sive misericordi, sive irata, voluntate tamen Dei (cui resisti non potest) fieret. Solemus enim dicere, etiam cum certi sumus quia iratus aliquid facit Deus, nullum posse voluntati ejus resistere. Denique quidquid aliquis intelligat in litteris meis de archiepiscopatu, ego certus sum quia in

simplicitate cordis mei, in quantum eam coram Deo servare potui, locutus sum. Precor igitur dilectam mihi Paternitatem vestram, ut potius sentiam in dolore et timore meo miserationis vestrae consolationem, quam ad augmentum meae tristitiae vestram indignationem. Quod non solum a vestra pietate, sed et ab omnibus , qui me propter Deum hactenus dilexerunt, desidero impetrare, ne aliquid pravum de me injuste suspicantes eamdem dilectionem malint abjicere quam servare. Sed quidquid illi faciant, oro Deum, et spero in Deo quia ego semper eos diligam. Vestram autem rogo Paternitatem, sicut de ejus consilio dilectione, ut quoties opus fuerit, apud alios fiducialiter me defendatis a praedictae cupiditatis suspicione. Ecclesiam Beccensem, quam plusquam vitam corporis mei dilexi, et diligo et quam tristis tristem de mei amissione, quantum ad corporalem praesentiam, non dubito, vestrae pietatis consilio et auxilio, veluti animam meam, toto cordis affectu, lacrymis fluentibus, commendo. Quatenus illam non solum per vos, sed et per quoscunque potestis, illos ad ejusdem Ecclesiae miserationem **369** pia vestra miseratione convertendo, sustentetis. Omnipotens Deus diu vestram Paternitatem in hac vita sub suae gratiae continua protectione custodiat, et ad vitam aeternam perducat. Sigillum haec epistola non habet, quia abbas jam non sum, et archiepiscopus nondum sum, nec me delectat pingi quod non sum.

EPISTOLA XI . ANSELMI AD FULCONEM EPISCOPUM BELVACENSEM.

Ejusdem est argumenti ac praecedens.

Dulcissimo et dilectissimo suo dilectori, episcopo Belvacensi FULCONI, frater ANSELMUS : aeterna Dei protectione et consolatione gaudere.

Scio, mi dulcis amice, quantum dilectio vestra de illius (quem super omnes homines diligit) insperata corporali omissione contristaretur, nisi se sapienter divinae dispositionis consideratione consolaretur. Sicut enim in cordibus diligentium sese invicem spes et opportunitas confruendi se nutrit quamdam delectabilem dulcedinem, ita ejusdem rei desperatio ingerit molestam amaritudinem. De qua re vestra Prudentia meam potest cognoscere conscientiam. Sic enim cognosco vestrae dilectionis erga me sinceritatem, ut certus sim vos non ignorare meae dilectionis erga vos et erga illos , quibus illam ostendebam, et maxime erga monachos Beccenses , veritatem. Nam nullus sic cognoscit animi veri conscientiam, sicut ille qui veram gerit amicitiam. Considerate ergo quae possit esse in corde meo integra laetitia, quem tot amicorum me desiderantium et a me desideratorum contristat irreparabiliter perdita in hac vita praesentia. Unusquisque eorum de mei solius amissione corporali dolet, et anima mea de omnibus, quia ab eorum praesentia invita tam inopinate scinditur, dolet. Nam etsi major multitudo similem exhibentium dilectionem in Anglia me videatur laetificare, nullatenus tamen tam longo tempore radicatam et nutritam priorem dilectionem de corde meo valet eradicare. Vera enim charitas non diligit minus priores amicos interius, etiamsi exterius pariter nequeat operari, cum ad plures extenditur; sicut nec a prioribus, si veri amici sunt, minus non timet diligi, cum a pluribus diligitur. Et quidem si

qua mihi consolatio est multitudinis amicorum praesentium ad angorem quem gero de priorum absentia, illud utique efficere nequit, ut non contrister de illorum qui quanto me magis diligunt, tanto magis contristantur de absentia dilecti et dilectoris sui tristitia. Delectat me, cum dulci amico meo scribo de charitatis sinceritate, et de ejus efficacia diu tractare; sed quoniam epistolaris brevitas hoc non patitur, cum et aliud velim dicere, necesse est me jam materiam mutare. Quidam, ut audivi, suspicantur me archiepiscopatus concupiscentia, ad quem dolens et timens trahor, detineri. Quod, sive suo errore, sive aliena persuasione faciant, parcat illis Deus, qui videt quia falluntur et peccant. Non me excuso apud vestram fraternitatem mihi dilectissimam, quae ex quo me cognovit familiarissima et longa conversatione, meam indubitanter didicit et credidit de saecularis honoris ambitione conscientiam. Quam tanto verius cognovistis, quanto securius vos et totam vitam vestram sensui meo judicioque meo commisistis. Sed apud eos me excuso, quicunque hanc lecturi sunt epistolam, ut sciant quid mihi dicat conscientia mea coram Deo; et aliis ignorantibus, cum opus erit, respondeant pro me, si non propter me, vel propter Deum. Multum enim nocet infirmis in Ecclesia Dei opinio alicujus vitii, sive vera, sive falsa sit, de aliquo homine; et maxime de eo qui sic est in Ecclesia catholica constitutus, ut et verbo et exemplo vitae aliis debeat et possit prodesse. Sciant ergo omnes, sicut mea conscientia mihi dicit coram Deo, quem invocare testem mendacii nefas esse scio, quia non me rapit aut alligat ad archiepiscopatum Anglorum cupiditas alicujus rei, quam servus Dei contemptor mundi contemnere debeat, sed timor Dei me cogit pati, ut quamvis dolens et timens ab Ecclesia Dei trahar ; et quia si mihi

liceret servata obedientia et charitate, quas Deo debeo et Ecclesiae ejus matri meae propter eum, potius et libentius eligerem sub abbate et sub regulari disciplina in monachica paupertate et humilitate esse, et obedire, et servire, quam regnare in hoc mundo saeculariter, aut dominari, aut archiepiscopatum sive episcopatum possidere, vel abbatiam, aut hominibus quibuslibet praeesse ad animarum gubernationem, sive ad corporum sustentationem, in magna terrarum et rerum terrenarum possessione et opulentia. Quod ego ipse non imputo mihi tantum ad virtutem, quantum ad hoc, quia talem me scio tam parum utilem, parum fortem, parum strenuum, parum prudentem, parum justum, ut potius mihi congruat et expediat eligere subesse praelato, quam aliis praeesse, obedire quam praecipere, servire quam dominari, ministrare quam ministrari. Cogor haec de me confiteri; sed malo haec in simplicitate mea, ut puto, sine omni duplicitate de me dicere, quam pati ut alii homines peccent in me, aut ut malum exemplum sumant per ignorantiam suam et errorem suum de me. Qui mihi haec de me confitenti credit , certus sit quia hoc credendo non fallitur, si mea me conscientia coram Deo non fallit, et qui non credit, verum est quia ipse falso et temerarie de me judicando se fallit. Omnipotens Dominus faciat vos in hac vita et in futura indeficienti sua protectione et consolatione gaudere . Amen.

EPISTOLA XII ANSELMI AD GOFFRIDUM EPISCOPUM PARISIENSEM.

Ut cantorem Ecclesiae Parisiensis qui in monasterio sancti Martini de Campis habitum monachi suscepturus, inde vi ab eo fuerat abstractus, liberum dimitteret; nec religaret in mundo qui Christum elegerat.

Domino et Patri reverendo, episcopo Parisiensi GOFFRIDO , frater ANSELMUS Dei disponentis omnia dispositione electus archiepiscopus Cantuariae : praesentis vitae Deo placitam sanctitatem, et futurae aeternam felicitatem.

Quamvis divina dispositio valde longe a Reverentia vestra meam separet parvitatem, nulla tamen longinquitas debet minuere meam, quam vestra multis modis, meruit benignitas fidelitatem. Quapropter si quid de vestra Celsitudine audio, unde mihi sit congaudendum, semper volo congaudere; et si quid cognosco quod vestram dignitatem mutare doceat , familiari fiducia eam charitative et humiliter debeo commonere. Didici quod dominus Walerannus charissimus amicus noster, cantor ecclesiae vestrae, Deo inspirante, habitum sanctae conversationis studiose et intentissime petens in monasterium sancti Martini de Campis , eo gaudio quo debuit , sit susceptus; et inde violenter a vobis, et quemadmodum non necesse fuerat, abstractus. De qua re, quamvis vestra prudentia meo consilio non egeat, cogunt tamen **370** fidelitas et dilectio (quas vobis et illi debeo) mentem meam, ut vestrae Reverentiae aliquid suggerat. Non loquor sapientiori me quasi docendo, sed velut ea quae melius me scit breviter commemorando. Mi Pater, si omnia facienda sunt cum consilio; cujus magis consilio, quam ejus qui admirabilis, consiliarius Deus fortis, dicitur? Ipse quippe consulit ad perfectionem nitentibus ut omnia relinquant, et se sequantur. Ipse omnia relinquentibus et

sequentibus se promittit quia sedebunt cum illo in judicio judicantes duodecim tribus Israel. Ipse est qui invitat laborantes et oneratos amore et curis saecularibus, ut ad se veniant et requiescant. Hoc consilium magis in monachico quam alio vitae proposito impleri sancti Patres intellexerunt. Beatus namque Gregorius in lib. XIV Registri , scitis quid mandet Desiderio episcopo de quodam, qui divina inspiratione compunctus gratiam monachicae conversationis appetierat, quomodo scilicet hortetur eumdem episcopum ut propositum ejus nullo modo impediat; sed magis eum, quantum valet, pastorali admonitione succendat, ne fervor conceptus in eo tepescat, nec ullatenus debere eum qui monasterii portum petiit, rursus ecclesiasticarum curaram perturbationibus implicari. In Toletano concilio IV legistis clericos monachorum propositum appetentes, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos esse debere ab episcopis ad monasteriorum ingressus. Pauca dixi de multis. Si ergo dicere contra Dominum, et contra tot sanctos Patres dicta Domini veraciter intelligentes, est peccatum, facere contra manibus, non dicam quomodo scio, sed quomodo vos scitis, quid est? Si qui separat pretiosum a vili, id est animam a saeculo, tanquam os Dei (sicut scriptum est) erit, ille cujus os et manus retrahunt animam adhaerentem consilio Domini ad saeculum, quid erit? Absit, mi Domine; nolit Deus ut super episcopum cadat quod Deus dicit : *Qui non colligit mecum, dispergit;* et : *Qui non est mecum, contra me est* **(Luc. XI, 23).** Horrendum enim est etiam auditu, ut quos Christus elegit de mundo, episcopus religet in mundo; ut quos Christus trahit ad portum de procellis et tempestatibus mundi, hos episcopus retrahat a portu in naufragio turbines mundi; et quos Christus abscondit in ovili a multitudine

insidiantium luporum, hos episcopus rapiat de ovili, et exponat multitudini luporum. Mi reverende Pater, ne sit molestum Prudentiae vestrae, quia sic loquor. Non enim hoc duco, quia velim ostendere quod hujusmodi sitis, sed quia desidero ut hujusmodi non sitis. Consideret et retractet Prudentia vestra quod fecit de praedicto suo canonico; et si quid fecit quod mutandum intelligat, non eam pudeat facere quod magis deceat. Non enim adeo mirandum, si subito motu de tam strenui clerici amissione aliquid non praemeditate fecistis; sed hoc valde est laudandum, si mutatis quod mutandum intelligitis. Saluto dominos et amicos nostros canonicos vestros, quos etiamsi singulos non cognovi, omnes tamen diligo, et omnibus servire volui. Quos omnes vobiscum supplex precor ut consecrationem meam, quae in Dominica (qua cantatur *Populus Sion*) ordinata est, Deo annuente, fieri, suis orationibus, non meis meritis, sed sua charitate praeveniant. Omnipotens Dominus sic vos usque in finem hujus vitae dirigat et custodiat, ut post hanc vitam aeternam beatitudinem vobis retribuat. Sigillum haec epistola non habet, quia et abbas jam non sum, et archiepiscopus nondum sum, nec me delectat pingi quod non sum.

EPISTOLA XIII . ANSELMI AD WALERANNUM CANTOREM PARISIENSIS ECCLESIAE.

Ut arreptum vitae monasticae propositum strenue persequatur.

Domino, et amico charissimo WALERANNO, olim cantori Parisiensis Ecclesiae, frater ANSELMUS archiepiscopus Cantuariae : semper ad meliora proficere, et nunquam deficere.

Audivi, amice charissime, quia propositum sanctae conversationis eligens monasterium sancti Martini sub clarissimo amico meo domno priore Ursone ingressus fueras, et valde de tanto bono amici mei laetatus sum. Sed postea didici quia Dominus noster episcopus tuus te inde vi retraxerit, et tristis factus sum. Et quoniam honestatem tuam, de cujus dilectione certus sum sine figmento dilexi et diligo, reprehendit mea conscientia, si te visitare meis litteris et, pro possibilitate mea, in tanto periculo tibi consulere charitative non studeo. Timeo enim ne diaboli calliditas animam tuam dilectam mihi decipiat, ne tibi, quoniam vi abstraheris et nolens a sancto proposito, posse in clericatu licite et sine culpa, ut olim, permanere persuadeat. Certus esto, charissime, quia nullo modo hoc potest anima tua sine sui reprobatione suscipere, quamvis hoc episcopi sui auctoritate velit defendere. Christus enim dicit : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et retro respiciens aptus est regno coelorum* **(Luc. IX, 64).** Mens tua ab aratro Christi retro respicit, si a proposito, ad quod te vocavit Christus, et quod incepisti, aliqua occasione tepescendo deficit. Sicut enim episcopi servant sibi auctoritatem, quandiu concordant Christo, ita ipsi sibi eam adimunt, cum discordant a Christo. Omnis episcopus qui habet vocem Christi, Christus est, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Lege in Evangelio post haec verba : *Alienum non sequuntur, sed fagiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum* **(Joan. X,**

6) . Si persecutio corporis fugienda est de civitate in civitatem, quanto magis persecutio animae? An non est animae fugienda persecutio, animam prohibere sequi Christi consilium? Amice charissime, si multa non legisses et rationabilis ingenii non esses, multa tibi dicerem, ut quam bonum sit quod incepisti, et quam malum si ab incepto deficis, ostenderem. Breviter dico, nihil salubrius potuisti incipere, nihil periculosius potes relinquere. Nihil igitur separet animam tuam a proposito monachico, quod incepisti. Lege in concilio Toletano quarto de clericis petentibus vitam monachicam, et in libro XIV Registri epistolam ad Desiderium episcopum, de clerico facto monacho. Omnipotens Dominus dirigat et corroboret, et consoletur cor tuum. Amen.

371 EPISTOLA XIV . ANSELMI AD FUDONEM.

Ut Ecclesiae Beccensi praeficiatur domnus Guillelmus jam se respondisse significat, et Ecclesiam Beccensem ejus charitati commendat.

Domino et amico charissimo FUDONI, frater ANSELMUS : salutem et fideles orationes.

Diu est quod litteris vestris de elingendo abbate in Beccensi Ecclesia respondi; sed, sicut audio, lator mearum litterarum in mari captus, ad vos venire prohibitus est. Quod tarde sciens iterum mando domino nostro comiti et vobis de ea re praedicta

nostrum, secundum jussionem ejus, consilium. De nullo fratrum ejusdem Ecclesiae volo aut consulo tantum ut abbas fiat in illa, quantum de domno Willelmo, qui prior fuit apud Pexeium, quamvis plures alii sint inter eos, Dei gratia, hac praelatione non indigni. Vobis autem gratias ago, quantas possum, ut verissimo amico, pro eleemosyna vestra, et propria cura quam habetis de Ecclesia Becci, quam vobis commendo sicut animam meam, quia plus eam diligo quam praesentem vitam meam. Nulli enim confidentius commendo rem tam charam cordi meo, quam vere dilecto dilectori meo. Precor, obsecro, ut non solum per vos eam vestro consilio et auxilio adjuvetis, sed et alios ad ejus miserationem et sustentationem et dilectionem, quantum potestis, convertendo, eam sustentetis. Et si contigerit ut aliquando aliter aliquo modo sese habeat, quod Deus avertat, quam oportet, confidenter eam, ut verus amicus, corripite et arguite, et donec corrigatur, charitative insistite. Dilectionem meam et fidelitatem, quas erga vos habui, ex quo vos cognovi, et quae tanto magis in corde meo creverunt, quanto magis vestram erga me dilectionem veriorem probavi, scitote, Deo annuente, quandiu vivam, perseveraturas. Omnipotens Dominus vos sub sua continua protectione sic in hac vita custodiat, ut ad vitam aeternam perducat. Amen.

EPISTOLA XV . ANSELMI AD MONACHOS BECCENSES.

De suavissimis litteris Roberti Northmannorum ducis ad se missis; et quod ejus consecratio futura esset pridie nonas Decembris.

Dilectissimis suis domno priori BALDRICO, et aliis monachis Becci, frater ANSELMUS : semper velle et facere quae Deo placent, et quae sibi expediunt .

Gratia Dei faciente, dominus noster princeps Northmannorum misit mihi litteras plenas magna benignitate et excusatione sui, si quid aut credidit aut dixit de me aliter quam decuit, amore meo, et dolore de amissione mea, cogente, ob meam ad archiepiscopatum electionem. In quibus litteris de abbate vobis constituendo petiit benigne meum consilium; quod non solum in hac re, sed et in aliis rebus se libenter accepturum promisit. Consilium autem meum de hac re illi mando, et vobis remando, quod mandavi per domnum Girardum fratrem nostrum. Rex Anglorum vobis mandat salutem, et auxilium suum, et custodiam rerum vestrarum quae sunt in sua potestate, quandiu meo consilio agetis et vivetis. Si autem illud spreveritis, in illo proficuum non habebitis. Cum ex vestra parte aliqua mihi mittitur epistola, secrete et mihi soli legenda, non nimis sit gracilis scriptura. Postquam enim illud, quod de me inceptum esse mecum doletis, contigit, multae diurnae et nocturnae lacrymae visui meo nimis nocuerunt. Non enim celsitudo aut opulentia archiepiscopatus eas tantum valuerunt sua consolatione reprimere, quantum timor et taedium ejus eas potuerunt sua perturbatione exprimere. Amici mei, compatimini mihi, quia ego compatior vobis. Orate pro me quia ego, si possum, oro pro vobis. Consecratio mea ordinata est fieri prima die Dominica post festivitatem sanctae Andreae, pridie videlicet Nonas

Decembris. Praevenite eam vestris orationibus, et mandate hoc monachis et sanctimonialibus per Northmanniam inclusis, et claustralibus, et amicis nostris in Francia. Valete.

EPISTOLA XVI . ANSELMI AD MONACHOS BECCENSES.

Ipsi abbati a Beccensibus in suum locum subrogato gratulatur, praecipiens ut monachis sit pater, et ut monachi ipsi obediant ut filii.

ANSELMUS servus servorum Dei, vocatus archiepiscopus, dilectissimis in Christo filiis WILLELMO, abbati et caeteris Beccensis Ecclesiae monachis, salutem.

Gloria in excelsis Deo, et in Ecclesia Beccensi pax fratribus bonae voluntatis. Grates immensae clementiae Dei, quae sicut vobis pastorali solatio destitutis visitationis suae gratiam voluit impertire, ita eamdem longa rerum exspectatione noluit protelare. Iterum ago grates clementiae illius, quod licet non omnino sicut vellem, aliquo tamen modo amici mei desiderio dignata est occurrere, dum, me superstite, alium in praefata Ecclesia abbatem, secundum juge desiderium meum, constituerit. Sed cum illud indesinenter ejus intentionis speculatione desiderarem, ut et vobis ante mortem meam consultis, finem vitae cum gaudio exspectare, et ab omni mundanarum specie rerum segregatus quietam inter vos vitam possem agere, noluit in hac parte superna Providentia desiderium meum adimplere, sed ad magnum, ut valde

pertimesco, animae meae detrimentum majoribus quam ante rerum tumultibus voluit implicare. Proinde quantum in uno, quod a Deo exauditus sum, gaudeo, tantum in alio, quod exaudire me noluit, doleo. Paternam tamen nunc, sicut semper, sollicitudinem pro vobis gerens, moneo vos sicut filios meos charissimos, et sicut eos quos in visceribus Christi tenerrimo semper affectu dilexi, et diligere volo, ut secundum B. Apostoli vocem idipsum invicem sentiatis, propositum animi ad meliora quotidie dirigatis; et ei quem divina pietas vobis praeesse voluit, humilem in omnibus obedientiam exhibeatis, memores illius praecepti, quo nos idem Apostolus admonet, dicens : *Obedite praepositis vestris. et subjicite vos eis* **(Hebr. XIII, 17).** Tibi autem, charissime frater Willeime, et omni sanctae religionis observantia animo meo probate, quem Dei gratia tam sancto monachorum gregi rectorem post me fieri constituit, hanc facio suggestionem, ut ita de animabus fratrum sub tuo regimine consistentium sollicitus existas, quatenus callidi hostis insidiae nulla eis arte, protegente Deo, nocere valeant; sed sollicitudinis tuae custodia vallata boni pastoris tutamina se invenisse gaudeant. Sicque te in omnibus quae agis, moderatum exhibere festines, ut neque justitiam gratia, neque gratiam justitia qualibet unquam privata subreptione excludat. Sed ita altero semper alterum conjungas, ut in utroque monasterii ordo **372** inviolata rectitudine servari valeat. Nunquam ab animo tuo excidat quod Dominus negligenti pastori per Salomonem dicit : *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam; illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus tuis* **(Prov. VI, 1).** Plura me loqui delectaret, si aut epistolaris brevitas permitteret, aut tua Sanctitas melius facere quam ego dicere

nesciret. Omnes tamen vos hac postrema supplicatione convenio, ut expertum semper dulcedinis vestrae amorem erga me tepescere non sinatis, quoniam ego, etsi corporali praesentia vobiscum esse nequeo, cordis tamen amore vobiscum manere nunquam desisto. Memores etiam estote qua ratione semper Ecclesiae Beccensi amicos acquirere consuevi, et hoc exemplo amicos vobis undecunque acquirere festinate, hospitalitatis bonum sectando, benignitatem omnibus impendendo, et, ubi facultas operis defuerit, affabilis sermonis gratiam porrigendo. Nec unquam satis vos habere amicos credatis, sed sive divites, sive pauperes, omnes vobis in amore fraternitatis conglutinate, quatenus hoc et ad vestrae Ecclesiae utilitatem proficere, et ad eorum quos diligitis salutem valeat pertingere. De benedictione tua, frater Willelme, comiti, et archiepiscopo mandavi atque ut omnia decenter fierent, rogavi. Litteris tuis, quas per domnum Gislebertum, et domnum Joffridum misisti, ideo non respondi, quia et istae litterae antea scriptae fuerunt, et portiter earum multum festinavit.

EPISTOLA XVII . ANSELMI AD MONACHOS BECCENSES.

Horum litteris respondens eos consolatur de sua absentia; eosque absolvit a peccatis, ut petierant.

ANSELMUS vocatus archiepiscopus, dulcissimis et dilectionis filiis suis juvenibus et adolescentibus Beccensibus,

qui ei suas in Angliam miserunt epistolas : Dei, et suam, quantum valet, si quid valet, benedictionem.

Legi in litteris vestris dilectissimum et dulcissimum affectum vestrum erga dilectum dilectorem vestrum : quas saepe legi et saepe interiora cordis mei, vestrae dilectionis consideratione, pie commoverunt, et faciem meam lacrymis fluentibus perfuderunt. Ad quod cum unius vestrum sola sufficeret dilectio, tanto plenius tamen et vehementius hoc fecerunt, quanto in vestris dictis similem animum et affectum aliorum cogitabam, qui litteras non miserunt. Sic enim Dilectio vestra conglutinata est animae meae, ut eam intente cogitare nequeat sine quadam magna sui vulneratione, de dilectorum filiorum suorum violenta ablatione et separatione. Quod autem significatis vos mecum desiderare semper esse, certe et ego desidero. Sed quoniam aliter disponit Deus quam desideremus, nec video opportunum esse animabus vestris, quas sicut meam, teste vestra conscientia, diligo, ut mecum possitis conversari : precor, moneo, consulo, quatenus mecum supernam dispositionem patienter toleretis, et vestram tristitiam tolerando mitigantes, meam quoque mitigetis : vestra namque tristitia mea est, et vestra consolatio mea est. Quod non solum vobis dico, filii dulcissimi , sed et omnibus qui eamdem molestiam vobiscum ferunt pro absentia dilectoris sui dilectissimi. Scio quia si speraretis vos adhuc in hac vita aliquanto tempore mecum conversaturos, magnae consolationis vobis esset. Quanto ergo majorem consolationem habere debemus, si in futura vita nos in aeternum simul victuros et congratulaturos speramus? Consolamini igitur, filii mei, consolamini, et vos subjicite voluntati Dei, qui melius scit quid vobis expediat, quam vos

ipsi; quatenus aliquid major vobis retribuat Deus pro hac patientia, quam vobis provenire posset ex mea praesentia. Certi estote quia nulla locorum distantia, nulla temporum diuturnitas dulcedinem amoris vestri, sicut spero in Deo, a corde meo poterit separare. Et illis qui meam in litteris suis se significaverunt velle absolutionem, et illis qui, quamvis eam per litteras non petierunt, tamen eam volunt, mando meam coram Deo absolutionem et benedictionem, et oro ut Deus omnipotens illos ab omnibus peccatis absolvat, et in vitam aeternam benedicat. Amen.

EPISTOLA XVIII . ANSELMI AD COMITISSAM IDAM.

Hortatur comitissam ad sanctimoniae perseverantiam.

ANSELMUS, servus servorum Dei, vocatus archiepiscopus, reverendae et diligendae vitae merito comitissae IDAE : sic in hac vita Deo servire, ut in futura mereatur cum Deo regnare.

Scio, et certus sum (domina mihi in Deo charissima, soror dilectissima, filia dulcissima) quia sancta tua dilectio, qua me semper in corde tuo praesentem, quasi Patrem spiritualem, reverenter et delectabiliter amplecteris, incessanter desiderat ea quae de me et erga me sunt cognoscere; et ex mea parte aliquid audire aut legere , quatenus mihi secundum verae charitatis regulam congaudeat aut compatiatur. Cui tuae dilectioni cor meum utique simul respondet affectu. Quoniam ergo et per epistolam congruum non est narrare nunc quae de

me facta sunt hoc anno, sive qualiter cor meum illa sustineat : et domnus Rainerius dilectus amicus noster, clericus vester multa per se vidit, et plura, me narrante, didicit; illum precatus sum ut ea quae de me interius et exterius cognovit, sicut qui ad hoc ipsum se a vestra reverentia missum fatetur, viva voce vivis vocibus notificet. Et quoniam jam olim certissime expertus sum, filia in Deo mihi dilectissima, monita mea cor tuum delectabiliter suscipere, atque animam tuam curae meae penitus te commisisse memini, aliquid necesse est, quod ad exhortationem tuam pertineat, subjungere. Amica charissima in Deo. Dominus dicit : *Multi sunt vocati; pauci vero electi* **(Matth. XX, 16).** Nunquam ergo secura sis te inter electos computari debere, donec ita vivas, ut pauci sint quibus vita tua debeat comparari : et cum te in numero paucorum esse cognoveris, adhuc time; quia adhuc dubium erit si inter paucos electos fueris, donec te de illis paucis videas, de quorum electione nulla manet dubietas. Qui enim dixit, *pauci sunt electi,* non utique dixit, quam pauci: ut quantumcunque nobis videamur profecisse, semper judicemus nos nondum nisi ad initium proficiendi pervenisse. Hortor igitur et consulo filiae meae, quae se meo commisit consilio, ut bene vivendi studium, quod olim incepit, nullatenus languescat; sed, quasi quotidie incipiat, per singulos dies fervescat. Omnipotens Deus ab omnibus peccatis te clementer absolvat, et benedicat in aeternum; et quantum mihi divina gratia concedit, meam semper habeas absolutionem et benedictionem. Amen.

373 EPISTOLA XIX . ANSELMI AD WLSTANUM WIRGONIENSEM EPISCOPUM.

Petit consilium contra Londoniensem episcopum, qui intra suam dioecesim dedicare volebat ecclesias villarum archiepiscopi Cantuariensis.

ANSELMUS, servus servorum Christi, vocatus archiepiscopus, dilecto et reverendo episcopo Wigorniensi WLSTANO,

sic in arrepto sanctitatis proposito perseverare, ut mereatur in aeterna beatitudine sine fine regnare.

Sanctitas et sapientia vestra, quae in diuturna aetate per Dei gratiam in vobis multum creverunt, et certitudo Dilectionis vestrae, quam erga me indubitanter cognovi, hortantur me ut in negotiis nostris (cum res exigit) ad vestrae reverentiae recurram consilium. Quapropter de quadam calumnia, quam quidam coepiscopus noster, Londinensis scilicet, contra antiquam consuetudinem quam Ecclesia nostra libere et quiete possedit in praeteritis et antiquis temporibus usque ad praesens tempus, ingerit mihi, vestrum quaero consilium. Quippe, testante omni genere hominum qui sunt in Cantuariensi dioecesi, et in aliis episcopatibus, qui sunt circa eamdem dioecesim, semper archiepiscopus Cantuariae hanc habuit potestatem et consuetudinem, ut intra cujuscunque episcopi dioecesim haberet Ecclesia Cantuariae villam aut

ecclesiam quae ejusdem archiepiscopi proprii juris essent quidquid de eadem villa vel ecclesia pertineret ad episcopale officium, sive dedicatio, sive aliquid aliud. Adhuc vivunt innumerabiles homines qui qui viderunt antecessorem meum, venerabilis memoriae Lanfrancum archiepiscopum dedicare ecclesias villarum suarum intra dioeceses aliorum episcoporum, ipsis scientibus sine calumnia. Quod etiam sanctus Dunstanus, et alii praedecessores mei fecisse probantur, ipsis ecclesiis, quas dedicaverunt, adhuc stantibus. Hanc dignitatem et potestatem tandiu inconcusse ab Ecclesia Cantuariensi possessam conatur hoc nostro tempore praedictus episcopus, suffraganeus scilicet, archiepiscopo et primati suo, filius matri suae auferre, et annihilare. Quamobrem in hac re vestrum peto consilium et auxilium, quatenus ut fidelis filius, matri vestrae contra filium, non dicam infidelem, sed volentem eam exhaeredare, subveniatis, et si quid scitis quod ad defensionem nostram valeat , litteris vestris nobis studiose intimetis. Valete.

EPISTOLA XX . ANSELMI AD OSBERNUM EXONIENSEM EPISCOPUM.

Ut Exonienses clerici non sint monachis graves, eosque sinat episcopus divina campanarum sono distinguere.

ANSELMUS Dei dispositione vocatus archiepiscopus Cantuariensis, reverendo episcopo Exoniensi Osberno, salutem.

Episcopalem decet dignitatem quoscunque potest, ad servitium Dei invitare, et volentes Deo servire, quibus valet, consulendo et adjuvando confortare. Hac igitur fiducia reverentiam vestram obsecro, ut monachos de monasterio, quod vulgo dicitur de Batailla, in vestra civitate morantes, propter Deum, et propter nostrum, si quid ad hoc valere potest, amorem paterna et episcopali pietate adjuvetis, et ab omnibus adversariis, pro possibilitate vestra (sicut vos decet) defendatis, quatenus si quid boni Deus per illos operari dignabitur, cum illis a Deo retributionem recipiatis. Audivi enim quod quidam de clericis vestris fecerunt illis quaedam quae fieri non oportuit. Unde precor ut praedictis monachicis eam jubeatis fieri satisfactionem, ut deinceps juste conqueri non possint de clericorum vestrorum indiscretione. Eosdem quoque clericos fraterna charitate et paterna fiducia precando moneo, quatenus sic se habeant erga eosdem fratres ut ipsa charitatis exhibitione et benigna familiaritate probent sibi placere profectum illorum et studium ad serviendum Deo. Quod autem prohibetis eos pulsare signa sua secundum ordinem suum, nusquam recte solet fieri, nisi ubi monachi in matre ecclesia civitatis deserviunt. Ubi enim canonici in majori ecclesia ad serviendum Deo sunt constituti, unusquisque ordo, canonicorum scilicet et monachorum, secundum opportunitatem servitii sibi injuncti tardant vel festinant signa pulsare, absque omni recta prohibitione. Quapropter ratione ipsa commoniti, eos signa sua secundum ordinem suum pulsare deinceps prohibere ne velitis. Hoc quoque petunt ipsi fratres, et ego cum illis, et pro illis, ut si quando in aliquo conventu populi auxilium postulare volunt ad ecclesiae suae constructionem, nullatenus prohibeantur. Valete.

EPISTOLA XXI . ANSELMI AD WILLELMUM ABBATEM ET AD MONACHOS BECCI.

Qui valeat, ex ore nuntiorum accipiendum esse.

Dominis et fratribus charissimis, domno abbati WILLELMO, et servis Dei Becci commanentibus, frater ANSELMUS, vocatus archiepiscopus, deduci in via Dei, et ingredi in veritate ejus.

Scio, dilectissimi mei, quia semper quae erga me sunt, desideratis cognoscere; nec puto esse in hac vita, qui mihi fidelius compatiantur aut congaudeant. Sed quoniam per domnum Willelmum fratrem nostrum, et per Ansfridum servientem nostrum plenius potestis discere quid mihi sit, quam per brevem epistolam, et puto quia jam magna ex parte audistis per domnum Farmannum, et alios qui nuper a me ad vos venerunt, existimo non opus esse in praesenti epistolam longius de hac re perducere. Ut autem pro me dilecto dilectore vestro, in majori quam unquam habui necessitate, ut puto, oretis, spero quia precibus non indigetis. Ad quod mihi sufficere videtur, ut sciatis quia nimis indigeo. Dulcissimos filios, ante tempus ablactatos (meos adolescentes dico) qui propter aetatis teneritudinem et naturalem mobilitatem, saepe sui memoria affectuose movent cor meum, illos specialiter moneo, precor, et obsecro ut in tota vita sua mei, et dilectionis quam erga se in me experti sunt, memores, nulla unquam perversitate contristent cor meum; et sciant pro

certo quia, si secundum desiderium meum, et secundum admonitiones quas a me perceperunt, vixerint, in qualibet tribulatione multum consolabuntur animam meam; et si aliter fecerint, nimis peccabunt, contristando eam. Spero enim, adjuvante Deo, quia non me latebit vita eorum, quoniam semper sollicitus ero inquirere conversationem illorum. Omnipotens Deus sic vos deducat ut ad conspectum gloriae suae perducat.

374 EPISTOLA XXII . ANSELMI AD BOSONEM.

Non esse pigritiae vertendum quod ad ipsum litteras non dederit.

ANSELMUS archiepiscopus vocatus, dilectissimo fratri et filio Bosoni , Dei et suam benedictionem.

Mirari potest homo forsitan, cujus conscientiam sic novi ut nullum hominem supra me diligat, et quem tantum diligo, ut nesciam quem plus diligam, cur tanto tempore absens eum dolentem de mea absentia, aliqua per litteras visitatione non sum consolatus. Sed certus esto quia non negligentia nec oblivione tui factum est. Sicut enim certus sum quia tu semper velles esse mecum, ita ne dubites quia ego semper vellem esse tecum. Si autem Deus pacem et opportunitatem mihi dare dignabitur, ut tuae dilectionis nihil liceat frui praesentia, scito quia, hoc ut fiat, curabo libentissime; et si non semper, vel

tantum quantum permittet ratio. Quidquid vero fiat, serva dilectionem meam, charissime, quia ego tuam servare desidero. Saluta dulcissimum filium meum fratrem tuum Rainaldum. Conforta quoscunque potes de fratribus tuis saepe, et maxime adolescentes et novitios. Omnipotens Deus te semper ab omni malo custodiat.

EPISTOLA XXIII. ANSELMI AD RODULFUM ABBATEM ET EJUS MONACHOS.

Monachus, qui ab episcopo interdicto ordinatus fuerat, perpetuo interdicto subjicitur. Et quod is qui mulieri quaesivit herbas quibus virum suum interficeret, si illis interfectus est, nunquam debeat ordinari.

Dominis et fratribus charissimis, reverendo abbati Sagiensi, RODULFO , et aliis servis Dei, sub illo commanentibus, frater ANSELMUS vocatus archiepiscopus : ad altiora virtutum, et monachici propositi semper proficere, et nunquam deficere.

De fratre illo quem dicitis esse ordinatum a quodam episcopo, qui a nobis est interdictus, hoc respondeo, quia si ordinatus est ab episcopo de Walis, qui vocatur Herewardus, nec illis ordinibus, quos ab illo accepit, nostra concessione aliquando utetur, nec ab ullo episcopo reordinari debet. De altero vero fratre, qui herbas quaesivit mulieri, quibus virum suum

interficeret, quamvis prope vos habeatis de hac re in Northmannia sufficiens consilium, tamen quia a me hoc petitis, nostrum negare non debeo sensum. Si monachus noster esset, et vir ille cujus morti quaesivit herbas, ipsis interfectus esset, nunquam ad diaconatum per me, vel ad sacerdotium ascenderet. Multa dilectioni vestrae, si cordis affectum sequerer, scriberem. Sed quoniam (ut puto) illis loquor, qui ex conscientia sua meam cognoscunt, breviter dico quoniam sicut propter Deum nos invicem dileximus, ita desidero et oro Deum, et vos rogo ut in eadem dilectione propter Deum perseveremus. Quatenus, sicut causa propter quam charitas ipsa incoepta est, nunquam deficiet, ita charitas inviolata permaneat. De statu vitae nostrae scio quia desideratis ut amici cognoscere. Nescio quid in futuro Deus de me sit facturus; sed adhuc non sensi, ex quo suscepi nomen archiepiscopi, unde cor meum audeat gratulari. Quapropter oro supplex et obsecro, ut mihi in necessitate mea orationibus vestris subveniatis, donec, ad quid Deus me a vobis et aliis amicis nostris qui in Northmannia sunt, non sine gravi dolore adhuc perseverante, separaverit, cognoscatis. Omnipotens Dominus sua vos gratia et benedictione semper laetificet, et in animabus vestris virtutes multiplicet.

EPISTOLA XXIV . ANSELMI AD HUGONEM LUGDUNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Quid in multis adversis suis facto sit opus, consulit Lugdunensem primatem. De schismate inter Urbanum, cui favebat, et Guibertum. Promittit regi multam pecuniam, quam Deo miserante non solvit: unde rex irascitur.

Domino, et amico charissimo, reverendo Lugdunensi archiepiscopo HUGONI, frater ANSELMUS, sive jubente Deo, sive permittente, vocatus archiepiscopus Cantuariae : diu in hac vita lucere, et semper in futura gaudere.

Si omnia facienda sunt cum consilio, illa maxime facienda sunt cum diligenti consilio, in quibus nihil, nisi quod obediat voluntati Dei, quaerendum est. Precor igitur sanctitatem vestram, ut propter Deum, et propter charitatem, quam scio in illo erga me, petat a Deo consilium quod mihi det. Ut breviter loquar, audistis, ut puto, qualiter subito raptus sim ad archiepiscopatum. Antequam praeberem assensum, palam dixi me favere domino papae Urbano, et Guiberto adversari : et feci, et dixi per sex menses, quod potui sine peccato, ut dimitterer. Tandem timore Dei, ob multas rationes, coactus subdidi me dolens praecepto archiepiscopi mei, et electioni totius Angliae, et sacratus sum : forsitan illic trepidavi timore, ubi non erat timor; sed nescivi, Deus scit, et adhuc nescio. Paulo post rex noster iturus in Northmanniam, multa pecunia indiguit. Antequam a me quidquam peteret, consilio amicorum promisi illi pecuniam non parvam : novit Deus, qua intentione. Sprevit quasi modicam, ut plus darem; sed nolui. Gratias Deo, quo miserante simplicitatem cordis mei hoc factum est, ne, si nihil aut parum promisissem, justam videretur habere causam irascendi; aut si accepisset , verteretur mihi in gravamen, et in suspicionem nefandae emptionis. Ex illa hora visus est quaerere occasiones

adversum me . Locutus sum de pallio; noluit ut illud peterem, quandiu ipse nullum reciperet apostolicum; aut ut saltem hujus dilationis excusationem domino papae intimarem. Sustinui usque nunc, consilio episcoporum, propter vitandam infructuosam dissensionem, si forte Deus aliquid interim operaretur, unde illi domini papae receptio persuaderetur. Petivi ut concilium convocaretur, quod per multos annos in Anglia factum non fuerat, quatenus corrigerentur quaedam in eodem regno, quae nullatenus toleranda videbantur. Ipsum quoque monui ut quaedam, quae mihi aliter quam oporteret facere videbatur, corrigeret : ex his aperte iratus me amorem suum perdidisse manifestavit. Respondi me malle ut ipse mihi irasceretur, quam ut Deus illi, et sic a praesentia ejus discessi. Postera die rediens ad eum, dixi me libenter facturum illi rectitudinem, si qua culpa in me adversus illum inveniretur, quam tamen ego nesciebam; et rogavi ut amorem suum mihi redderet. Respondit se nec rectitudinem tunc recepturum, nec amorem redditurum, nisi dicerem **375** cur illum mihi reddere deberet. Visus est mihi velle pecuniam quam dare nolui, ne culpam, quae non erat, viderer fateri . Iratus intantum ut diceret quae non debuisset, et quasdam terras non parvas, quas archiepiscopus Lanfrancus tempore patris ejus, et tempore ipsius quiete usque in diem sui obitus tenuit, militibus partim daret, partim dare disponat, sub occasione cujusdam voluntariae justitiae, secundum quam de terris eisdem me vult placitare : cum ego dicam quia non me debet ad placitandum cogere de terris quas archiepiscopus antecessor meus tandiu quiete tenuit; et ipse mihi dedit, sicut ille tenuit. Haec autem est illa quam dixi voluntaria justitia. Quoniam terras easdem, antequam Northmanni Angliam invaderent, milites Angli ab archiepiscopo Cantuariae tenuisse dicuntur,

et mortui sunt sine haeredibus, vult asserere se posse juste quos vult eorum haeredes constituere. Intendat igitur prudentia vestra et consideret quid ex praedictis sentiam, quatenus sententiam meam litteris vestris aut approbetis, aut ostensa ratione infirmetis; et me in eo quod magis tenendum est, confirmetis. Haec enim est cogitatio mea : Rex mihi dedit archiepiscopatum sicut eum archiepiscopus Lanfrancus usque in finem suae vitae tenuit; et nunc aufert Ecclesiae et mihi quod illa et idem archiepiscopus quiete tandiu tenuit, et ipse mihi dedit. Certus autem sum quia archiepiscopatus iste nulli dabitur post me, nisi quemadmodum ego illum in die obitus mei tenebo; nec si alius rex, me vivente, venerit, concedet mihi nisi quod tenentem inveniet. Si ergo ita tenuero archiepiscopatum imminutum usque ad obitum meum, hoc modo perdet Ecclesia per me. Si quis enim alius, ad quem Ecclesiae custodia non pertineret, hanc faceret ei violentiam, aut factam patienter sustineret, palam esset quia in futuro nihil dici posset cur res Ecclesiae ad eam redire non deberent. Nunc autem cum et ipse rex advocatus ejus sit, et ego custos, quid dicetur in futuro nisi quia rex fecit, et archiepiscopus sustinendo confirmavit, ratum esse debet. Melius igitur mihi est coram Deo, ut possessionem terrarum Ecclesiae non sic teneam, et officium episcopi, more apostolorum, pauper faciam in testimonium illatae violentiae, quam ut illam imminutam tenendo, irrestaurabilem faciam ejus imminutionem. Est et aliud quod similiter cogito. Si metropolitanus sacratus episcopus per totum primum unnum nec papam viventem, nec pallium requiro, cum possum, juste ab ipso honore removendus cum. Quod si hoc facere nequeo sine amissione archiepiscopatus, melius mihi est ut mihi violenter auferatur, imo melius est ut ego

archiepiscopatum rejiciam quam apostolicum abnegem. Sic cogito, et sic facere volo, si mihi non scribitis cur hoc facere non debeam. Omnipotens Dominus sic sanctitatem vestram in hac vita sua gratia custodiat, ut ei in futura aeternam felicitatem tribuat. Amen.

EPISTOLA XXV . ANSELMI AD BOSONEM.

Quod non scribat frequentius ob iram dissidiumque regium. Et de libro, Cur Deus homo, *quem Eadmerus transcribebat.*

Quod pater filio, frater fratri, dilectissimus dilectissimo, A. B. quod ille, illi.

Gratias ago, sicut ego tibi, pro epistolari visitatione tua, pro consilio, pro consolatione, pro desiderio tuo. Et quoniam, quamvis super omnia mundana me desideres, plus tamen pendet cor tuum ad consolationem tribulationis meae, quam novisti, quam ad satietatem desiderii tui, quod majus inter ea quae mundi sunt habes. Novit dulcedo dilectionis tuae erga me dulcedinem dilectionis meae erga te, et novit affectus meus erga te affectum tuum erga me. Alter alterius intima ex intimis suis cognoscit, quia vera sinceritas veram sinceritatem intelligit, et experimentum certum in neutro dubitationem oriri permittit. Vera itaque et ex Deo nostra dilectio mutua habuit principium; et in hoc non precor ut in quo hactenus perseveravit, perseveret, sed in spe Dei fiducialiter pronuntio quia perseverabit. Litteras non tibi saepe secundum desiderium meum et tuum mittere possum, quia etiamsi

opportunitatem haberem, scandalum tamen aliqua occasione a rege, qui omnia quae a me sunt et quae me diligunt odit, et adversus Ecclesiam nostram aut adversus latorem, si quo modo cognosceretur, timerem. Librum quem edidi, cujus titulus est : *Cur Deus homo,* domnus Eadmerus , charissimus filius meus, et baculus senectutis meae, monachus Becci, cui tantum debent amici mei quantum me diligunt, libenter Ecclesiae Beccensi, ut filius ejus, transcribit. Quoniam domno abbati Ecclesiae nostrae propter causam praedictam scribere nolo, tibi commendo memoriam mei, ut in cordibus eorum, quos sicut animam meam dilexi, ipsis testibus, et dum vivam, Deo dante, diligam, frequens tua commonitio veterascere et evanescere eam non permittat. Audivi quia domnus Folcheradus, consobrinus noster, est vobiscum. Si est, precor vos omnes pro eo, sicuti pro carne mea. Nam ipse exsul est propter Deum, et olim factus est monachus Becci. Saluta eum, et esto illi pro me. Omnipotens Deus animam et corpus tuum benedicat. Saluta quos scis et vis.

EPISTOLA XXVI . AD WILLELMUM ABBATEM ET FRATRES BECCENSES.

Ut pro eo indesinenter orent, et in sancto proposito constanter perseverent, maxime vero extra claustra non vagentur. Ut eleemosynam minui non permittat.

Suis dilectissimis et desideratissimis domno abbati WILLELMO, et aliis servis Dei in Beccensi coenobio commanentibus, frater ANSELMUS, professione

et corde Beccensis, Dei dispositione vocatus archiepiscopus Dorobernensis, praesentis vitae continuam prosperitatem, et futurae aeternam felicitatem.

Quoniam nec novum, nec inseparatum [*f.,* insperatum], nec extraneum est quod fraterna vestra charitas , pia compassione succensa, suis orationibus assidue mihi in assiduis necessitatibus divinum implorat auxilium, nec ignoratis quia cor meum vestra dilectio totum implet et possidet, non puto opus esse gratiarum actiones me vobis in epistola depingere, quas non ignoratis me semper in cordis scrinio servare. Ubi enim tanta cordis est et animarum unitas, plus ipsae sibi invicem sunt notae conscientiae quam lingua aut stylus possit exprimere. Et ut in hoc, quod assidue facitis, perseveretis, majores preces non habeo, quam ut repetam quod scitis, ut videlicet animam meam, ubicunque corpus sit, vestram semper esse, et ad vos, quantum in ipsa est, desiderare, et absentia vestra tabescere nullatenus dubitetis. Nisi enim ejus tristitiam divinae dispositionis consideratio temperaret, nullatenus immensitatem ejus sine gravissima laesione toleraret. Nihil igitur me modo magis dilectioni vestrae delectat scribere, quam **376** ut in sancto proposito, ad quod convenistis, studeatis proficere, et ex nulla parte clam vel palam antiqui hostis insidias in vos permittatis irrumpere. Quod ut efficacius efficere valeatis, invicem vos charitative custodite, monete, corrigite, et haec ab invicem velut magna beneficia vobis impendi benigne sustinete. Praelati subditos studiosos benignitate sustineant, tepidos exhortatione accendant; si qui sunt pervicaces, disciplina coerceant. Subditi, praelatis non ficta obedientia, et maxime abbati, subjacete; et vos non graves, sed faciles ad portandum

exhibete; valde namque subditi coram Deo peccant, si praelatos non metuunt suis moribus gravare, qui eos solo Dei timore et fraterna charitate suscepere portare. Occasiones equitandi claustrales, nisi cogente obedientia, non solum non exquirant, sed nec occurrentes suscipiant. Qui enim claustra monasterii libenter excunt, non solum sibi, sed et aliis suo exemplo noxii sunt, quoniam aut murmurationis aut vagationis illis auctores sunt. Nec domnus abbas ullatenus hoc concedere debet, si rigorem ordinis vult servare. Hospites cum gaudio suscipientes, illis secundum facultatem vestram cum omni hilaritate ministrate. Constitutionem nostram et vestram de eleemosyna pauperum nullo modo minui permittatis, sed potius, si poteritis intelligere qualiter eam rationabiliter augere possitis, augete. Omnipotens Deus voluntates et actiones vestras dirigat in beneplacito suo, et faciat vos ab invicem videri in regno suo. Amen.

EPISTOLA XXVII. AD BALDRICUM PRIOREM.

Laudat ob bonam famam, et serio prohibet ne subditi facta praelatorum dijudicent.

ANSELMUS vocatus archiepiscopus, dilectissimo fratri, domno priori BALDRICO, salutem et benedictionem Dei, et suam, si quid valet.

Gratias ago Deo, a quo est omne bonum et dulcissimae dilectioni vestrae pro omnibus bonis quae de ea mihi

referuntur ab omnibus qui a vobis ad me veniunt. Et quamvis vestra bona voluntas bonumque propositum jam longo usui probatum confirmatumque sit, ut frequenti non egeat monitione, dulce tamen mihi est ut vos rogem toto corde ut perseveretis in Deo grata intentione, quatenus in futura vita gaudeatis de beata retributione. Et cum de omnibus vestris bonis studiis et operibus gaudeam, in illo maxime cor meum exsultat quod domno abbati benigna obedientia concordatis, et laboriosum ejus onus et onerosum laborem vestra consolatione levigatis, nec pati potestis ut aliquis ejus ordinationibus aut detrahat aut resistat. Certum enim est, et experimento saepe cognitum, quia monasterium in quo subditi facta praelati dijudicant, benigna Dei dispositione non disponitur, sed per abrupta vitiorum dissolvitur, et discordia scindente destruitur. Ubi vero praelati facta et ordinationes, velut a Deo inspiratae, ab omnibus communiter suscipiuntur, ibi Deus inhabitat, et quasi propriam domum, cujus tota cura super ipsum jactatur, disponit et ordinat. Hoc ergo super omnia precor et moneo ut servetis, et in hoc studio instanter perseveretis. Omnipotens Deus dirigat omnes actiones vestras, frater charissime, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

EPISTOLA XXVIII . AD ROBERTUM FLANDRIAE COMITEM.

Hortatur ad justitiam magis magisque sectandam.

Dilectissimo domino reverendo Flandriae principi ROBERTO, ANSELMUS, servus servorum Christi Jesu, vocatus archiepiscopus Cantuariae, fideles orationes.

Quoniam chara mihi est excellentiae vestrae benignitas, quam mihi, quoties vobiscum locutus sum, dignati estis ostendere, debeo vel litteris aliquando significare ejus memoriam apud me nunquam veterascere, et me Deum orare quatenus ipse vos sua benignitate dignetur ab omni malo defendere. Et quoniam mihi injunctum est ut in hujus vitae exsilio, quos valeo, ad coelestem patriam non desinam exhortari, hoc certe servitium illis non debeo subtrahere, quibus scio me dilectionis debito copulari. Suggerit igitur vestrae sublimitati non corripiendo, sed de bonis ad meliora invitando, mea humilitas, ut assidue cogitet illud quod sacra jubet auctoritas : *Diligite justitiam, qui judicatis terram* **(Sap. I, 5).** Quanto enim illorum quibus terra commissa est ad regendum; praeeminet potentia, tanto magis, si a justitia deviant, non regunt, nec adjuvant humanum genus, sed perturbant et gravant sua violentia. Talibus utique terribilis illa comminatio intenditur: *Potentes potenter tormenta patientur; et fortioribus fortior instat cruciatus* **(Sap. V, 7, 9).** Semper igitur in actibus suis servet justitiam vestra prudentia, et in offensionibus quae sibi fiunt, indulcet eam sua misericordia. Nam et hoc justitia imperat, ut qui sibi vult misereri, misericordiam aliis impendat. Breviter monui quod cor meum assidue desiderat, sed omnipotentem Deum precor ut sic ipse vobis terrenum principatum gubernare tribuat, quatenus in futura vita regnum coeleste vobis retribuat. Salutant vos, ut fideles servi Dominum, fratres nostrae Ecclesiae, pro quorum necessitatibus in Flandriam

latores praesentium mittimus ; qui mecum vestram pietatem flagitant ut sicut ipsi in his quae Deo in se placent, si qua sunt, vos fratres esse desiderant, sic vos hoc dignari, cum opus et opportunum erit, in vestra tuitione percipiant. Salutamus pariter ego et illi uxorem vestram, ut dominam charissimam, quam sic adjutricem nostram vobiscum esse, cum res exiget, deposcimus, sicut eam vobiscum in dilectione et orationibus complectimur. Valete.

EPISTOLA XXIX . AD HENRICUM PRIOREM, ANTONIUM SUBPRIOREM, ERNULFUM, OSBERNUM ET ALIOS MONACHOS CANTUARIENSES.

Ut Cantuarienses coenobitae sic obediant priori et subpriori ac sibi.

ANSELMUS, gratia Dei archiepiscopus, dominis et filiis suis charissimis, domno priori HENRICO, et subpriori ANTONIO, domno ERNULFO, et domno OSBERNO, et aliis servis Dei in Christi Ecclesia commanentibus, semper delectari in Domino, et ejus perpetua benedictione tueri.

Audio inter vos esse scandala et murmurationes, quia quidam sunt inter vos qui se domno priori subjicere contemnunt, et ea quae licentia ejus facienda sunt, illo omnino nesciente et sine ejus licentia passim faciunt; et cum ab eo, vel ab aliquo reprehenduntur **377** in capitulo, ejus se judicio regulari humilitate subdere despiciunt: et insuper hoc se totum nostra

auctoritate facere affirmant. Unde quasi diversae sectae et partium dissidentium lites inter vos nascuntur et discordiae. Qua de re vestram dilectionem scire volo quia nunquam in nostra voluntate fuit nec, Deo protegente, erit, ut in Ecclesia mihi ad regendum commissa tanta et tam reprobanda inordinatio oriatur, aut si aliquo casu oritur, nutriatur aut permittatur. Praecipio igitur ut omnes, sicut mihi, nostra servata praelatione, et in petendis licentiis et in exsequendis mandatis, et in judicandis negligentiis, domno priori, et post illum subpriori subditi sitis humili benignitate et benigna mansuetudine. Et quoniam praefatae murmurationis causam et pondus super domnum Willelmum quidam maxime imponunt; de illo nominatio dico quia nunquam volui, nec volo, ut aliquo modo priori inobedienter resistat; nec de illo aliud statuo quam quod, vobis audientibus, in capitulo de illo precatus sum, et consului, tum propter memoriam domini et Patris nostri archiepiscopi Lanfranci, tum propter infirmitatem ejus. Quod tamen non sine discretione et humili obedientia fieri ullatenus concedo. *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras* **(Philip. IV, 7).** Amen.

EPISTOLA XXX. AD MATHILDAM ABBATISSAM ET MONIALES WINTONIENSES.

Obsecrat preces suo inchoatas nomine perpetuari, et moniales pietati assidue vacare.

ANSELMUS, vocatus archiepiscopus Cantuariae, sororibus et filiabus charissimis, reverendae abbatissae Wintoniensi MATHILDAE, et aliis ancillis De sub illa commanentibus, electo sponso Christo semper placere.

Gratias ago sanctitati vestrae quia, sicut audio, pro me assidue orare non cessat. Et precor supplex ut quod charitative incoepit, perseveranter faciat, donec appareat quid divina dispositio de me intendat, quatenus vestris orationibus exoratus Deus mihi in tribulationibus meis sit clementior, et vobis pro impensa charitate sit benignior. Praeterea et officium a me injunctum exigit, et dilectio quam in vobis erga me sentio, me invitat, et charitas qua vos diligo mihi persuadet, ut secundum vestrum studium ac propositum mea exhortetur commonitio semper ad meliora proficere, et nunquam ab his ad quae, gratia Dei adjuvante, attingitis, negligentia vestra gravante deficere. Quod utique efficaciter implere poteritis, si illud considerantes quod scriptum est: *Qui modica despicit, paulatim decidit* **(Eccli. XIX, 1)** . Et : *Qui timet Deum, nihil negligit* **(Eccli. VII, 19),** etiam minima ordinis vestri non neglexeritis. Tanto enim vigilantius a minimis excessibus debemus cavere, quanto eos frequentius cognoscimus se nobis ingerere, et quanto callidius deceptor noster nullam in eis esse culpam, aut contemnendam, si qua est, nititur nobis persuadere. Quod non solum in exterioribus operibus, sed etiam in intimis cogitationibus debetis servare, nec minus Deo displicere indecentem cogitationem quam hominibus reprobandam actionem debetis judicare. Denique sicut sponsae carnalium vitiorum exteriorem foeditatem exsecrantes, per pulchritudinem carnis et vestium aptitudinem student placere; ita sponsae spirituales Regis regum Filii Dei

foeditatem interiorem detestantes, per mentis pulchritudinem et ornamenta virtutum ut illi placeant semper debent studere. Pulchritudo certe mentis et nutrimentum virtutum est, cordis munditia, cui visio Dei spiritualiter promittitur; ad quam munditiam nullus nisi per magnam cordis custodiam perducitur. Unde scriptum est: *Omni custodia serva cor tuum* **(Prov. IV, 23).** Ad quam custodiam, post gratiam Dei, quantum ad humanum studium pertinet, hoc est singulare et efficacius consilium, ut semper cor vestrum et ubique, quandiu vigilatis, aut lectione, aut oratione, aut psalmis, aut aliqua utili cogitatione sive intentione sit occupatum. Vos, domina abbatissa, precor ut matrem, moneo ut sororem, hortor ut amicam, praecipio ut filiae charissimae, quatenns R. episcopo Osmundo omni benignitate sanctam et Deo placitam obedientiam, sicut decet, exhibeatis, et ejus dilectionem et familiarem amicitiam atque consilium et auxilium in corporalibus et in spiritualibus habere, et illi quod ex vobis est exhibere in Christi charitate studeatis. Omnipotens Deus, Sponsus vester, sit semper custos vester. Amen.

EPISTOLA XXXI . AD LANFRIDUM ABBATEM COENOBII S. WLMARI.

Ut gregem non deserat ob varias molestias

ANSELMUS, vocatus archiepiscopus, fratri charissimo, domno abbati coenobii Sancti Wlmari LANFRIDO, divino regi consilio et adjuvari auxilio.

De petitione vestra, qua mihi infatigabiliter instatis quatenus ab episcopo vestro consilio et precibus meis tentem impetrare vobis licentiam abbatiam, in qua vos divina constituit dispositio, deserendi, saepe multumque mecum cogitavi, et cum aliis in quibus consilium spirituale speravi, sum locutus; et intellexi, quamvis propter compassionem qua tristitiae fraternitatis vestrae compatior valde vobis congauderem si Dei miseratione, consilio et permissione archiepiscopi et episcopi vestri, desiderium vestrum assequeremini; periculosum tamen mihi esse tam inusitatam rem petere et consulere. Timeo enim me non parum peccare, si mea instantia locus vobis commissus omni rectore destituitur atque et rerum et morum et ordinis, majori, imo omnimoda vastatione destruitur. Si enim ad aliud ibi vestra non prodesset praesentia, nisi quia non ibi regnare potest nec libere exerceri sine aliqua reprehensione malitia, ita nec male ibi est, sicuti esset, si esset sine rectore, aut in ordinis aut in rerum destructione, non tamen possetis conqueri quasi ibi inutiliter viveretis, ubi tantum malum et corporale et spirituale, ne locum praedictum destrueret, comprimeretis. Quanto magis tunc se vestra consolari potest prudentia, cum sint aliqui sub illa qui ejus consilio et gubernatione uti desiderant, et voluntaria subjectione illi obediunt. Est et aliud unde in tribulatione vestra debetis gaudere, quia non est dubium vos illam bono zelo Dei habere, et timore Dei cujus consideratione illam fugere non audetis, sustinere. Certe ubi tot rationes sunt consolationis et spiritualis laetitiae, non magnum pondus habere debet amaritudo tristitiae. Quippe non solum considerat Deus, quantum studium alicujus in aliis proficiat, sed etiam, aut forsitan magis, quantum laborem in intentione proficiendi, et dolorem quia non proficit secundum

intentionem, sustineat. Nostrum enim est laborare et seminare, Dei vero est incrementum et effectum dare. Quod nostrum est, quamvis eo adjuvante sit, nobis retribuit; quod autem suum est, sibi attribuit. Quod si haec mens vestra non vult aut non valet suscipere, **378** non prohibeo, si per episcopum vestrum, et per eos ad quos res haec pertinet, Deo disponente, ad desiderium vestrum ordinate potestis pertingere. Valete.

EPISTOLA XXXII . AD GERVINUM AMBIANENSEM EPISCOPUM.

Non posse monachum in abbatem ordinari, qui clam inscio praelato abscesserit.

ANSELMUS, vocatus archiepiscopus Cantuariae, re verendo episcopo Ambianorum GERVINO, salutem.

Frater ille Northmannus Ecclesiae nostrae professus quem abbatem electum esse mihi mandastis, et cujus ordinationi me assensum praebere suadetis, me et fratribus Ecclesiae nostrae ignorantibus trans mare abiit, ut nec iter ejus nec causam itineris ejus agnosceremus. Quapropter nec vos, ut litteris vestris intimatis, eum sine nostro assensu ordinare debetis, nec ego in hoc assensum praebeo, nec praebere debeo, in quantum intelligere queo. Si ipse venerit ad me, et ad Ecclesiam suam, sicuti monachus qui taliter de Ecclesia sua discessit, venire debet, et postea aliquis de eo mihi de praefata

re locutus fuerit, respondebo inde secundum quod respondere intelligam. Valete.

EPISTOLA XXXIII . AD RICARDUM MONACHUM.

Monachum professum non teneri voto peregrinationis a se facto in saeculo.

ANSELMUS, gratia Dei archiepiscopus, fratri et filio RICARDO monacho salutem, et benedictionem.

Audivi, Frater mi, quia antequam monachus fieres, in aegritudine vovisti te iturum ad S. Aegidium; et idcirco modo timidus et nimis sollicitus es de voto illo solvendo, ita ut quiescere non possit cor tuum, nisi ad S. Aegidium iveris. De qua re non debes tantum credere tibi quantum abbati tuo, cujus consilio et ordinationi animam tuam commisisti, et aliis qui melius te sciunt quid magis placeat Deo et magis prosit animae tuae. Quapropter consulo tibi et praecipio ut, omnino dimittens intentionem praefati itineris et sollicitudinem voti illius, in proposito quod assumpsisti quietus et immobilis permaneas, et quiete ad hoc quod proposuisti, id est ad obedientiam et poenitentiam pro peccatis tuis, et ad alios bonos mores studeas. Certus enim esse debes quia cum teipsum Deo totum vovisti et reddidisti per monachicam professionem, solvisti omnia vota minora quarumlibet actionum quae prius sine jurejurando et fidei alligatione promisisti. Esto ergo quietus et securus, et ego te

ea auctoritate quam per gratiam Dei habeo super te, ab illo voto absolvo. Vale.

EPISTOLA XXXIV . AD WILLELMUM MONACHUM CESTRENSEM.

Profitetur se non esse tantum virtute quantum carminibus eum monachus depinxerat.

ANSELMUS gratia Dei archiepiscopus, fratri et filio charissimo, monacho Cestrensi Willelmo, salutem.

Quamvis me talem nesciam qualem me suis carminibus tua praedicat benevolentia, non tamen ingratus esse debeo quoniam hoc facit dilectionis abundantia. Saepe enim solet dilector dilecti vitia aut non sentire, aut levia judicare; bona vero, quae non sunt, epinari; et quae sunt, exaggerare. Quod quando sola facit charitas nec error est suscipiendus propter affectum moris, nec amor est contemnendus propter culpam erroris. Sed sic debet amor nutriri ut error corrigatur, sic error debet expelli ut amor retineatur. Gratias tibi ago quia me talem diligis esse qualem me praedicas; et hortor ne me talem opineris, sed potius ores ut talem Deus faciat qualem esse me diligis et existimas. Cum enim scriptum sit : *Ne laudes hominem in vita sua* **(Eccli. XI, 30);** *et a.ibi : Orate pro invicem ut salvemini* **(Jac. V, 16);** non debet homo hominem in hac vita magno conatu laudare, sed magis ut laudabilis fiat pio affectu orare : laudem vero Deo committere, cui proprium est merita judicare. Non dico bonorum virorum virtutes ad

exemplum bene vivendi aliis non esse monstrandas, sed eisdem ipsis non esse exaggerandas. Quoniam autem opus charitatis non debet esse sine retributione, pro carminibus prosam, pro laude reddo exhortationem. Certe, fili mi, cum in me amas et laudas bona quae in me opinaris esse, ipso tuo opere testaris quia amabilis est et laudabilis omnis qui studet bonus esse. Cum ergo omnes velimus non dico laudari, sed amabiles et laudabiles esse, nihil tantum studere debemus quam ut boni in conspectu ejus qui non fallitur, judicemur esse. Bonus autem quisque fidelis ab eo judicatur, qui in suo ordine perfectionem attingere conatur. Nam etsi omnes ad perfectionis summam pariter pervenire non possumus, non tamen erimus extra numerum bonorum, sicut scriptum est : *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur* **(Psal. CXXXVIII, 16),** si ad eam perfectionem incessanter et fortiter conari velimus. Conentur igitur laici in suo ordine, clerici in suo, monachi in suo, viriliter semper proficere, ut illi qui superioris propositi sunt eos qui inferioris sunt superent humilitate , in qua quantum homo magis proficit, tanto magis sublimatur et aliis virtutibus excellit. Quapropter, fili charissime, semper memor esto cujus propositi gradum ascenderis, nec unquam tibi vitae tuae sanctitas sufficiat, nisi ea illos qui inferiorum graduum sunt, transcenderis. Sicut enim illi qui inferioris propositi sunt, laudabiliter ad virtutes superioris ascendunt, ita illi qui majora sectari proposuerunt, vituperabiles sunt si ad aequalitatem minora eligentium descendunt. Quoniam ergo monachum te habitu profiteris, hortor, precor, consulo ut semper in conspectu Dei intus studeas esse quod foris in conspectu hominum videris. Non autem hic loquor quasi hoc non facias,

sed ut semper ad meliora paterna exhortatione succensus proficias. Vale.

379 EPISTOLA XXXV . AD WALTERUM CARDINALEM.

Se cum illo de Ecclesiae necessitatibus non posse sine ejus assensu et aliorum episcoporum consilio agere aut eis providere, eo maxime tempore quo hostes in Angliam irruerent.

Domino et reverendo Romanae Ecclesiae legato et cardinali episcopo WALTERO, ANSELMUS, vocatus archiepiscopus Cantuariae, fideles orationes. et fidele servitium.

Quod mandat mihi prudens vestra sollicitudo, ut aliquo in loco conveniamus de causis Ecclesiarum Dei fraterno ac charitativo ad invicem consilio acturi et quae corrigenda sunt correcturi, utique secundum intentionem vestram valde laudabile est, et secundum quod expedit, valde utile esset, si congruo tempore fieri posset. Sed vestra prudentia non ignorat quia nos duo nihil efficeremus , nisi regi suggestum esset, ut ejus assensu et auxilio ad affectum perduceretur quod disponeremus. Est et aliud, quia ego a Cantuarberia elongari nullatenus audeo, quoniam quotidie exspectamus ut hostes de ultra mare in Angliam per illos portus, qui Cantuarberiae vicini sunt, irruant. Propter quod dominus meus rex ore suo mihi praecepit, antequam ab illo apud Notingeham discederem, et postquam Cantuarberiam redii, mihi mandavit

per litteras proprio sigillo signatas, ut Cantuarberiam custodiam, et semper paratus sim ut quacunque hora nuntium eorum qui littora maris ob hoc ipsum custodiunt, audiero, undique convocari jubeam equites et pedites, qui accurrentes violentiae hostium obsistant. Et idcirco de Cantuaria exire non audeo nisi in illam partem ex qua hostium exspectamus adventum. Precor igitur sanctitatis vestrae discretionem quatenus aequo et pacato animo suscipiat has nostras rationabiles, et quae infirmarr nequeunt, quoniam verae sunt, excusationes. Sciat pro certo vestra reverentia quia eumdem animum quem habetis, ut corrigantur quae corrigenda sunt, habeo. Sed exspecto reditum domini mei regis, et episcoporum et principum qui cum eo sunt, quatenus illi quae agenda sunt, opportune et rationabiliter suggeramus. Et sic, Deo adjuvante, ejus assensu et auxilio efficacius expleamus quod desideramus. Si tamen vobis placet ut per dilectissimum fratrem nostrum reverendum abbatem II. mihi consilium vestrum mandetis, de quibus rebus et quomodo cum rege loqui debeam, hoc libenter suscipio. Sed et si regi monendo consulere aliquid de hujusmodi rebus per eumdem abbatem et reverendum episcopum Wintoniae prudentiae vestrae placuerit, laudo et postulo. Vale.

EPISTOLA XXXVI . AD EUMDEM.

Calumnias impositas excutit, et se nec schismati favere, nec rebus Ecclesiae tunc posse consulere significat.

Domino et reverendo episcopo Albanensi et cardinali WALTERO, Cantuariensis divina dispositione archiepiscopus ANSELMUS, orationum fidelitatem cum servitio.

Litteris a vestra sanctitate mihi directis, si liceret, plenius quam epistolaris brevitas patiatur, responderem. Pro temporis tamen opportunitate ad summam sensus illarum breviter, quod ad me attinet, respondeo. Dicitis quia oportuerat nos loqui simul de vinea Domini, quae in hoc regno destruitur, ne penitus confunderetur, quoadusque sanctus Petrus apostolus, per vicarium suum Urbanum summum pontificem visitaret eam. Hoc utique ego ipse voluissem, si congruo tempore factum esset, id est quando dominus meus rex, et episcopi, et principes hujus regni vobis praesentes aut propinqui erant. Postquam vero licentiam accepistis a rege redeundi Romam, et rex in expeditionem suam cum archiepiscopo Eboracensi et quibusdam aliis episcopis et principibus suis ivit, et vos ab illis, et ego a vobis discessimus, veluti non nos in hac terra amplius invicem visuri; et postquam rex mihi praecepit ut illam partem regni sui in qua maxime irruptionem hostium quotidie timemus, diligenter custodirem, et quotidie paratus essem hostibus resistere si irruerent, sicut in periculo vastandi vel perdendi terram; cum nullo modo auderem me elongare ab urbe in qua eram, nisi versus hostes qui timebantur, tunc monitus ut vobis occurrerem, quatenus colloqueremur de his quae corrigenda sunt in hoc regno, rationabilem et susceptibilem redditi causam, quia propter praedictum periculum et praeceptum regis venire non poteram, et nihil efficeremus nos duo, absente rege et aliis quorum assensu et consilio et operatione ad effectum duci posset colloquium

nostrum. Ego enim ipse video quae corrigenda sunt, et habeo voluntatem, quam nullus homo mihi potest augere, corrigendi, Deo adjuvante, per assensum et auxilium domini mei regis et aliorum ad quos pertinet, cum locus et opportunitas erit. Quod autem conquerimini vos moratos esse, velut infructuosam arborem et peregrinum non habentem adjutorium aut consilium, de aliis vos scitis, de me autem ego scio quia non prohibui vos fructificare, neque meum auxilium aut consilium vobis pro ratione et possibilitate mea denegavi tempore fructificandi. Quod vero quaeritis a me cur et qua justitia episcopi alii me abnegantes, a me discesserunt, nec sunt reversi dignam agentes poenitentiam, hoc potius ab illis quaerendum erat quam a me. Ego enim nescio me fecisse cur hoc facere deberent. Reversi tamen hactenus sunt, ut illam obedientiam quam Cantuariensi sedi promiserant, se mihi servaturos faterentur. Dicitis quosdam illorum vobis dixisse ideo non offendisse in me quia permisi me a catholica Ecclesia transferri ad schismaticos, et ab illis consecrari, si fieri, sicut additis, potest et a schismatico rege investituram accepisse, et illi fidelitatem et hominium fecisse, quos omnes sciebam esse schismaticos et divisos ab Ecclesia Christi, et a capite meo Urbano pontifice, quem ipsi, me audiente, abnegabant. Certe nesciebam nec scio eos schismaticos, aut sic divisos ab Ecclesia fuisse, ut dicunt. Et si aliquis eorum qui hoc vobis dicunt me praesente hoc diceret, ostenderem rationabiliter non ita esse. Illi enim non abnegabant canonicum Romanum pontificem, quicunque esset, nec Urbanum negabant esse pontificem; sed dubitabant propter illam quae modo nata est dissensionem, et propter dubitationem illum suscipere quasi certum differebant; nec ullum judicium eos ab Ecclesia segregaverat, et omnino

obedientiam Romanae sedis tenere se fatebantur, et sub professione obedientiae Romani pontificis me consecrarunt. Denique dominus papa sciebat me esse consecratum, et a quibus, et cui regi feceram quod feci. Et tamen

pallium quod archiepiscopus Cantuariae solet habere, mihi per vestram charitatem, non ut schismatico, sed ut accepto, non ut reprobans, sed ut approbans misit, et sic quod de me factum erat confirmavit. Ipse hujus confirmationis auctor, et dominus Gualterus **380** episcopus Albanensis et cardinalis haec eadem sciens, minister ejus et exsecutor. Si vobis haec calumnia attendenda videtur, cur eam ante pallii concessionem mihi tacuistis; si negligenda putatur, vos judicate quam diligenter sit a vobis inculcanda. Plura possem adhuc dicere ad infirmandum verbum malitiae eorum qui hoc quod dicitis vobis obtendunt ad excusandas excusationes in peccatis, sed sapientiam vestram scio non indigere apertae rei multiplici ostensione. Videat igitur prudens simplicitas et simplex prudentia vestra qualiter super haec quae dixi suscipere et exaggerare debeat confictas calumnias, et calumniosas confictiones adversum me ab illis qui fecerunt contra me pro excusatione sua, no videamini velle infirmare quod auctoritate domini papae et vestra exsecutione non ignoranter est confirmatum. Nempe non sic accepi (teste Angliae regno) nomen domini Urbani papae in vanum, ut hoc me ab illo vel a fidelibus ejus meruisse cognoscam. Dicitis vos causam meam, teste Deo, defendisse, quantum potuistis, et ea occasione negotium propter quod venistis, impeditum usque nunc. Pro bona quidem voluntate defensionis gratias ago, impedimentum

autem hac occasione factum vobis utique nescio. Et si rei medulla diligenter consideratur sicut potest, et prudentia vestra me defendit quantum potest, certus sum quia conscientia vestra in his quae supra dicta sunt accusare me non potest. Quod, sicut dicit, nec mecum nec cum aliis loqui sicut voluit potuit vestra reverentia carens obedientia Romanae Ecclesiae, sciat ipsa cur non potuit. Ego autem scio me diu et multum desiderasse et exspectasse loqui vobiscum, antequam possem; et cumtandem potui, non tantum potuisse quantum volui. Rogatis me ut fratres nostros Cantuariensis Ecclesiae quiete ac pacifice possidere dimittam res suas. Ad quod respondeo quia nullus magis desiderat quietem ac pacem illorum quam ego, nec magis sollicitus est pro utilitate ejusdem Ecclesiae; et idcirco voluntas mea est ut res ejus, Deo annuente, disponam ad utilitatem praesentem et futuram, prout melius sciam et potero. Valeat beatitudo vestra, et dignetur Deum, ut me et omnes actiones meas dirigat orare.

EPISTOLA XXXVII . AD URBANUM PAPAM.

Cur hactenus papam non adierit, quidque facto sit opus ab eodem moneri supplicat.

Reverendo ac reverenter suscipiendo catholicae Ecclesiae summo pontifici URBANO, ANSELMUS, non suis meritis, sed nutu divino, Cantuariae vocatus metropolitanus episcopus, debitam subjectionem cum servitii devotione.

Gratias ago sanctae munificentiae vestrae quod dignos apostolicae sedis legatos ad nos direxistis; quod pallii beneficium, sola gratiae vestrae largitate, mihi porrigi praecepistis. Nostri quippe, fateor, ordinis et ofticii intererat et praesentiam vestram ex more visitare, et eam ut fieri decet condigna reverentia honorare. Et id quidem ex quo gradum episcopalem suscepi summo desiderio facere concupivi, tum quia ratio id fieri postulabat, tum quia consilio et alloquio vestro frui desiderabam, ut me de rebus necessariis tam publicis quam privatis interrogantem vestra prudentia doceret, et auctoritas roboraret. Quod me non exegisse rogo ne aegre sancta eminentia vestra nec meae negligentiae aut arrogantiae ascribat. Testis enim mihi est conscientia mea quia postquam in cacumine sanctae Ecclesiae sublimatos vos esse cognovi, gavisus sum, et reverenter dilexi et diligo, et quotidianum provectum vestrum fieri optavi et opto, et factum audiens exsulto. Sed quia bellis undique quatimur, hostiles impetus indesinenter et insidias adversantium metuimus, dominus noster rex extra regnum me procedere hactenus non permisit, nec adhuc procedere posse ullatenus assensit. Praeterea si nullae aliae causae concurrerent quae me faciem vestram hoc tempore quod valde moleste fero, videre prohiberent, sufficit quod aetas, quod aegritude, quod debilitas corporis mei impatientem me agunt et prolixi itineris et immensae viarum asperitatis. Sed inter haec, quo labore, quaque anxietate gravatus, iter arripere conarer, si omnipotens Deus et in regno Anglorum bella sedaret, et in regnis et regnorum provinciis, per quas ad vos est eundum, illam pacem tribueret, ut quemadmodum oporteret et expediret, iter ipsum expiere liceret. Sed quandiu id fieri non potest, tandiu impossibilitas me retinet. Divina clementia juvante, ubicunque fuero , vobis

obedire ac servire, et celsitudinem vestram honorare paratus ero. Et quia, sicut desidero, quotidianas miseriae meae querelas non licet mihi coronam posito effundere in conspectu vestro, sanctas serenitatis vestrae aures paucis questibus et scriptis inquietare praesumo. Sancte Pater, doleo me esse quod sum, doleo me non esse quod fui. Doleo me esse episcopum, quia peccatis meis facientibus, non ago episcopi officium. In loco humili aliquid agere videbar, in sublimi positus praegrandi onere pressus nec mihi fructum facio, nec utilis alicui existo. Oneri quidem succumbo, quia virium, virtutum, industriae, scientiae, tanto officio competentium inopiam, plus quam credibile videatur, patior. Curam importabilem cupio fugere, pondus relinquere : Deum e contrario timeo offendere. Timor Dei illud me suscipere compulit, timor idem onus idem me retinere compellit. Si inter haec voluntatem Dei agnosecrem, procul dubio voluntatem meam et actus meos pro possibilitate ad illam conferrem. Nunc quia voluntas Dei me latet, et quid agam nescio, errabundus suspiro, et quem rei finem imponere debeam ignoro. Postulo itaque sanctam clementiam et clementem sanctitatem vestram ut propter Deum, propter eam charitatem qua Ecclesiam Dei contenditis adjuvare, penuriam consilii nostri vestrarum manu sanctarum orationum pascatis, ne cogitationum talium fluctibus agitatus, aut omnino ruam, aut nihil apprehendam. Rogo etiam, et submissis mentis gemitibus humiliter supplico celsam et piam paternitatem vestram, ut in naufragio positus, si quando procellis irruentibus adjutorii vestri indigens ad sinum matris Ecclesiae confugero, propter eum qui sanguinem suum dedit pro nobis, pium et promptum adjutorium et solamen invenia in vobis. Pro domino Belvacensi Fulcone supplex oro clementiam

vestram, prout vestra judicabit prudentia. In munusculo nostro magnitudo vestra, rogo, non solam penset quantitatem, sed et bonam qua missum est voluntatem. Omnipotens Deus diu nobis paternitatem vestram in gratia sua et pace custodiat. Amen.

381 EPISTOLA XXXVIII . AD LAMBERTUM ABBATEM.

Ut profugum monachum recipiat poenitentem.

ANSELMUS, Dei dispositione vocatus archiepiscopus Cantuariae, domino et fratri in Deo delicto, abbati LAMBERTO, misericordiam impendendo temporalem, misericordiam mereri sempiternam.

Frater iste comedens de ligno scientiae boni et mali experimento didicit quanta sit differentia inter delicias paradisi claustralis et exsilium vitae saecularis. Poenitens igitur et dolens, sicut lacrymae testantur, confitetur se nimis peccasse, et promittens se deinceps mores suos correcturum, et secundum vestram dispositionem obedienter victurum, orat, quanto affectu potest, ut intra ovile de quo sponte miserabiliter aufugit, admittatur. Et quia supplicationem suam pro magnitudine reatus sufficere non putat, nostris precibus suas apud vestram clementiam adjuvari precatur. Quamvis igitur ego de vestra sanctitate nihil promeruerim, tamen quia invicem compati et pro invicem orare jubemur, praesumo supplicare quatenus ovi quam Christus quaesitam et

inventam in humeris suis ad ovile reportat, vestra paternitas ostium ovilis contra me [*f. add.* non] claudat, ne Christus idem perditam quaerendo, et inventam reportando, frustra laborasse videatur; et ipse apud amicos et vicinos, quos ad congaudendum convocare debuerat, non tam ovem quam seipsum, et, quod valde attendendum est, oneratum , et a suo ovili exclusum esse conqueratur. Itaque misericordiam et judicium cantate Domino, et sic ut misericordia superexaltet judicium . Vale.

EPISTOLA XXXIX . AD MONACHOS BECCENSES.

Beccenses in ordinis observantia stabiles collaudat. Et ut praelati facta non judicent prae caeteris hortatur.

Dominis et fratribus charissimis in Beccensi coenobio commanentibus, frater ANSELMUS, voluntate Beccensis monachus, necessitate vocatus Cantuariensis archiepiscopus, praesentis vitae continuam sanctitatem et futurae aeternam felicitatem.

Quamvis nostram raro epistolam videatis, scio tamen quia dilectionem vestram in intimis cordis mei fervere non dubitatis. De qua dilectione tanto esse certiores debetis, quanto eam de praeterito cognoscitis, et hoc propter quod et ad quod vos dilexi, facere contenditis. Audio enim quia, gratia Dei inspirante et cooperante, in studio bene vivendi fervetis, et in paupertatis pressura rigorem vestri ordinis inflexibiliter

tenetis. Sic enim decet servos Dei, ut quanto magis eos tribulationes praesentis vitae angustant, tanto ardentius ad quietem aeternae vitae tendant et se ad virtutum profectum extendant. Sed quamvis sanctis moribus et religiosis operibus studio spontaneo insudetis, novi tamen sinceritatem vestrae dilectionis, quia gratanter accipiet si vos monuero ut in hoc in quo estis perseveretis. Quod ut efficacius adimplere valeatis, necesse est ut sancta unanimitate colligati, et corde et voluntate praelato vestro obediatis : facta et dicta ejus non dijudicetis, sed sine omni retractatione, quasi divinitus inspirata venerando mente benigna servetis. Ubi enim subditi praelati judices fiunt, aperte Dei ordinationi, cujus dispositione sibi praelatus est, detrahunt et contradicunt; quibus Deus et suae gubernationis subtrahit auxilium, et eos in proprii erroris praecipitari permittit consilium : ubi vero praelatus cum veneratione, tanquam Christus suscipitur, ibi tota domus Christi regitur consilio et protegitur et sustentatur auxilio. Quanto enim subditi se vicario ejus subjiciunt securius, tanto ille praelato et subditis cuncta procurat benignius. Omnipotens Deus sua vos benedictione in aeternum beatificet, fratres et amici charissimi. Amen.

EPISTOLA XL. AD PASCHALEM PAPAM.

Excusat se quod pondum per litterus cum salutaverit. et, calamitatibus suis expositis, causas reddit cur ex Anglia abierit, et ut in Angliam non redeat nisi rebus omnibus

Ecclesiae restitutis supplex obtestatur. Lugduni interim ab archiepiscopo austentart se declarat.

Domno et patri reverendo, PASCHALI summo pontifici, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, debitam ex corde subjectionem, et orationum, si quid valent, devotionem.

Quod ad vestram celsitudinem tantum moratus sum nuntium mittere postquam de certa notitia vestrae sublimationis Deo gratias agentes, gavisi sumus, haec fuit causa quia quidam nuntius regis Anglorum venit ad venerabilem archiepiscopum Lugdunensem pro causa nostra, non tamen afferens quod suscipiendum esset; et audiens responsum archiepiscopi reversus est ad regem, promittens se in proximo Lugdunum rediturum . Hunc exspectavi ut scirem quid vobis de regis voluntate notificare possem, sed non venit. Causam itaque nostram breviter intimo, quia quando Romae moratus sum, eam domino papae Urbano, et multis aliis, sicut scit, ut puto, sanctitas vestra, saepe narravi. Videbam in Anglia multa mala, quorum ad me pertinebat correctio, quae nec corrigere, nec sine peccato meo tolerare poteram. Exigebat enim a me rex ut voluntatibus suis, quae contra legem et voluntatem Dei erant, sub nomine rectitudinis assensum praeberem. Nam sine sua jussione apostolicum nolebat recipi, aut appellari in Anglia; nec ut epistolam ei mitterem, aut ab eo missam reciperem, vel decretis ejus obedirem. Concilium non permisit celebrari in regno suo ex quo rex factus jam per tredecim annos. Terras Ecclesiae hominibus suis dabat; in omnibus his et similibus si consilium petebam, omnes de regno ejus etiam suffraganei mei episcopi negabant se consilium daturos, nisi secundum voluntatem regis. Haec et multa alia, quae contra voluntatem et legem Dei sunt, videns, petii licentiam ab eo

sedem adeundi apostolicam, ut inde consilium de anima mea et de officio mihi injuncto acciperem. Respondit rex me in se peccasse pro sola postulatione hujus licentiae, et proposuit mihi ut aut de hac re, sicut de culpa, satisfacerem, et securum illum redderem ne amplius peterem hanc licentiam, nec aliquando apostolicum appellarem, aut de terra ejus cito exirem. Elegi potius exire quam nefandae rei consentire. Romam veni, ut scitis , et domino papae rem totam exposui. Rex, mox ut de Anglia exivi, taxato simpliciter victu et vestitu monachorum nostrorum, totum archiepiscopatum invasit et in proprios usus convertit. Monitus et **382** rogatus a domino papa ut hoc corrigeret, contempsit, et adhuc in hoc perseverat. Jam est tertius annus ex quo sic de Anglia exivi; pauca quae mecum tuli, et multa quae mutuatus sum, quorum adhuc sum debitor, expendi. Sic plus debens quam habens , apud venerabilem Patrem nostrum archiepiscopum Lugdunensem detentus, ejus benigna largitate et larga benignitate sustentor. Non hoc dico quasi desiderem redire in Angliam, sed timeo ne mihi vestra sublimitas succenseat, si ei nostrum esse non notifico. Precor igitur et obsecro, quanto possum affectu, ut nullo modo me in Angliam redire jubeatis, nisi ita ut legem et voluntatem Dei, et decreta apostolica voluntati hominis liceat mihi praeferre : et nisi rex mihi terras Ecclesiae reddiderit, et quidquid de archiepiscopatu, propter hoc quia sedem apostolicam petii, accepit; vel certe, quod pro horum digna recompensatione Ecclesiae prosit. Aliter enim ostenderem me hominem Deo debere praeponere, et juste spoliatum esse quia sedem apostolicam volui requirere. Quod satis patet quam noxium exemplum sit posteris, et exsecrabile. Quaerunt quidam minus intelligentes cur ego regem non excommunico; sed sapientiores, et rectum habentes consilium, consulunt ne

id faciam, quia non pertinet ad me utrumque, et querimoniam scilicet et vindictam facere. Denique ab amicis nostris qui sub eodem rege sunt, mandatum mihi est quia mea excommunicatio, si fieret, ab illo contemneretur et in derisum converteretur. Ad haec omnia auctoritas vestrae prudentiae nostro non eget consilio. Oramus ut Deus omnipotens faciat omnes actus vestros sibi placere, et Ecclesiam suam de vestri regiminis prosperitate diu gaudere. Amen.

EPISTOLA XLI. HENRICI REGIS ANGLORUM AD ANSELMUM.

Excusat se inauguratum ab aliis episcopis ob ingruentes hostes, ut in Angliam citissime revertatur supplicat.

HENRICUS, Dei gratia rex Anglorum, piissimo Patri suo spirituali ANSELMO, Cantuariensi episcopo, salutem et omnis amicitiae exhibitionem.

Scias, Pater charissime, quod frater meus rex Guillelmus mortuus est; et ego, nutu Dei, a clero et a populo Angliae electus, et quamvis invitus, propter absentiam tui, rex jam consecratus requiro te, sicut Patrem, cum omni populo Angliae, quatenus mihi filio tuo et eidem pupulo cujus tibi animarum cura commissa est, quam citius poteris, venias ad consulendum. Meipsum quidem ac totius regni Angliae populum, tuo eorumque consilio qui tecum mihi consulere

debent, committo; et precor ne tibi displiceat quod regiam benedictionem absque te suscepi; de quo, si fieri posset, libentius eam susciperem quam de alio aliquo. Sed necessitas fuit talis, quia inimici insurgere volebant contra me et populum quem habeo ad gubernandum; et ideo barones mei, et idem populus, noluerunt amplius eam protelari : hac itaque occasione a tuis vicariis illam accepi. Misissem quidem ad te a meo latere aliquos per quos tibi etiam de mea pecunia destinassem, sed pro morte fratris mei circa regnum Angliae ita totus orbis concussus est, ut nullatenus ad te salubriter pervenire potuissent. Laudo ergo et mando ne per Northmanniam venias, sed per Guitsand, et ego Doveram obviam habebo tibi barones meos, et pecuniam ad te recipiendum; et invenies, Deo juvante, unde bene persolvere poteris quidquid mutuo accepisti. Festina igitur, Pater, venire, ne mater nostra Cantuariensis Ecclesia diu fluctuans et desolata, causa tui, amplius sustineat animarum detrimenta. Teste Girardo episcopo, et Guillelmo Wintoniensi electo episcopo, et Guillelmo de Warelimast, et comite Henrico, et Roberto filio Haimonis, et Haimone dapifero, et aliis tam episcopis quam baronibus meis. Vale.

EPISTOLA XLII. PASCHALIS PAPAE AD ANSELMUM.

Ut Ecclesiae Cantuariensi restitutus jam det operam Anglicanoe Ecclesiae restaurationi : et Anglorum Regem cum Normanniae comite conciliet.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo fratri et coepiscopo ANSELMO, Cantuariensium archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut injuriis tuis et exsilio compassi sumus, etc. *Vide in Paschali II, infra, ad an. 1118.*

EPISTOLA XLIII. ANSELMI AD BURGUNDIUM ET RICEZAM UXOREM EJUS.

Gratulatur nepotem suum Deo in servitutem esse dicatum, quodque Deus juniores eorum liberos rapuerit, ut jam liberius ipsi Deo tota mente servirent.

ANSELMUS archiepiscopus, domino et amico charissimo BURGUNDIO et uxori ejus sorori suae dilectissimae RICEZAE, salutem et benedictionem Dei.

Sciatis quia filius vester Anselmus, charissimus nepos noster, sanus et laetus est mecum apud Lugdunum; et ego, Dei gratia, prospere me habeo. De filio vestro hoc vobis dico quia gaudere potestis **383** multum, quod illum Deo obtulistis. Amat enim Deum, et quod amare debet; unde gratias agere debetis illis et eos amare qui eum in amore Dei et sui ordinis et in bonis moribus nutrierunt. Et certe credo quia propter hoc meritum quod primogenitum vestrum Deo devota mente

dedistis, noluit Deus perdere ullum de prole vestra; nec permisit eos quos genuistis usque ad illam aetatem in qua peccatis et malitiae hujus mundi sordidarentur, pervenire, ut vitam aeternam perderent, sed omnes eos bono fine de hac vita ad se transire fecit. Insuper si sapientes estis, et sapienter consideratis, intelligetis Deum fecisse vobis magnam misericordiam de vobis ipsis, quoniam abstulit vobis occasionem amandi hoc saeculum, et desiderandi ea quae transeunt, cum vobis abstulit haeredes in hac vita, et fecit filios vestros suos haeredes et suos filios in aeterna vita. Nunc agite gratias Deo quia exonerati estis et expediti, ut libere toto corde, tota intentione et totis viribus curratis ad Deum, et solliciti sitis solummodo de salute animarum vestrarum; et ut illuc spontanea voluntate perveniatis, quo Deus filios vestros qui mortui sunt, vobis nolentibus, misericorditer traxit, et quo istum quem Deo dedistis, Deo adjuvante, perventurum exspectamus, ubi pariter pater et mater, filii et filiae in conspectu Dei in gloria aeterna gaudeatis; et unusquisque tantum de singulis aliis quantum de se glorietur. Ergo, dilectissimi et amicissimi, frater charissime et soror charissima, precor, obsecro, moneo, consulo ne contemnatis misericordiam quam Deus vobis non praemeditantibus fecit : et ne perdatis gloriam quam Deus vobis, si culpa vestra non fuerit, praeparavit. Cognoscite, cognoscite quia quod Deus vos ita omnibus filiis orbatos in hac vita solos fecit, non est ira Dei, sed gratia Dei, ut qui jam soli remansistis, nihil habentes quod ametis, sine omni impedimento ad illum curratis, et ei vos et vestra reddatis. Omnipotens Deus sic vos suo amore accendat ut omnem hujus vitae delectationem faciat contemnere, et ad se toto affectu tendere et pervenire. Amen.

EPISTOLA XLIV. PASCHALIS PAPAE AD ANSELMUM.

Ut constanter se gerat in tuenda Ecclesiae Anglicanoe libertate.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri et coepiscopo ANSELMO Cantuariorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignoras divinae voluntatis consilium, etc. *Vide in Paschali II ad an.* 1118.

EPISTOLA XLV. EIUSDEM AD EUMDEM.

Anselmo eum de aliquot dubiis consulenti respondet.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri et coepiscopo ANSELMO, salutem et apostolicam benedictionem.

Consulta illa quae per venerabiles nuntios tuos Baldemum et Alexandrum, etc. Vide in Paschali II.

384 EPISTOLA XLVI. BENEDICTI AD ANSELMUM.

Consolatoria est et amicis condita affectibus.

Domino et venerabili Patri ANSELMO, gratia Dei Cantuariensium archiepiscopo, BENEDICTUS, in Domino salutem.

Amor scribere, et dolor cordis mei gemitum charitati vestrae compellit aperire. Et quia sapientibus loquor, et qui de parva materia norunt fercula conficere multa, ideo breviter succincteque sanctitati vestrae dico quoniam Satanas videtur esse solutus. Rex namque superbiae prope est; et, quod dici nefas est, sacerdotum ei praeparatur exercitus, quia cervice elata militant qui praepositi sunt ut praebeant exempla humilitatis : sic ut Danielis vaticinium videatur esse completum. Ergo qui in Judaea est ad montes fugiat, *et qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo* **(Matth. XXIV, 17),** etc. Proinde vos, qui in tecto Domini passer solitarius extitistis, et agrum Dei vomere linguae viriliter conscidistis, ad montes fugere nec oportet de plano aliquid tollere. Etsi Romae non est nunc Gregorius, est tamen Angliae Augustinus; et qui dedit ei signa et prodigia facere, dabit vobis pro Christi fide ad finem usque viriliter certare : *Fidelis est enim Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod ferre potestis* **(I Cor. X, 13).** Benedictionem autem vestram qua debui mente suscepi, bene sapientem, bene redolentem. Deo autem gratias agimus, quia saporosa sunt et odorosa quae agitis, quae dicitis, quae datis. De vita autem vestra dicamus pariter, dicamus omnes : *Gloria in excelsis*

Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis **(Luc. II, 14).** Rogo vos, orate pro me ut Simon me aliqua parte corrumpere nequeat, et Deus ab hoc pelago ad portam salutis perducat.

EPISTOLA XLVII. ANSELMI AD PASCHALEM PAPAM.

Auditis decretis Romani concilii, cui Anselmus interfuerat, rex de illis summum pontificem requirit; quid autem papa judicaverit, sibi significari Anselmus petit.

Domino reverendo, et Patri diligendo PASCHALI , summo pontifici, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, debitam subjectionem et orationum assiduitatem.

Postquam revocatus ad episcopatum redii in Angliam, ostendi decreta apostolica quae in Romano concilio praesens audivi; de qua re dominus meus rex vestram requisivit sanctitatem per legatum suum, et ego per epistolam meam vestrum inquisivi, secundum quod rem cognosceretis, consilium. Regi per litteras vestras respondistis, mihi vero minime; sed quoniam illi responsum quod illi sufficeret non dedistis, adhuc vestram pro eadem re adeunt quidam episcopi praesentiam; et ego nostros mitto legatos, responsi vestri mihi relaturos sententiam, ne forte videar alicui meo solo sensu vel propria voluntate quidquam facere. Servata igitur apud me reverentia sedis apostolicae, precor ut de petitione quam

vobis praedicti episcopi exponent **385** quod melius et utilius sapientia vestra secundum Deum judicaverit, disponatis; et quidquid illud fuerit, per legatos nostros me certum faciatis. Sicut enim non pertinet ad me absolvere quod ligatis, ita non est meum ligare quod absolvitis.

EPISTOLA XLVIII. ANSELMI AD EUMDEM.

Consilium in adversis quae jam per novem annos passus est exspectat. Precaturque ut pallium electo Eboracensi episcopo concedat.

Domino et Patri reverendo PASCHALI, summo pontifici, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, debitam subjectionem.

Quanto studio mens mea pro sua possibilitate sedis apostolicae reverentiam et obedientiam amplectatur, testantur multae et gravissimae tribulationes cordis mei, soli Deo et mihi notae, quas ab initio episcopatus mei continue jam per novem annos, et in exsilio et episcopatu passus sum, quia ejusdem sedis subjectioni et obedientiae inseparabiliter adhaesi. A qua intentione spero in Deo quia nihil est quod me possit retrahere. Quoniam de his quibus excellentiam vestram requisivi per epistolam missam olim per Guillelmum, regis nostri legatum, nullum suscepi responsum, iterum ea necesse haheo repetere. De hoc quod inter regem et me est sufficere puto sapientiae vestrae quod in aliis litteris significo et quod per legatos nostros cognoscetis. De qua re non est humilitatis meae vestrae sapientiae dare, sed ab ea exspectare consilium.

Precor autem omnipotentem Deum quatenus ipse cor vestrum ad laudem et gloriam nominis sui et utilitatem Ecclesiae suae dirigat, ut de vultu ejus judicium vestrum prodeat, et oculi ejus in omnibus actibus vestris videant aequitatem. De archiepiscopo Eboracensi electo, sicut per episcopos qui cum eo sunt, poteritis agnoscere, supplex precor quatenus pallio propter quod vestram adit excellentiam, nobis eum confirmatum et gratia vestra honoratum remittatis. Credo enim quod non est in Anglia qui tantum possit in ecclesiasticis rebus prodesse; et spero in Deo, quia sicut a Deo accepit facultatem, habet etiam voluntatem. Quaedam alia quae nostri legati vestrae paternitati ex nostra parte suggerent, precor ut audire atque ad ea respondere dignemini. Oramus ut Deus omnipotens sanctitatem vestram diu nobis conservet.

EPISTOLA XLIX. ANSELMI AD MONACHOS CESTRENSES.

De suorum monachorum profectu gaudet, et ad accuratam etiam in minimis observantiam hortatur.

Anselmus archiepiscopus, fratribus et filiis suis charissimis monachis in Cestrensi coenobio S. Werburgae commanentibus salutem et benedictionem Dei, et suam.

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui et vos facit et numero crescere et augmento religionis proficere. Quamvis enim de omnium servorum Dei

profectu gaudeam, in vobis tamen aliquid habeo speciale cur de vestro laetari profectu debeam, quoniam per me Deus congregationis vestrae est dignatus instituere principium, abbatem, dominum scilicet Ricardum, charissimum filium nostrum. Gratias igitur ago Deo pro gratia sua quam ostendit in vobis; et oro ut, sicut eadem gratia vos praevenire dignatus est, ita indesinenter subsequatur, quatenus nunquam vos de hoc ad quod vos provexit, permittat deficere, sed semper ad meliora donet proficere; quod pro certo ipse faciet, si non negligentes fueritis bona ad quae jam pervenistis, servare. Cum enim Dei sit sua gratia semper nos praevenire , nostrum est quod accipimus, ejus auxilio studiose custodire. Nam quamvis nec habere nec servare possimus aliquid, nisi per illum, perdere tamen et deficere non est, nisi ex nostra negligentia, quae saepissime incipit a minimis, in quibus nos callidus hostis solet decipere, cum nobis persuadet ea non magni pendere. Inde namque sequitur illud damnum exsecrabile quod legitur, quia *qui spernit modica, paulatim decidet* **(Eccli. XIX, 1).** Certissimum namque est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in monasterio ubi minima districte custodiuntur, ibi rigor ordinis monachorum inviolabiliter permanet; ibi pax inter fratres, et in capitulo proclamationes conquiescunt; ubi vero minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur et destruitur. Si ergo de virtute in virtutem et de profectu ad profectum vultis ascendere, semper timete in singulis minimis Deum offendere. Non debetis considerare quam parva sit res quam contra prohibitionem facitis, sed quantum malum sit inobedientia quam pro parva re incurritis. Sola enim obedientia potuit hominem in paradiso retinere, unde per inobedientiam ejectus est; neque ad regnum coelorum aliquis

nisi per obedientiam perducitur . Pensate quia si homo per unam solam inobedientiam in tantam miseriam quam patimur in hoc mundo projectus est, quantum debeamus eam horrere et obedientiae bono studere. In obedientia totus vigor bene vivendi construitur, in ejus negligentia destruitur. Abbati ergo vestro obedientiam non solum in opere, sed etiam in voluntate per omnia exhibete , et ad invicem pacem et concordiam per mutuam dilectionem habete; quam dilectionem sic nutrire et servare poteritis, si unusquisque non ut alius suam, sed ut ipse alterius voluntatem faciat, studuerit. Otiositatem quoque sicut rem inimicam animarum a vobis excludite, et unusquisque consideret quia de singutis momentis vitae nostrae reddituri sumus Deo rationem. Cuicunque ergo Deus dat aliquam gratiam ad quamlibet utilitatem, ea utatur inquantum habuerit opportunitatem. Qui enim non utitur potestate benefaciendi quam habet, in die judicii quasi non habens judicabitur, et ab illo auferetur hoc ipsum quod habere videtur, quia et praemio quod mereri potuit carebit, et deinceps nullam alicujus boni operis potestatem in poenis habebit. Quasi autem alii dabitur quod ab illo auferetur, quando illi qui bene operatur secundum quod accepit, praemium. augebitur, quia juxta illum qui negligenter vixit, ejus exemplo a bono opere non defecit. Gratias ago vobis quia pro me oratis, et oro ut ab hac charitate non desistatis.

386 EPISTOLA L. ANSELMI AD BERNARDUM MONACHUM.

Pluris esse unicam vapulationem ex obedientia, quam innumeras ex proprio sensu.

ANSELMUS archiepiscopus, BERNARDO, monacho coenobii S. Werburgae, salutem et orationem.

Audivi a domino abbate tuo quod majoris meriti judicas cum monachus se aut verberat, aut ab alio se verberari postulat, quam cum in capitulo ex praecepto praelati, non ex sua voluntate vapulat . Quod non ita est sicut existimas. Illud enim judicium quod sponte sibi aliquis indicit, regale est; illud vero quod per obedientiam in capitulo sustinet, monachicum est. Alterum est ex sua voluntate, alterum ex obedientia, nec ex sua voluntate. Illud quod regale dico saepe sibi reges et superbi divites fieri praecipiunt, illud vero quod monachicum dico, non praecipientes, sed obedientes suscipiunt. Regale tanto levius est , quanto voluntati sustinentis concordat. Monachicum autem tanto gravius quanto a voluntate patientis discordat. In regali judicio ostenditur sustinens esse suus, in monachico probatur non esse suus. Nam quamvis rex aut dives. cum sponte vapulat, se peccatorem humiliter ostendat, nulla tamen alterius hommis jussione huic humilitati se patiens subderet, sed jubenti omnibus viribus resisteret. Cum autem monachus ex sententia praelati in capitulo humiliter flagellis se subjicit, tanto majoris meriti hunc esse veritas judicat, quanto magis et verius se quam ille humiliat. Ille namque se soli Deo humiliat propter peccatorum conscientiam, iste vero etiam homini, propter obedientiam. Humilior autem qui et Deo et homini propter Deum se humiliat, quam qui soli Deo et non humanae jussioni se humiliat. Ergo si qui se humiliat, exaltabitur; qui se magis humiliat, magis exaltabitur. Quod autem dixi, cum

monachus vapulat, hoc a sua voluntate discordare, non ita intelligas quasi nolit hoc obedienti voluntate patienter portare, sed quoniam ex naturali appetitu carnis dolorem nollet tolerare. Quod si dicis : Non tam fugio publicam vapulationem propter dolores quos et secrete sentio quam propter verecundiam, scito quia ille fortior est qui hanc quoque sustinere gaudet propter obedientiam. Certus ergo esto quia majoris meriti est una vapulatio monachi tolerata per obedientiam, quam innumerabiles acceptae per propriam sententiam. Sed cum talis est monachus ut et semper habeat cor paratum sine murmuratione per obedientiam vapulare, tunc sive secrete, sive publice vapulet, magni meriti eum debemus judicare.

EPISTOLA LI. ANSELMI AD STEPHANUM ARCHIDIACONUM.

Ut abbatissam et sanctimoniales Rumesei a superstitioso hominis defuncti, quem pro sancto habebant, cultu prohibeat.

ANSELMUS archiepiscopus, STEPHANO archidiacono salutem et benedictionem.

Mando vobis ut eatis ad Rumesei, et dicatis, et dicendo praecipiatis domnae abbatissae et sanctimonialibus ex nostra parte, et ex parte episcopi Wintoniensis, et vestra , ut si nolunt me prohibere illis divinum officium facere, tunc ex toto prohibeant ut nullus honor, qui alicui sancto exhiberi debet

exhibeatur ab illis, aut permittant ab aliquo exhiberi mortuo illi quem quidam volunt pro sancto haberi. Filium autem ipsius mortui propellite a villa, nec amplius conversetur in illa.

EPISTOLA LII. ANSELMI AD GERARDUM ARCHIEPISCOPUM EBORACENSEM.

Docet inducias suo assensu fuisse datas sacrilego qui mulierem velatum in uxorem duxerat.

ANSELMUS, gratia Dei archiepiscopus Cantuariae, GERARDO, archiepiscopo Eboracensi, salutem.

Notum facio, dilecte mi, reverentiae vestrae, quia induciae de causa illius qui mulierem velatam in conjugium sibi copulare praesumpsit, quas dedit episcopus Lundoniae vestra instantia, me favente, in tantam infamiam conversae sunt mihi, et vobis et omnibus quorum consensu datae sunt, apud Lundonienses et apud omnes qui hoc audiunt, ut nullius hoc , nisi religioso carens pudore, si fugere valet, tolerare queat. Desperant etiam ullum bonum aliquando proventurum Ecclesiae Dei per illos episcopos qui in tam exsecrabilis sceleris protelationem consentire potuerunt. Quapropter decet nos, imo necesse est omnibus nobis qui in hoc consensimus , si tam indecenti improperio subjacere nolumus, quatenus dies ejusdem causae definiendae constituatur celerius, in quo praesentiam nostram et vestram, aut si hoc esse nequit, aliquam rationabilem ex nostra et similiter ex vestra parte personam adesse cupimus.

Quem diem in octava die Nativitatis S. Dei genitricis Mariae, quamvis nobis nimis longinqua propter praedictam causam sit, tamen quia cognosco vos velle interesse, ponimus. Quippe nec episcopus ad quem causa pertinet, vellet, si ego vellem, nec ego vellem, si ille vellet hoc differre diutius, si Deus nos ab omni impedimento defenderit. Nam tantum post colloquium nostrum, didicimus de rei veritate, ut si acceleramus quod differre proposueramus, nulla notandum hoc sit in tali negotio levitate.

EPISTOLA LIII. HILDEBERTI CENOMANENSIS EPISCOPI AD ANSELMUM.

Grates persolvit ob tractatum De processione Spiritus sancti contra Groecos scriptum et ad se missum.

Venerabili Cantuariae archiepiscopo, gloria et honore dignissimo, ANSELMO, HILDEBERTUS

, humilis Cenomanorum sacerdos, salutem et orationes in Domino Jesu Christo.

Et dies laetus et vultus solemnes cum tuo mihi Tractatu pariter, sanctissime Pater , accesserunt. Susceperam prius benedictionem tuam servus ego, servus tuus , et egit gratias

Domino Deo, et tibi devotus affectus , affectus meus. Humanum quidem fuit subvenire proximo per compassionis affectum ; sed divinum, fidem defendere catholicam per inhabitantem in te Spiritum sanctum. Utrumque autem operatus est unus atque idem Spiritus, volens tibi **387** virtutum exuberare gratiam, quem suae processionis a Filio reservabat defensorem. In malevolam enim animam non poterat introire sapientia, nec habitare in corpore subdito peccatis. Unde dignum fuit ut advocatus veritatis exemplum praetenderet religionis. Talis propterea pastoralibus excubiis congruebat, cui nihil deesset ad plenitudinem justitiae, nihil ad integritatem doctrinae. Beatum sane pectus, quod virtutum conventus reverendum sibi penetrale consecravit. Inde velut ex aditis divina prodeunt oracula, nihilque aliud sacra labia profitentur quam coelestis interpretem voluntatis. Eorum me saepius recordantem stupor opprimit; et dum singula diligenter intueor, omnia Spiritui fateor ascribenda, cum Psalmista dicens : *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* **(Psal. CXVII, 23).** Vale, sanctissime Pater, sciens quia desiderio desiderat anima mea te videre, non aegre latura ventos aut pelagus, dummodo liceat consilium salutis accipere abs te, quod nusquam esse credo, nisi sit apud te.

EPISTOLA LIV. AD MONACHOS ALBANENSES.

Hortatur monachos ad continuam suae regulae observantiam. (Vide epist. 160, infra.)

ANSELMUS, gratia Dei archiepiscopus Cantuariae, fratribus et filiis charissimis, domno priori, et aliis servis Dei in monasterio Sancti Albani manentibus, salutem et benedictionem.

Gratias ago Deo, a quo est omne bonum, et vobis, qui servatis ejus donum, quia de vobis audio omne bonum. Memores enim vos esse monstratis quia oportet vos per multas tribulationes introire in regnum Dei, et quia tentatio probat et tentat justum, si diligat Deum, cum nulla vos adversitas a custodia vestri ordinis prohibere potest. Sic enim exspectare secure potestis praemium de quo dicitur: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae* **(Jac. I, 22).** Quanto ergo vos studiosius ad conservandum monachicum ordinem insistere cognosco, tanto securius vos paterna monitione exhortor quatenus in bono proposito et in hoc ad quod vos Deus provexit, perseveretis; et semper ad meliora, in spe divini auxilii, proficere et nunquam deficere tentetis. Quod efficaciter poteritis efficere, si nulla minima vestri ordinis volueritis contemnere, quoniam *qui spernit modica, paulatim decidet* **(Eccli. XIX, 1).** Deus videt quid vobis expediat: si moram fecerit vos consolandi, exspectate eum, quia non tardabit; ipse enim est adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Omnipotens Deus corda vestra in servitio suo corroborare dignetur et consolari. Oro vos, orate pro me.

EPISTOLA LV. MATHILDIS REGINAE ANGLORUM AD ANSELMUM

Ut modice quotidianum relaxet jejunium.

Domino et Patri reverendo ANSELMO , primae sedis archiepiscopo, Hibernorum omniumque septentrionalium insularum quae Orcades dicantur primati, MATHILDIS, Dei gratia, Anglorum regina, humillima ejus ancilla, praesentis vitae cursu feliciter peracto, ad finem, qui Christus est, pervenire.

Quod quotidianum jejunium jam verteritis in naturam ut nulli fere dubium, ita nec mihi est ignotum. Quodque magis admiror, plurium proborum frequenti relatione didici, et post longa jejunia non natura postulante, sed quolibet e famulitio suadente, cibum sumere solitum. Haec etiam vos tanta frugalitate sumere non ignoro, ut magis naturae, jus proprium demendo, vim fecisse quam legem solvisse videamini. Unde cum multis, tum mihi maxime metuendum est ne tanto patri, cujus sum beneficiis o ligata, tam forti Dei athletae et humanae naturae victori, cujus indeficienti vigore pax regni sacerdotiique dignitas firmata est atque defensa, tam fideli tamque prudenti Dei dispensatori, cujus sum benedictione in legitimum matrimonium sacrata, cujus ordinatione in terreni regni dignitatem sublimata, cujus precibus in coelesti gloria, Deo annuente, coronanda, corpus tabescat; fenestrae visus, auditus caeterorumque sensuum obturentur; vox spiritualium aedificatrix raucescat; et quae canorum ac dulce Dei verbum decoro, quieto remissoque

sermone dispensare consueverat, id tanto remissius in futurum exsequatur, ut quosque aliquantisper a te remotiores audientia ipsius vocis privatos, fructu etiam vacuos derelinquat, nolite igitur, bone Pater et sancte, nolite tam intempestive corporis viribus inedia destitui, ne orator esse desistatis. Quia, ut Tullius ait in lib. quem De senectute conscripsit: *Oratoris munus non ingenii est solum, sed laterum etiam et virium.* Quo perditum ire festinat tanta animi tui celebritas, tanta memoria praeteritorum futurorumque providentia, tot artes, tot scientiae, tot inventa, tanta rerum humanarum notitia, divinitatisque cum simplicitate prudentia. Considerate multitudinem talentorum quae vobis dives Dominus vester dedit, quid commiserit, quid exigat. Deducite bonum in commune, quod deductum pulchrius elucescat, atque cum multiplici fenore reportetur ad Dominum. Ne fraudetis vobis ipsis invicem; sicut necessarius est animae spiritualis potus et cibus, ita et corporalis. Comedendum igitur est vobis, et bibendum, quoniam. grandis vobis, Dei nutu, hujus vitae restat via, grandis messis seminanda, sarculanda ac metenda, in horreo quoque Domini, quo fur non appropiet, collocanda; videtis operarios in maxima messe paucissimos. In multorum labores introisti, ut multorum lucra reportes. Memento vero vos vicem Joannis apostoli et evangelistae chari Domino tenere, quem Dominus ipse supervivere voluit, ut Virginis matris virgo dilectus curam gereret. Suscepistis gerendam curam matris Ecclesiae, de qua quotidie periclitabuntur, nisi magna cura succurratis, fratres Christi et sorores, quos pretio proprii sanguinis redemptos ipse tibi commendavit. Pascite, o Pastor tanti Domini, gregem ejus, ne pastus inops deficiat in via. Sit vobis in exemplo sacer sacerdos Martinus, vir ineffabilis, qui, cum coelestem requiem **388** paratam sibi

praevideret, laborem tamen pro populi necessitate se non recusare dicebat. Novi quidem vos multorum exemplis, multis Scripturarum testimoniis ad jejunium invitari et confirmari; assidua quippe lectio vobis frequenter suggerit qualiter post jejunium, Eliam corvus, Eliseum vidua, Danielem angelus per Habacuc paverit; qualiter Moyses tabulas, digito Dei scriptas, jejunio accipere meruerit, fractasque per idem recuperaverit. Gentilium quoque vos exempla plurima ad parcimoniam invitant. Nemo est enim qui ignorat vos legisse Pythagorae, Socratis, Antisthenis frugalitatem, caeterorumque philosophorum, quos ut enumerare longum est, ita nec praesenti opusculo necessarium. Veniendum est ergo ad novae legis gratiam. Christus Jesus, qui dedicavit jejunium, dedicavit et esum, vadens ad convivium nuptiarum, ubi in vinum aquam convertit; ad Simonis epulas accedens, ubi a Maria septem daemonibus ejectis, spiritualibus eam ferculis primo pavit; Zachaei prandium non recusans, quem de potestate militiae saecularis retractum, ad coelestem militiam vocavit. Audi, Pater, audi Paulum, Timotheum propter dolorem stomachi, vinum bibere suadentem, dicentemque: *Jam noli aquam bibere, sed modico vino utere.* Ecce Apostolus secundum discipulum a proposito dehortatur jejunio. Cui enim dicit: *Jam noli aquam bibere*, aperte denuntiat eum nihil aliud quam aquam ante bibisse. Imitemini Gregorium, lassitudinem defectumque stomachi cibi potusque confortatione revelantem, doctrinae et praedicationi viriliter indeficienterque insistentem. Facite igitur quod ille fecit, ut perveniatis ad quem pervenit, hoc est ad Jesum Christum fontem vitae, montemque excelsum, cum quo de perenni gloria jam olim gavisus est, gaudet gaudebitque in saecula saeculorum. Valeat in Domino

sanctitas vestra, meque fidelem vestram famulam vos toto cordis affectu diligentem orationibus adjuvare nolite desistere; et epistolam non fictam, sed fideli charitate et firma vobis a me missam suscipere, legere, audire atque exaudire dignemini.

EPISTOLA LVI. ANSELMI AD IDAM COMITISSAM.

De filio a se commonito, et de prabenda Lamberti sui capellani.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis , dominae, et matri, et filiae charissimae, reverendae comitissae IDAE, salutem, et benedictionem Dei, et suam, quantum potest.

Charissima, vos salutat mea epistola; sed quotidie vos aspicit mea memoria, et spero in Deo quia nunquam illa de corde meo delebitur. Cum filio vestro locutus sum. et precatus sum eum de vobis, sicut intellexi oportere; et ipse mihi respondit se nihil libentius facere quam voluntatem vestram implere. Dominus Lambertus capellanus vester, qui moratur in Anglia pro vestro servitio, rogat, et ego cum illo rogo, ne aliqua occasione, donec ad vos redeat, perdat aliquid de praebendae suae beneficio. Precamur etiam ut hoc ipsum confratres ejus canonicos precando moneatis. Quos simul nos ambo in hac schedula salutamus; et ut petitionem vestram admittant, etiam

atque etiam rogamus. Omnipotens Deus vos ab omni adversitate custodiat, et desiderium vestrum semper dirigat, accendat, et perficiat. Amen.

EPISTOLA LVII. ANSELMI AD MATHILDAM REGINAM ANGLORUM.

Habet gratias pro muneribus et amica commonitione.

MATHILDAE, gloriosae reginae Anglorum, reverendae dominae, filiae charissimae, ANSELMUS archiepiscopus, debitum honorem, servitium, orationes et benedictionem Dei, et suam, quantum potest.

Gratias magnas ago vestrae largitioni, sed multo majores, de qua munera procedunt, sanctae dilectioni: quae etiam mihi pia sollicitudine instat ut in alimentis sumendis corpori largius indulgeam, ne vox et vires ad curam injunctam mihi deficiant. Nam quoniam auditis me pro jejunio totius diei, etiamsi quotidie fieret , famem non sentire, timetis raucitatem et imbecillitatem mihi corporis evenire. Sed utinam tantum mihi sapientia et potestas quae competit, suppeterent, quantum vox et vires quas habeo ad opus mihi injunctum sufficerent. Licet sic possim sine famis molestia jejunare, satis tamen passum, et volo cum debeo, quantum expedit, corpus alimentis recreare. Memor est benigna vestra dignatio in epistola sua quod per me sit vestra celsitudo in conjugium legitimum desponsata, et ad regni sublimitatem, me sacrante,

coronata. Verum cum de me, qui hujus rei minister tantum fidelis, quantum in me fuit, exstitit, hoc tam benigne, tanta gratia recolitis, satis aestimari potest quantas Christo, qui hujus doni anctor et largitor est, grates in mente persolvitis. Quas si recte, si bene, si efficaciter ipso actu vultis reddere, considerate reginam illam, quam de mundo hoc sponsam sibi illi placuit eligere. Haec est quam pulchram, et amicam, et columbam suam vocat in Scripturis, et de qua illi dicitur: *Astitit regina a dextris tuis* **(Psal. XLIV, 10)**. Haec est cui de eodem Sponso suo Christo dicitur: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui; et concupisset rex decorem tuum* **(Ibid., 11)**. Quanto enim saecularium conversationis, et patris sui, hujus scilicet mundi, habitationem contemnendo obliviscitur, tanto pulchrior conspectui Sponsi sui et amabilior cognoscitur. Hanc quantum dilexerit ipse probavit, cum se ipsum morti sponte tradere pro ejus amore non dubitavit. Hanc, inquam, considerate quomodo exsulet peregrinus, et quasi vidua ad virum suum cum veris filiis gemit et suspirat, exspectans donec ille de regione longinqua ad quam abiit accipere sibi regnum, veniat, et eam ad regnum suum transferendo, omnibus qui eidem amicae bona vel mala fecerint, prout quisque gessit, retribuat. Qui hanc honorant, cum illa honorabuntur; qui hanc conculcant, extra illam conculcabuntur; qui hanc exaltant, cum angelis exaltabuntur; qui hanc deprimunt, cum daemonibus deprimentur. Hanc exaltate, honorate, defendite, ut cum illa et in illa sponsa Deo placeatis, et in aeterna beatitudine cum illa regnando vivatis. Amen. Fiat.

389 EPISTOLA LVIII. ANSELMI AD IDAM COMITISSAM.

Gratias agit pro liberalitate suis legatis exhibita; et ejus timorem in re salutis laudat, eamque a peccatis absolvit, injuncta poenitentia.

ANSELMUS, gratia Dei archiepiscopus, dominae et matri, et filiae charissimae, IDAE comitissae, salutem et benedictionem Dei, et suam, si quid valet.

Gratias ago celsitudini vestrae pro benignitate et largitate quam legatis nostris nuper Roma redeuntibus exhibuistis, sicut mihi et omnibus nostris facere soletis. De hoc quod mihi per domnum Joannem mandastis, nullam possum vestram culpam intelligere. Sed quoniam semper tutius est in hujusmodi magis timere quam confidere, laudo timorem vestrum, quia *beatus homo, qui semper est pavidus* **(Prov. XXVIII, 14)**. Et beatus Job dixit: *Verebar omnia verba mea* **(Job IX, 28)**. Solo igitur hoc amore, et mali quod contigit per malos homines dolore quem habuistis, credo vos Deo, quantum ad vos pertinet, satisfecisse. Quoniam tamen scio quid desideretis, oro Deum ut vos ab hoc et ab omnibus peccatis vestris absolvat, et ad gloriae suae contemplationem perducat. Amen. Unum psalterium pro omnibus peccatis vestris dicite, secundum opportunitatem vestram.

EPISTOLA LIX. ANSELMI AD CLEMENTIAM COMITISSAM.

Comitem laudat quod nullam daret investituram, quod comitissae consilio et prudentia factum celebrat. Et ut eadem viro suo semper ipsa consulat Anselmus hortatur.

ANSELMUS, quamvis indignus, dictus archiepiscopus Cantuariae , dominae et filiae charissimae, CLEMENTIAE reverendae comitissae, per diuturnam hujus vitae prosperitatem, aeternam futurae mereri felicitatem.

Relatum mihi est quosdam abbates in Flandria sic constitutos ut comes vir vester nullam eis manu sua daret investituram. Quod sicut non sine ejus prudenti clementia ita non esse aestimo factum absque vestra clementi prudentia. Tanto ergo de hoc vestro bono opere gaudeo, quanto vos ambos verius in Deo diligo. Cum enim ea quae religionis Christianae sunt, concordi voluntate facitis, veros vos esse filios Ecclesiae sponsae Dei et fideles advocatos ostenditis. Non enim debent principes sponsam Dei, matrem suam, si Christiani sunt, aestimare sibi datam in haereditariam dominationem, sed a Deo sibi commendatam, ut ejus cohaeredes mereantur esse ad reverentiam et defensionem. Rex enim erat, et quid ad principes pertineat intelligat, qui principes volentes haereditatem sanctuarium Dei possidere, sic

maledicebat: *Deus meus, pone illos ut rotam; et sicut stipulam ante faciem venti* **(Psal. LXXXII, 14);** et quae proxime sequuntur. Non haec loquitur David, sed Spiritus Dei Filii David, qui dixit: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* **(Matth. XXIV, 15)**. Ad vos pertinet, reverenda domina et filia charissima, ut haec et hujusmodi viro vestro frequenter opportune, importune suggeratis; et ut non dominum, sed advocatum; non privignum, sed filium se probet esse Ecclesiae, consulatis. Certe sic erit potestas placens Deo, et omnes actus ejus dirigentur ab eo, et contra omnes ejus adversarios erit cum eo. Monete eum ut nunquam adversetur legi Dei, quia qui illi subditi sunt, Scriptura, quae non mentitur, asserit illos indubitanter inimicos esse Dei. Ne credat consilium contra consilium Dei, quia *Dominus reprobat consilia principum, consilium autem Domini manet in aeternum* **(Psal. XXXII, 10)**; et, *sapientia hujus saeculi, stultitia est apud Deum* **(I Cor. III, 19)**. Consilium autem Domini est sacra Scriptura, et eorum quibus dixit: *Qui vos audit, me audit* **(Luc. X, 16)**; et ad Christianam religionem instituta. Haec moneat, haec consulat, rogo, viro suo comitissa Clementia, ut et ilum et illam ad regnum coelorum sublevet divina clementia. Sic fiat. Amen.

EPISTOLA LX. ANSELMI AD GERARDUM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Se non scripsisse litteras unde Angliae episcopi ipsum criminabantur.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, GERARDO, reverendo archiepiscopo Eboracensi, salutem.

Quamvis me talem nesciat mea conscientia qualem me pingit vestra prudentia, tamen non debeo esse ingratus, quia bona quae me dicitis, quam erga me habetis, vobis persuadet benevolentia. Quod me hortatur vestra dilectio ne patiar neque velim vestram et sociorum vestrorum contumeliam, libenter accipio, nec sentio me aliquando eam aut quaesivisse aut voluisse. Nam litteras illas, de quarum publicatione hoc aestimatis contigisse, nec ego transcripsi, nec transcribendas alicui ostendi, nec aliquis per me. Denique cum vobiscum loquar, confido in Deo quia omnino me in hac re inculpabilem cognoscetis. Vale.

EPISTOLA LXI. ANSELMI AD MONACHOS S. EADMUNDI.

Infractam monachorum in adversis constantiam praedicat.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, fratribus et filiis charissimis monachis coenobii Sancti Eadmundi, salutem, et in tribulatione misericordiae Dei consolationem.

Laudo vos et gaudeo quia nulla violentia vobis violentiam ingerentibus restitistis, sed solius Dei tuitioni et dispositioni vos commisistis. Utique in hoc ipsi potius contra Deum quam contra vos violenti fuerunt, et vos magis ad Deum clamastis ut aspiceret et judicaret quod illi contra eum vobis injuste

fecerunt. Non miremini, neque ultra modum turbetur cor vestrum, si tribulationes in hac vita patimini, quia scriptum est: *Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei* **(Act. XIV, 21).** Et gaudere debemus cum Apostolo in tribulatione, *scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit* **(Rom. V, 6).** Et sperare debetis in Deo, quia fidelis est, nec patietur tentari supra quam ferre potestis. Dei gratia, non patimini propter aliquod crimen, quantum ad humanum pertinet judicium, sed propter justitiam; illi vero super vos se ingerunt propter suam concupiscentiam. Cum stabitis pariter ante tribunal Christi, ubi recipiet unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum, liquet **390** quia vobiscum est in hac re justitia, cum illis est malitia. Si Deus haec discernit in actione, utique discernet et in retributione. Consulo etiam vobis ut pater filiis, quatenus haec quae patimini imputetis peccatis vestris secundum Dei judicium, ut unusquisque vestrum discutiat conscientiam suam, et satisfaciat Deo per effectum poenitentiae et confessionem. Solet enim Deus multitudinem propter culpam paucorum flagellare. Quapropter unusquisque quod communiter patimini sibi imputet, et quantum in ipso est, clementiam Dei per satisfactionem super se et super alios invocet. Deus enim dicit: *Revertimini ad me, et ego revertar ad vos* **(Malach. III, 7).** Omnipotens Deus sua vos protectione et defensione visitet, et clementi consolatione laetificet. Amen.

EPISTOLA LXII. ANSELMI AD WILLELMUM ARCHIDIACONUM.

De non evulgandis Actis concilii Londinensis, nisi prius et iterum episcopis illa communicarit. Capitulorum interim sententias aliquas suggerit.

ANSELMUS archiepiscopus, WILLELMO archidiacono, dilecto suo, salutem et benedictionem.

Sententias capitulorum concilii expositas nolo vobis aut alicui ad praesens mittere, quia, quando in ipso concilio expositae sunt, non potuerunt ad plenum et perfecte recitari, propterea quia subito sine praemeditatione ac competenti tractatione, sicut oportuerat, sunt prolatae . Unde quaedam videntur addenda, et forsitan quaedam mutanda, quod non nisi communi consensu coepiscoporum nostrorum volo facere. Volo ergo eas dictare, et prius eisdem episcopis ostendere, cum primo convenerimus, quam per Ecclesias Angliae dictatae et expositae mittantur. Nomina tamen rerum de quibus ibi locuti sumus, vobis mittimus, ut secundum quod recordati poteritis, nos de illis decrevisse sciatis . De illis qui ante excommunicationem vel post excommunicationem, nescientes eam factam, Sodomico peccato peccaverunt, par et similis erit sententia, si confitentes poenitentiam petierint. Quam secundum discretionem vestram dabitis, considerantes aetatem, peccati diuturnitatem, et utrum habeant uxores, an non; et secundum quod videatis eos poenitere, et deinceps integram correctionem promittere. Considerandum etiam est quia hactenus ita fuit publicum hoc peccatum, ut vix aliquis pro eo erubesceret; et ideo multi magnitudinem ejus nescientes, in illud se praecipitabant. Illi vero qui post excommunicationem cognitam se peccato contaminaverunt, graviori sunt multandi poenitentia. Quam etiam in vestra discretione secundum praedictas causas ponimus. De his qui

tonderi nolunt, dictum est ut ecclesiam non ingrederentur; non tamen praeceptum est ut, si ingrederentur, cessarent sacerdotes, sed tantum annuntiarent illis quia contra Deum et ad damnationem suam ingrediuntur. De calceamentis laicorum nihil decrevimus, sed tantum clericorum. De archidiaconibus et canonicis, qui uxores suas derelictas extra domos suas in maneriis suis ponunt; existimo interim, donec aliud statuatur, tolerandum, si certam promissionem fecerint se nullam conversationem cum illis habituros, nec sine legitimis testibus locuturos . De presbyteris qui timore non audent feminas suas relinquere, quod statutum est in concilio, servabitur, quia quandiu eas aliqua occasione tenebunt, nec missas celebrabunt, nec legales erunt, sed tantum usque ad initium Quadragesimae, si habuerint qui pro illis caste in ecclesiis serviant, beneficiis ecclesiae non privabuntur. Illos autem qui presbyteros propinquas suas dimittere prohibent, sicut eos qui contra Deum et contra Christianitatem agunt, arguite, et totum peccatum fornicationis presbyterorum illis imputandum ostendite, et nostram et omnium coepiscoporum nostrorum excommunicationem illis promittite.

EPISTOLA LXIII. ANSELMI AD BURGUNDIUM ET UXOREM EJUS RICHERAM.

Ut futurae vitae sint memores, et ad illius amorem sese invicem accendant.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, suis charissimis BURGUNDIO, et uxori ejus RICHERAE, salutem, et benedictionem Dei.

Qualiter me habeam nuntius vester melius poterit vobis verbis ostendere quam ego scribere. Nihil autem tantum me delectat mandare vobis, quantum ut curam habeatis de vobis. Exoneravit vos Deus, abstulit vobis omnem occasionem amandi hoc saeculum, et dedit vobis omnem opportunitatem amandi salutem vestram. Ponite quotidie ante oculos vestros finem vestrum. Cogitate intentissime cujus erunt et quid vobis proderunt quae post vos remanebunt. Cogitate quo ibitis, quid vobiscum portabitis, quid ibi quod praemissum sit a vobis invenietis. Certe non portabitis vobiscum nec invenietis ibi aliud quam merita vestra, sive bona sive mala. Videte quae merita praemisistis. Si plura bona quam mala, gaudere potestis. Si plura mala quam bona, quod non puto, multum debetis timere, praesertim cum multum necesse sit homini volenti salvari habere multo plura bona merita quam mala. Haec cogitate, haec inter vos die ac nocte, in secreto et in publico, tractate; haec sint colloquia vestra invicem: *Domine mi, amica mea, quid facimus? quid tardamus? prope est ultima dies nostra. Quodmodo expendimus vitam nostram? quomodo satisfacimus Deo pro peccatis nostris? Praeparemus nos, quasi videamus in proximo diem vocationis nostrae: et ita aptemus, ut securi eamus ad judicium; quia recepturi sumus sine dubio, prout gerimus in hac vita, sive bonum sive malum. Deus nos junxit in hac vita, faciamus ut nos simul jungat in aeterna vita; et*

videamus ibi prolem nostram, quam sibi Deus jam assumpsit. Haec sunt vestra studia, haec sollicitudo, haec suspiria vestra. Quod mando vobis per nuntium istum, ne veniatis ad me, nisi a me mandati per sigillum meum; vobis dico, domine et frater charissime Burgundi, suscipite bono animo, si me amatis. Omnipotens Deus regat corda vestra, et dirigat ad gaudia aeterna. Amen

391 EPISTOLA LXIV. HUGONIS LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPI AD ANSELMUM.

De incolumi suo reditu ex Hierosolymis.

Desideratissimo Patri suo ANSELMO, venerabili Cantuariensium archiepiscopo; HUGO Lugdunensis Ecclesiae servus, salutem.

Sanctitati vestrae notum esse volumus, meritis et intercessoribus vestris id obtinentibus, nos Hierosolymis incolumes rediisse. Quod vobis idcirco notificare dignum duximus, quoniam id vobis non ingratum fore credimus . Audivimus autem a rege Anglorum vos nimium inquietari, et multa contra Deum ejusque Ecclesiam ab eo inconsulte agi; unde divinam nos oportet implorare clementiam ut inimicos vestros, imo sanctae Dei Ecclesiae perturbatores convertat, et vestrae sanctae obedientiae subjiciat. Quod si,

peccatis nostris exigentibus, id ad praesens fieri non poterit, et, persecutione ingruente, vos cedere, aut etiam locum mutare, necesse fuerit, sanctitatem vestram submissis precibus exoramus ut ad puerum vestrum declinare non dedignemini, et ad domum vestram, quae vestra fuit, et quae modo vestra est, et de die in diem semper melius vestra erit. Quod non solum nos, sed et commissa nobis Ecclesia humiliter implorat, quae sanctissimis orationibus vestris nobiscum devotissime se commendat, et ad obsequium vestrum promptissima, faciem vestram videre desiderat. Praesentium gerulum, Elvredum nomine , vobis commendamus. Qui ab Apulia usque Lugdunum nobiscum veniens, fideliter nobis servivit.

EPISTOLA LXV. ANSELMI AD HUMBERTUM COMITEM ET MARCHIONEM.

Gaudet de acceptis ejus litteris, simulque beneficia ab illo in se collata perstringit. Et ut Ecclesiam tueatur, non vero illi dominetur, admonet.

Suo reverendo, et charissimo Domino UMBERTO , comiti, et marchioni, ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, fidele servitium cum orationibus.

Litteras a dignatione vestra mihi directas magno gaudio suscepi, quoniam honore, et amore, et opulentia bonae voluntatis plenas inveni. Quantus enim mihi est honor, cum vestra celsitudo, cujus se homines gaudent esse parentes mei, dignatur dicere me sibi consanguinitate copulari; quantus vero amor intelligitur, cum de tam longe mihi studet scribere se de bonis quae de me audit valde gratulari! Quantum etiam voluntas ejus bona in his quae Dei sunt coram Deo ferveat, aperte monstratur cum de bonis quae sola fama de longinquo regno audit, ad magnum gaudium et laetitiam excitatur. Utique licet ea quae de me vel de actibus meis bona referuntur, debeant, quantum in me est, nulla aut fere nulla judicari, vestra tamen benevolentia non minori quam si vera essent apud justum Judicem gratia meretur remunerari. Tantam utique gratiam vestram nescio me aliquo servitio meruisse, nisi quia, ut verum fatear, vestram prosperitatem vestrosquo successus scio me semper, etiam antequam vos vidissem, non ficto corde dilexisse. Memor enim me naturaliter a progenitoribus, vobis, ut Domino, debitorem esse, nunquam passus sum cordi meo vestrum amorem deesse. Nec sum oblitus quia cum Romam tenderem, benigna vestra largitas Lugduni prompta fuit me conducere atque necessaria quaelibet impendere. Qui amor multum crevit cognita per multos vestra vita et probitate, quia ad servandam pacem ac justitiam cum pietate utimini vestri principatus potestate. Quem etiam valde majorem habere me deinceps debere intelligo, quia hoc vestra mereri dignatur erga me dilectio. Quamvis non egeat vestra bona intentio nostra admonitione, ad me tamen pertinet ut epistola mea ad vos non sit sine aliqua exhortatione. Sicut enim ignem vento agitatum videmus exardescere, ita bona voluntas per exhortationem ad meliora

se solet accendere. Videtis, mi charissime domine, qualiter mater nostra Ecclesia Dei, quam Deus pulchram, amicam et dilectam sponsam sam vocat, a malis principibus conculcatur; quomodo ab his quibus ut advocatis ad tuitionem a Deo commendata est, ad eorum aeternam damnationem tribulatur; qua praesumptione in proprios usus ipsi usurpaverunt res ejus, qua crudelitate in servitutem redigunt libertatem ejus, qua impietate contemnunt et dissipant legem et religionem ejus. Qui cum dedignantur apostolici decretis (quae ad robur Christianae religionis facit) esse obedientes, Petro utique apostolo, cujus vice fungitur, imo Christo, qui Petro commendavit suam Ecclesiam, se probant esse inobedientes. Quaerant igitur qui vicarii Petri, et in eo Petri et Christi, decreta Christiana contemnunt, alias regni coelorum portas, quia certe per illas non introibunt quorum claves Petrus apostolus portat. Omnes namque qui nolunt subjecti esse legi Dei, absque dubio deputantar inimici Dei. Ergo, mi domine, ne putetis Ecclesiam quae in vestro principatu est vobis esse datam in haereditariam dominationem, sed in haereditariam reverentiam et in tuitionem. Eam ut matrem vestram amate, ut sponsam et amicam Dei honorate. Qui enim illam conculcant, extra illam cum daemonibus conculcabuntur; et qui illam glorificant, in illa et cum illa inter angelos glorificabuntur. Reverendam dominam meam, uxorem vestram, cum prole vestra saluto, quibus vobiscum nostras Ecclesiae nostrae orationes in vera charitate concedo. Omnipotens Deus sic vos in hac vita dirigat et protegat, ut in futuro ad aeternam beatitudinem provehat.

EPISTOLA LXVI. ANSELMI AD BURGUNDIUM ET RICHEZAM UXOREM EJUS.

Hierosolymam profecturum, quid sit acturus, monet. Ut generalem omnium ab infantia peccatorum confessionem praemittat : et ita res suas disponat ut uxorem non sine auxilio et consilio relinquat.

ANSELMUS gratia Dei archiepiscopus Cantuariae, fratri, et amico dilecto, BURGUNDIO, et uxori ejus, sorori suae RICHEZAE, salutem et benedictionem Dei, et suam, quantum potest.

Mandastis mihi, domine et amice charissime Burgundi, vos velle ire Hierosolymam pro servitio Dei et salute animae vestrae, et hoc vos velle facere concessione mea, et filii vestri, mei nepotis, Anselmi. Gaudeo de vestra bona voluntate, et consulo et precor, ut si hanc viam faciatis, nec vobiscum peccata quae fecistis portetis, nec domi peccatum relinquatis; et ut deinceps voluntatem bene vivendi, sicut verus Christianus vestri ordinis, habeatis. Facite confessionem omnium peccatorum vestrorum nominatim ab infantia vestra, quantum recordari potestis. Videte ne peccatum habeatis super uxore vestra, cujus bonitatem **392** vos melius cognoscitis quam ego; sel ita remaneat, ut sit non

sine auxilio et consilio, quidquid Deus de vobis faciat; nec expellatur a domo et honore vestro, contra voluntatem suam quandiu ipsa vivet, ut possit Deo servire pro salute corporis et animae vestrae, et pro anima sua et filiorum vestrorum. Disponite totam rem vestram, sicut faceretis si in praesenti vos moriturum et Deo redditurum rationem de tota vita vestra sciretis. Nostram licentiam quaeritis. Dei licentiam, et consilium, et auxilium, et protectionem, oro Deum ut in omnibus semper et ubique habeatis. Tibi dico, soror mea charissima, converte totam intentionem tuam et totam vitam tuam ad serviendum Deo; et quod Deus abstulit tibi omnem delectationem hujus vitae, crede quia ideo fecit ut in illo solo delecteris : illum ama, illum desidera, illum cogita, illi servi omnibus horis in omnibus locis. Omnipotens Deus vos semper ambos benedicat.

EPISTOLA LXVII. ANSELMI AD RICHERAM.

Quod nec in Angliam tuta conscientia redire possit, nec in ea pacifice vivere. Quodque filius ejus, nepos suus, sacratus sit.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, sorori suae charissimae, RICHERAE, salutem et Dei in omnibus tribulationibus ejus consolationem.

Scio, soror dilectissima, quia, excepto viro vestro, non est homo in mundo cujus salutem et prosperitatem tantum nosse et audire desideretis, quantum meam, et filii vestri Anselmi qui mecum est; ego enim sum unicus frater vester, et ille unicus filius vester. De his quae erga nos sunt, legati nostri plenius vos docere poterunt viva voce quam ego per litteras. Sciatis tamen quia filius vester, nepos meus charissimus, postquam a vobis discessit, longam et gravem aegritudinem passus, tandem, Deo miserante, integram sanitatem recepit. De me vero dico quia sanus corpore sum; sed in magnis tribulationibus versatur cor meum. Ita ut nec Angliam audeam propter timorem Dei fugere; nec in ea possim in ulla pace, aut tranquillitate, aut quiete vivere. Quotidie ita est cor meum suspensum, velut in proximo sim exiturus; sed quomodocunque sit de me, de vobis gaudeo, quia nuntii vestri mihi retulerunt vestram salutem et prosperitatem. Quoniam autem et prosperitas et adversitas hujus vitae breves sunt et transitoriae, istas contemnamus, et aeternam adversitatem fugere, et perpetuam prosperitatem mereri bene vivendo contendamus. Cum ergo, soror charissima, in hac vita non habeatis in quo cor vestrum possit delectari, convertite illud totum ad Deum, ut in futura vita de illo possit laetari. Vale. Si vir vester redierit, et ad me venire voluerit, mando ut nullo modo veniat.

EPISTOLA LXVIII. ANSELMI AD GUILLELMUM ARCHIEPISCOPUM ROTHOMAGENSEM.

Ut revocet abbatem S. Edmundi ab abbate S. Ebrulfi intrusum; et illi Ecclesiae res et homines, quibus injuste spoliata est, restituantur.

Domino et Patri reverendo, archiepiscopo Rothomagensi, GUILLELMO, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, fidele servitium cum orationibus.

Clamavimus, et iterum clamavimus, et adhuc clamamus ad Deum , et ad vos, et ad totam Ecclesiam Northmanniae, maxime ad episcopos et abbates, et omnes religiosas personas, de abbate coenobii Sancti Ebrulfi, qui quemdam suum insipientissimum juvenem, professione monachum in vita, ita, sicut jam vobis scripsimus, inordinate et irreligiose in ecclesia Sancti Edmundi pro abbate ingessit. Videte ne nobis necesse sit, ut familiariter reverendo meo Patri loquar, clamare ad Deum de vobis, ad quem pertinet hoc corrigere, si contemnitis. Dicit, ut mihi relatum est, idem abbas illum non esse suum monachum, sed de Sancto Severo. Sed secundum quod ipse in Anglia confessus est, sicut ab audiente didici, professus est ecclesiae suae, et ideo non est verum quod negat eum suum esse monachum. Denique ipse, quomodocunque sit de professione, ipse, inquam, Ecclesiam impedivit. Ipsum cogite, quantum ad vos pertinet et quantum potestis, ut eam expediat. Nimis chare vendidit nobis lupulum suum, ecclesiam rebus suis, et homines ecclesia sua, violentia, illis

nolentibus sine quorum consensu fieri non debuit, spoliavit, et talem monachum, qualem saepe vobis ostendi, in eamdem ecclesiam immisit; et ad injuriam Dei, et contumeliam monachici ordinis, ibi dimisit. Obsecro, facite ut reddat ecclesiae quos abstulit, et recipiat quos intulit. Valete.

EPISTOLA LXIX . ANSELMI AD PASCHALEM II PAPAM.

Protestatur Gualonem abbatem esse dignum episcopatu.

Reverendo domino et Patri PASCHALI, summo pontifici, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, debitam subjectionem, et fideles orationes.

Ecclesia Belvacensis vestro consilio directa, et auctoritate roborata

, domnum Gualonem abbatem Ecclesiae Sancti Quintini elegit, et electum desiderat sibi constitui episcopum. Est enim, in quantum humana potest judicare cognitio, sic aptus et utilis ad hoc in omnibus quae in eligendo episcopo consideranda sunt, ut melior et aptior in eadem Ecclesia inveniri nequeat. Sed quoniam desideranti nihil sufficit, donec quod desiderat assequatur, non est contenta eadem Ecclesia suis precibus, sed et aliorum, quos suum desiderium apud vestram celsitudinem adjuvare posse existimat, auxilium studiose postulat. Est enim experta in praeteritis

temporibus et in simili negotio multos esse quorum consuetudo est malum dicere bonum, et bonum malum, et quaerere plus quae sua sunt quam quae Jesu Christi; et qui acuunt linguas suas sicut serpentes : quos timet ne simulata columbina simplicitate suo veneno bonum incoeptum inficere et annihilare **393** contendant. Quamvis igitur longe nunc sim ab illa, tam propter familiarem dilectionem quam invicem habemus, et propter notitiam, instant mihi quatenus quid de ejusdem viri testimonio sentiam, sanctitati vestrae fideliter suggeram; et quantum in me est, apud eam, ut quod desiderant nulla occasione annihiletur, precibus, quibus possum, efficiam. De persona itaque quam eligunt, secundum conscientiam meam loquor, quia in praedicta Ecclesia ad episcopatum nec meliorem, nec aequalem inveniri posse intelligo, nec aliquid de illo aut fama, aut experimento, quod ejus obstet electioni, aliquando sensi; sed multa quae ejus electionem approbant, experimento et fama cognovi. Quapropter licet de vestra auctoritate, quod ex vobis est, non dubitemus, tamen quibus possumus mente ad vestigia vestra prostrati precibus flagitare praesumimus quatenus eidem Ecclesiae post multas, quas nostis, tribulationes quas passa est, misericordia vestra subveniat, et quod bene incoeptum est sine dilatione perficiat. Omnipotens Deus diu nobis vestram paternitatem in prosperitate conservet. Amen.

EPISTOLA LXX. ANSELMI AD ATHELIZ ABBATISSAM WINTONIENSEM.

Non esse tristandum de Wintoniensi episcopo propter justitiam expulso.

Anselmus archiepiscopus matri reverendae, et filiae charissimae ATHELIZ , abbatissae Wintoniensi, salutem et benedictionem.

Qualiter et cur dominus Willelmus electus episcopus de Anglia exeat non est opus hic scribere, quia per multos alios hoc potestis cognoscere. Quanto autem gaudio et cum quanta gratiarum actione, quia hunc honorem illi facit Deus, suscipere debetis, religio et prudentia vestra intelliget, si intente consideratis

. Major enim gloria et laus est illi apud Deum et bonos homines quia spoliatur et expellitur pro justitia, quam si omnibus divitiis et omni mundana possessione ditaretur, violata justitia. Gaudeant igitur et exsultent amici ejus, quia nulla violentia, nullo timore potuit superari, nec ulla cupiditate a veritate separari. Haec sit vestra de ejus expulsione consolatio, et ad hoc ut Deus illum corroboret et consoletur vestra quotidiana sit oratio. Saluto et benedico filias vestras, et meas, quantum possum. Valete.

EPISTOLA LXXI.

Oratorii villaeque suburbanae monachis Cantuariensibus ab Anselmo redditae, diploma.

Ego ANSELMUS, sanctae Dorobernensis Ecclesiae archiepiscopus, reddo monachis ejusdem Ecclesiae medietatem altaris Christi, quam in manu mea habebam post mortem praedecessoris mei Lanfranci archiepiscopi, qui eis aliam medietatem cognita veritate quod ad illos pertineret, in vita sua reddiderat. Similiter manerium quod Sistede vocatur eisdem monachis reddo, quoniam ad res eorum pertinere et pertinuisse scitur. Testes Willelmus Ecclesiae Christi archidiaconus, Haimo vicecomes, Haimo filius Vitalis, Robertus filius Watsonis , Wimundus homo vicecomitis, Radulfus nepos episcopi Gundulfi, et alii plures.

EPISTOLA LXXII. ANSELMI AD SAMUELEM DUBLINAE CIVITATIS EPISCOPUM.

Ipsum reprehendit quod res Ecclesiae suae pro libito det extraneis, et monet ut eas restituat.

Anselmus archiepiscopus Cantuariae, venerabili fratri , Samueli Dublinae civitatis episcopo, salutem.

Audivi quod libros, et vestimenta, et alia ornamenta Ecclesiae, quae dominus Lanfrancus archiepiscopus dedit avunculo tuo

domino Donato episcopo ad opus Ecclesiae cui tua fraternitas praesidet, tu, pro voluntate tua, exponis et ea extraneis das. Quod si verum est, miror cur ita facias, cum ipsa ornamenta non ei, sed Ecclesiae data sint, sicut fratres Cantuariensis Ecclesiae filii attestantur : unde moneo, et monens rogo te, quatenus si aliquid de praedictis rebus extra Ecclesiam datum est, celeriter illud restitui facias. Item audivi quod monachos qui in ipsa Ecclesia ad serviendum Deo congregati erant expellas et dispergas, nec redire volentes ullatenus recipere velis. Quod si ita est, non te decet; officii siquidem tui scitur esse magis dispersa congregare, quam congregata dispergere. Quapropter mando tibi ut si aliqui abjecti sunt, et redire volunt, seseque in Dei servitio sub obedientia custodire, eos suscipias; et saluti eorum per paternum affectum studiose intendas, nisi, quod absit! hujusmodi causa in illis obsistat quae hoc fieri omnino prohibeat. Praeterea audivi quia facis portari crucem ante te in via. Quod si verum est, mando tibi ne amplius hoc facias, quia non pertinet nisi ad archiepiscopum a Romano pontifice pallio confirmatum; neque decet te ut ulla praesumptione insolitae rei te notabilem et reprehensibilem hominibus ostendas. Vale.

EPISTOLA LXXIII. ANSELMI AD PASCHALEM PAPAM.

Obnixe deprecatur ut fiat certior de ratione investiturarum ecclesiasticarum.

Domino et reverendo PASCHALI, summo pontifici, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, debitam subjectionem et fidele servitium.

In primis quantas mea potest humilitas celsitudini vestrae gratias agit, quia legatos nostros tam benigne et honorifice suscepistis et tractastis, ut in hoc me de pietate vestra ultra meritum posse confidere, cognoscam. Chartam quam mihi a vestra majestate attulerunt, ea qua debui reverentia suscepi; sed rex Angliae nec eam videre, nec illam quam illi misistis, voluit mihi ostendere. Nam archiepiscopus Eboracensis et alii duo episcopi cum quibus legati nostri vestrae se exhibuere praesentiae, redeuntes aliud viva voce retulerunt quam scriptura chartae mihi praecipiebat. Asserunt enim publice in ea veritate quam servare debent episcopi, vos secrete verbis per eos mandasse regi quia si in aliis recte ageret, investituras Ecclesiarum nec prohiberetis, nec excommunicationi subjiceretis si eas faceret, sed hoc chartae nolebatis committere, ne forte alii principes, quibus hoc ipsum interdicitur, occasionem conquerendi inde possent accipere. Mihi quoque ex vestra parte in eadem episcopali veritate dixerunt ut illis de hac re crederem et eorum consilio me committerem. Ad quod si nollem acquiescere,**394** rex etiam me contradicente ex vestra auctoritate incunctanter, quod non prohibeatis, secundum libitum suum efficeret; et si in hoc quod charta vestra mihi jubebat, persistere vellem, me absque dubio de regno suo expelleret. Tandem cum nec litteris vestris vellem non credere, nec tandem episcoporum assertionem vestram praeferentium auctoritatem auderem contemnere, quoniam in utraque parte gladius mihi vibrabatur inobedientiae, eorumdem episcoporum consilio inducias petii,

donec a vestra excellentia hujus rei certitudinem acciperem, me tamen nullatenus assensum praebente ut aliquid contra decretum concilii Romani fiat, sed tantum tolerante, nec aliquem interim inobedientiae nota damnante, si fiat. Sic itaque rex vestra, ut putat, auctoritate episcopatus dat atque abbatias. Mente igitur ad vestra vestigia provolutus, quanto possum affectu, in magna angustia positus obsecro ut apostolicam erga animam meam experiar in vobis esse pietatem, et ad hoc impetrandum totius Romanae religionis supplex invoco charitatem. Non timeo exsilium, non paupertatem, non tormenta, non mortem, quia ad haec omnia Deo confortante, paratum est cor meum pro apostolicae sedis obedientia et matris meae Ecclesiae Christi libertate. Certitudinem tantum quaero, ut sciam absque omni ambiguitate quid auctoritate vestra tenere debeam. Audivi in Romano concilio a venerabilis memoriae domino Urbano excommunicari reges et omnes laicos, investituras et res Ecclesiarum dantes, et ab illis accipientes, et qui propter hoc eorum homines fiunt, et eos qui accipientes consecrant . Aut ergo, si sanctitati vestrae placet, hanc excommunicationem in Anglia absolvite, ut in ea possim manere sine animae meae periculo, aut eam vos servare velle quidquid mihi inde contingat, vestris litteris significate; aut si quid discretioni vestrae placet excipere, eadem certitudine nominatim quid illud sit intimate. De illis quoque qui intra praedictas inducias investituras prohibitas accipiunt et qui eos conseerant, quid mihi faciendum sit vestra instrui jussione desidero. In his quae per latores praesentium extra hanc chartam paternitati vestrae suggero, ut preces nostras dignetur non spernere suppliciter expostulo.

EPISTOLA LXXIV. PASCHALIS PAPAE AD ANSELMUM.

Ad praecedentem responsio.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, ANSELMO Cantuariensi, venerabili fratri et coepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Suavissimas dilectionis tuae suscepimus litteras, etc. Vide in Paschali II, ad an. 1118.

EPISTOLA LXXV. ANSELMI AD CONNIUM AMICUM SUUM.

Tres superbiae modos explicat, et subdividit.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, dilecto amico suo, domino CONNIO , salutem.

Exigit charitas vestra ut de tribus illis modis superbiae, de quibus vobis locutus sum, duos qui a memoria vobis exciderunt, per epistolam nostram commemorem. Tres quidem illos esse dixi : unum in aestimatione, id est, quando aliquis altius existimat de se quam debeat; contra quem

dicitur : *Noli altum sapere, sed time* **(Rom. XI, 20).** Et quem negat in se fuisse, qui dicit : *Domine, non est exaltatum cor meum* **(Psal. CXXX, 1),** et quae sequuntur. Alius est in voluntate, quando aliquis altius se vult tractari aliquo modo quam debeat; contra quem dicitur : **395** *Quomodo potestis credere, qui gloriam quoeritis ab invicem?* **(Joan. V, 44.)** Et : *Diem hominis non desideravi, tu scis* **(Jer. XVII, 16)**. Alius est in opere; contra quem dicit Dominus : *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco* **(Luc. XIV, 8).** Iste est quando homo seipsum tractat altius quam debeat. Contra singulos istos modos plura inveniuntur dicta in sacra Scriptura, si inquirantur. Contra omnes dicitur : *Qui se exaltat, humiliabitur* **(ibid. 11).** Et : *Superbis Deus resistit* **(Jac. IV, 6).** Et multa alia. De his tribus, quando singula quaeque sola est, illa levior quae in solo opere est , quia non fit nisi per ignorantiam; et tamen quia vitium est, corrigendum est. De aliis duabus illa quae est in sola voluntate damnabilior est, quia scienter peccat. Illa vero quae est in aetimatione, sola insanabilior est, quia non se ostendit et justa sibi videtur. Si ergo istae tres superbiae singulae considerentur, tres simplices possunt dici superbiae; si vero binae et binae intelligantur, tres duplices inveniuntur. Si vero tres simul conjungantur , erit una triplex; et si erunt septem, tres simplices, tres duplices, una triplex; et si erunt septem, tres simplices, tres duplices, una triplex. Contra istas superbias sunt membra humilitatis, id est, ut humiliter quis sentiat de se, et quantum ad tractatum et conversationem aliorum, humiliter velit de se, et ipse humiliter tractet se. Pro singulis modis superbiae dicitur homo superbus; sed pro singulis membris humilitatis, vel pro duobus, nisi omnia membra simul sint, non dicitur homo humilis; sicut uno

membro languente, dicitur homo aeger; sanus autem non dicitur, nisi sanus omnibus membris. Haec breviter commemoravi charitati vestrae. Quae si prudentia vestra saepius retractaverit, plenius ea intelliget quam hic dicta sunt. Valete et orate pro me, ut sicut Deus dedit mihi superbiam et humilitatem intelligere, sic mihi det illam cavere, et istam acquirere. Salutate dominum et amicum nostrum reverendum episcopum Atrebatensem ex parte nostra.

EPISTOLA LXXVI. ANSELMI AD ERNULFUM PRIOREM ET MONACHOS CANTUARIENSES.

Carnoti, ubi a comitissa et ab episcopo exceptus est, scribit de itineris sui prosperitate, et Cantuarienses ut religiosi instituti sint tenaces, hortatur.

ANSELMUS, gratia Dei archiepiscopus Cantuariae, dilectissimis filiis et fratribus domno ERNULFO priori, et aliis in Ecclesia Christi Cantuariae Deo servientibus, salutem et benedictionem Dei, et suam, quantum potest.

Qualiter me habeam et quid agam dilectioni vestrae significo. Gratia Dei, postquam iter nostrum incoepi, vestris orationibus me prosequentibus, ab omni adversitate sum usque in praesentem diem protectus. Romam tendens ea intentione qua de Anglia exivi, Carnotum usque perveni, ubi a comitissa sorore nostri regis, et ab episcopo, et a multis aliis cum gaudio et honore susceptus sum, sed de itinere meo tali tempore

incoepto valde mirati sunt. Dicebant enim propter nimietatem caloris, et quia isto tempore nullus peregrinus vadit, me nec Romam perventurum, nec amplius rediturum, quia aut manus inimicorum Ecclesiae Dei non possum effugere, aut propter imbecillitatem corporis mei tali tempore necesse esset me mortem incurrere. Sic itaque vi consilii sui me ultra progredi ad praesens non permiserunt, sed ut opportunum tempus, et quando peregrini vadunt, exspectarem, coegerunt. Sciens enim Scripturam divinam dicere : *Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis* **(Eccl. XXXII, 24),** timui ne si tam rationabili et amico consilio non acquiescerem, poenitentia sequeretur. Hac ratione, quamvis praedicta comitissa me in terra sua retinere, et omnia necessaria libentissime vellet impendere, reversus sum in Northmanniam, et exspecto ut congruo tempore hoc quod incoepi, si Deus annuerit, perficiam. Scitis, filii charissimi, desiderium meum de vobis; audistis saepe quid tribulationes meas consoletur in vobis. Si corda vestra soli Deo student vacare, si proposito quod fortiter arripuistis, velut boni in Christi vinea operarii strenue insudatis; si mundum vobis crucifixum et vos mundo vita vestra testatur; si non vobis, sed Deo, id est non vestrae, sed Dei voluntati vivitis; si etiam in minimis Deum valde timetis; si districtionem ordinis vestri amatis; quam qui odit, certissimo signo se vitiosum esse et dissolutionem diligere demonstrat : si pacem inter vos et obedientiam domino priori servatis, hoc est desiderium meum de vobis, haec consolatio et requies mea in vobis; haec cogitate, haec retractate et facite, si me laetificare, imo si Deum vobis vultis placare; haec vobis Spiritus sanctus persuadeat, et pro his gloriae suae visionem beatam exhibeat. Amen.

EPISTOLA LXXVII. ANSELMI AD EOSDEM.

Ejusdem argumenti cum praecedente.

ANSELMUS archiepiscopus, dominis fratribus charissimis, domino priori ERNULFO, et aliis servis Dei in Christi Ecclesia Cantuariae commanentibus, salutem et benedictionem Dei, et suam, quantum potest.

Gratia Dei vestris et aliorum amicorum nostrorum orationibus favente, ex quo a conspectu vestro discessi, omnia erga me et socios prospere fuerunt usque in praesentem diem. Precor autem ut, sicut de vobis confido, pro nobis orare non cessetis, quatenus sic nos et actus nostros divina clementia pro tegat et disponat, ut de omnimoda prosperitate nostra, nobis ad vos redeuntibus charitas vestra congaudere valeat. Quantum quidem ad nos pertinet, sicut dixi, omnia nobis prospere sunt; sed si vos in pace, et, sicut spero, in studio bene vivendi et salvandi animas vestras vivitis, secundum desiderium meum, tunc multo magis et verius augetur gaudium meum. Precor itaque quanto affectu possum, ut semper ad meliora solliciti sitis proficere, et nullatenus ab his ad quae vos Dei gratia provexit, deficere. Ad invicem secundum Deum dilectionis et concordiae dulcedinem servate, ordinis vestri districtionem sine simulatione amate, corda vestra ad societatem angelorum , propter quam bene vivitis, sine intermissione levate : in omni difficultate et adversitate temporali,

si contigerit, ne bonum studium vestrum aliquatenus perturbetur, consolationem Dei orando sperate. Ubicunque estis, sive in conspectu hominum, sive tantum in conspectu Dei, a quo nunquam abestis, in omnibus actionibus vestris, magnis vel parvis, etiam in cogitationibus cum Psalmista animas vestras in manibus vestris semper portate. Omnipotens Deus sic vos protegat in omnibus, et dirigat, ut ad aeternam beatitudinem per temporalem prosperitatem perducat. Amen. Nepotem meum Anselmum charitati vestrae, sicut carnem meam, commendo, ut et discere valeat, et vitam suam custodiat. Domino Roberto, qui custodit domum nostram praecipio ut totum vinum nostrum quod Cantuariae dimisi, vos tribuat, et secundum voluntatem domini prioris in vestrum usum expendat.

396 EPISTOLA LXXVIII. ANSELMI AD GONDULFUM ARCNIEPISCOPUM.

Regem non debere a monachis aut Ecclesia vecuniam exigere.

ANSELMUS archiepiscopus reverendo episcopo GONDULFO salutem.

Audivi quia dominus noster rex a priore et monachis nostrae Ecclesiae petit pecuniam, quam ipsi non habent nec habere possunt, quoniam, sicut mihi mandatum est, creditoribus non modicam debent pecuniam, et propter indigentiam in his quae

sibi necessaria sunt, magnam patiuntur angustiam. Ad opus etiam ecclesiae incoeptum, dimidium quod constitueram habere nequeunt; et si haberent, nec regem decet ab illis aliquid exigere, qui nihil nec seipsos habent, sicut monachi, nec ad illos pertinet aliquid dare vel accommodare quod eorum non est. Unde vobis mando et precor ut regi precando suadeatis quatenus omnia nostra in pace, donec redeam, quieta manere jubeat, sicut promisit, quia si Deus, secundum quod proposui, mihi prospere redire concesserit, serviam ei sicut debeo domino et regi meo. Quod si fecerit, gratias agam Deo et illi; si vero preces nostras non audierit, et aliquid unde doleam facere voluerit, faciet, sicut dominus, quod illi placebit , sed non mihi videbitur facere quod debebit . Non enim ego et monachi divisi sumus, sed omnia quae illorum stabilita sunt utilitati, mea sunt, et meae subjacent potestati; et si ipsi indigerent, quidquid haberem, eorum deberem expendere necessitati. Quare cum omnis mundana adversitas pro suo modo et ratione tangat animum meum, illa utique quae illos contristat, profundius laedit cor meum; et vos scitis quia tam inauditae insuetae rei assensum praebere non debeo; et quoniam non debeo, non audeo, ut a monachis , absque praelato suo, pecunia exigatur : et ideo non mihi nec alicui expedit ut haec consuetudo in Ecclesiam Dei aliquo assensu introducatur.

EPISTOLA LXXIX. ANSELMI AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

Hortatur regem ut coelesti Regi obediat.

HENRICO, domino reverendo, glorioso regi Anglorum, ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae fidele servitium cum orationibus.

Gratias ago Deo, a quo est omne bonum, de vestra incolumitate et hilaritate, et quia vestros successus ad majora et meliora cum vestra et vestrorum fidelium laetitia provehit. Gratias etiam ago vestrae celsitudini, quia haec mihi mandare dignata est, sicut fideli suo de quo confidit, quia in omnibus suis prosperitatibus congaudet, et illi cujus dispositione fiunt, gratias agit. Verum enim est quia hic quotidie orat et desiderat meum, ut Deus vos et vestra sic regat et protegat in gloria temporalis regni super Anglos, quatenus in aeterna felicitate regnare faciat inter angelos. Hoc utique est, ad quod maxime vobis servire cupio. Quapropter quia ad me pertinet, ad hoc enim positus sum, ut fidelis et episcopus consulo, precor, et sicut scriptum est, obsecro opportune, importune, ut, sicut Deus vestram auget prosperitatem et exaltat potestatem, ita vos super omnia ejus ametis in omnibus operibus vestris servare voluntatem. Quod sic vos Deus diu in hac vita in prosperitate facere concedat, ut post hanc vitam secum in aeternitate gaudere faciat. Erga me, Dei gratia, cuncta prospere sunt; et ante Assumptionem sanctae Mariae de Becco proficiscar, ut, secundum quod Deus annuet, prosequar propter quod de Anglia egressus sum. De nostris rebus, quamvis hoc esse in vestra bona voluntate , confidam, rogo tamen ut eas in quiete manere jubeatis, donec redeam.

EPISTOLA LXXX. ANSELMI AD ERNULFUM ET MONACHOS CANTUARIENSES.

De clericis in monachos recipiendis.

ANSELMUS archiepiscopus, domno priori ERNULFO et aliis fratribus Ecclesiae Christi Cantuariensis, salutem et benedictionem Dei, et suam, quantum potest.

De hoc unde mihi mandastis respondeo. Si qui clerici, qui Ecclesiae et sibi utiles esse possunt, se ad ordinem suscipi petunt, et vos ita perpenditis esse, laudo ut eos suscipiatis; nec in hac re volo dubitetis de voluntate mea, quia scitis mihi displicere tales ad vos non ita venire sicut vellem. Vale.

EPISTOLA LXXXI. ANSELMI AD MATHILDEM REGINAM.

De sua incolumitate, et designato tempore itineris Romani.

Suae charissimae dominae MATHILDI, reginae Anglorum, ANSELMUS archiepiscopus, fidele servitium et supernae gratiae continuam protectionem.

Non ignoro quod dignationis vestrae benignitati placet nosse quid mihi sit et quomodo me habeam. Gaudens igitur et gratias agens de tam bona vestra voluntate notifico vobis quoniam ex quo Anglia exivi, Dei misericordia me, et quae ad me pertinent, in integra disposuit prosperitate. Usque nunc moratus sum Becci, exspectans opportunum tempus iter agendi; sed in proximo, ante Assumptionem sanctae Mariae, inde proficiscar, intentione quod incoepi, Deo annuente, peragendi. Didici nuper quia Deo regni domini mei regis et vestri dignitatem placet exaltare, et ea quae ad placitum ejus et vestrum ac fidelium vestrorum non erant, secundum vestram voluntatem ad honorem et utilitatem vestram reparare : unde sicut fidelis, et sicut bona vestra in praesenti et in futura vita desiderans, gaudeo, et superno Regi a quo vobis haec proveniunt, ago gratias ut debeo ; et ut semper bona quae dedit intemerata custodiens, vos ad majora et meliora sub sua gratia provehat, oro et desidero. Quoniam igitur officii mei est vos exhortari ad coelestis regni desiderium, hortor, precor. consulo, quanto affectu possum, ne plus vos delectet in terreni regni transitoria gloria exsultare quam ad coelestis regni felicitatem aeternam anhelare. Quod utique veraciter et efficaciter facere poteritis, si ea quae vestrae potestati subdita sunt, plus secundum Dei consilium quam secundum consilium hominum disposueritis. *Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum***(I Cor. III, 19),** ut ait vera Scriptura; et : *Sapientia carnis inimica est Deo, quoniam legi Dei non est subjecta***(Rom. VIII, 7).** Haec consulite, haec secrete et publice intimate domino nostro regi, et saepe repetite, et quantum ad vos pertinet, studiose retractate. Transit enim, ut soletis dicere, gloria mundi. Et utinam Deus

vos ambos post transitoriam gloriam transire faciat ad aeternam. Amen.

397 EPISTOLA LXXXII. ANSELMI AD ARNULFUM ET MONACHOS CANTUARIENSES.

Ut Cantuarienses monachi non turbentur, sed quieti Deo serviant, quidquid rex egerit.

ANSELMUS archiepiscopus dominis et fratribus et filiis charissimis, domno priori ERNULFO, et aliis sub illo monachis Deo servientibus, salutem et benedictionem Dei, et suam, quantum potest.

De salute et prosperitate nostra, et ubi sim per praesentem nuntium cognoscetis. Ad praesens autem in Angliam redire nequeo, donec sciam quid rex respondeat litteris quas illi mitto per episcopum Rofensem. Quid autem in illis contineatur, postquam regi erunt ostensae, per eumdem episcopum cognoscetis. Quidquid autem rex respondeat, vel quidquid de me sit, mementote quia*sive vivimus, sive morimur, Domini sumus* **(Rom. XIV, 8).** Sic igitur vivite, ut et illi vivatis, et cum moriemini, ad illum transeatis. Non vos perturbent tribulationes hujus vitae, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* **(Act. XIV, 21).** Jactate cogitatum vestrum in Domino, et ipse vos enutriet, non dabit in aeternum fluctuationem justis. Orate Deum, bene vivendo, non mentes

vestras turbando, ut in sua semper vos consolatione faciat laetari. Pueros et adolescentes, ut filios dulcissimos hortor et moneo, quanto possum affectu, ut monitionis et doctrinae qua eos de cordis et cogitationum custodia solebam instruere, non obliviscantur, sed consilium nostrum saepe retractando, sicut eam studiose magnificare et commendare illis solebam, per gratiam Dei custodire nitantur. *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras* **(Philip. IV, 7).** Gratias vobis ago pro charitate quam impendistis nepoti nostro, et illi praecipio ut vobiscum maneat, et doctrinis ac litteris studeat, donec ego sibi mandem ut veniat.

EPISTOLA LXXXIII. ANSELMI AD EUSTACHIUM.

Is, uxore ex ejus consensu reclusa, alteram sibi adjunxerat; de quo peccato illum corripit.

ANSELMUS archiepiscopus , servus Ecclesiae Cantuariensis, EUSTACHIO patri Gaufredi monachi Beccensis salutem.

Domnus Gaufridus, filius vester, sollicitus de salute animae vestrae, et timens damnationem vestram, rogat me ut ostendam vobis in quanto periculo maneatis. Dicit enim quia uxori vestrae, matri ejus , licentiam ut saeculum relinquens sanctimonialis fieret dedistis, et castitatem corporis vestri Deo

vovistis, sed postea aliam mulierem accepistis, unde filium genuistis. Quod si ita est, scitote absque ulla dubitatione quia si in hoc peccato de hac vita exit anima vestra, omnino perdita erit, nec ulla spes ejus salutis, sive ante diem judicii , sive post diem judicii erit. Videat igitur vestra prudentia quam grave malum sit perdere vitam aeternam et societatem angelorum, et pati tormentum aeternum in societate diabolorum. Videte etiam quam periculosum sum sit et quanta insipientia in tali re differre correctionem, sine qua certam potestis exspectare perditionem. Quandiu enim in hoc peccato maneatis, ira Dei manet super vos; et sicut peccatum quanto diutius manet, tanto magis crescit, ita ira Dei in dies magis super vos exardescit. Consulo igitur et precor, sicut Christianus Christianum, et sicut amicus amicum, quatenus de tam gravi peccato et tam magno periculo exire non differatis, ne forte de hac vita ad mortem et tormentum aeternum transeat anima vestra qua hora non putatis. Consulo etiam ut filii vestri domini Gaufridi de hac re accipiatis consilium, si unquam a Deo vultis habere salutis auxilium. Nam etsi non promisistis castitatem vestri corporis quando uxori licentiam dedistis ut sanctimonialis fieret, nullo modo tamen sine eo peccato et periculo quod supra dixi, violare eamdem castitatem in vobis possetis quandiu uxor eadem viveret .

EPISTOLA LXXXIV. ANSELMI AD MATHILDAM ABBATISSAM CADOMENSEM.

Haec se debiliorem persentiens consulit Anselmum an onus deponere debeat. Respondet ipse quod ex consensu comitis et archiepiscopi Rothomagensis ac sanctimonialium laudabiliter possit; sin autem, partiatur onera sua, et ea sapientioribus sororibus committat quae explere ipsa non sufficit.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, dominae et reverendae matri abbatissae Cadomensi, MATHILDAE, semper divinae gratiae regi consilio.

Petit sanctitas vestra per domnum Robertum, fratrem Eustachii, nostrum consilium de abbatia vestra, quam idcirco deserere, si vobis liceret ut alii commendaretur, velletis, quoniam eam propter infirmitatem et aetatis imbecillitatem, sicut oportet, regere non valetis. Quod quia fieri non potest, nisi per comitem et archiepiscopum Rothomagensem, et episcopum vestrum, et consensum sanctimonialium vobis commissarum, inde vobis nullum impendere possum auxilium ; sed quoniam hoc petitis , quale possum mando consilium. Tentate si per eos ad quos pertinet, desiderium vestrum, sicut vobis expedire videtur, potestis efficere; et si nequitis, sororibus, quae membra vestra sunt. illis scilicet in quibus majorem prudentiam et religionis fervorem cognoscitis, earum rerum in quibus vires vestrae deficiunt, praecipiendo, rogando, exhortando curam injungite. Nam si etiam contingeret ut tales personas in quibus secundum desiderium vestrum possitis confidere, non haberetis, quod in Ecclesia vestra esse non spero, vestra tamen reverentia, si illas eligeret quas ad hoc meliores et aptiores cognosceret, excusabilis apud Deum, quoniam melius non posset, sicut credo, existeret.

EPISTOLA LXXXV ANSELMI AD GONDULFUM EPISCOPUM ROFENSEM.

Eum de Cantuariensis Ecclesiae negotiis sollicitum laudat. Episcopum Eboracensem non vult inauditum et absentem damnare.

ANSELMUS archiepiscopus reverendo et diligendo episcopo Rofensi GONDULFO, semper et omnibus in Deo placita velle et operari.

Primum gratias ago Deo quia, sicut mandastis, omnia nostra et vestra ubique prospere subsistunt; **398** deinde vobis, cujus prudentia et cura reguntur. Dei gratia postquam de Anglia exivi, omnia erga me et ea quae ad me pertinent ad votum meum disponuntur. De debitis quae solvistis, si et debita de Romascot in his sunt, gaudeo; et promissionem vestram de redditibus nostris cum actione gratiarum exspecto. Bene fecistis, quia verba quae inter regem et vos fuerunt de me et itinere meo, et de epistolis quas sibi et mihi a papa missas dixi, et de legatis ad imperatorem mihi mandastis. Sed scitote quia ego nec litteras, nec ullam legationem ab apostolico habui, postquam a vobis discessi, nisi quod per Tiberium mihi mandavit verbis et litteris

ut eum de Romascot adjuvarem. De litteris autem papae ad regem nihil scio, nisi quod vos mihi mandastis. Si autem alicubi mansurus sum et per legatum meum sim facturus quod incoepi, nondum sum certus. De Gerardo archiepiscopo Eboracensi non debeo in tali re aliquid absens de absente et inaudito definire, praesertim cum ipse crimen illatum neget; et ideo non audeo dare consilium, ne consilium meum ab aliquo pro definitione accipiatur. Quapropter si vobis videtur, de hoc apud regem, omnino ex mea parte, nisi ipse a vobis requisiverit, quod vobis mando, si melius non potestis, respondete. De lite quae est inter nostros et homines Roberti de Monteforti, precor ut faciatis per regem, ut aut pax integra, aut treviae inter eos, donec redeam, ponantur. De omnibus nostris rebus intus et foris, curam, sicut hactenus fecistis, habeatis, et sicut scitis me in vobis confidere, precor. De rebus ac familia Roberti nutritii vestri, qui mecum est, gratias ago, quoniam ea contra adversarios ejus sicut illi mandatum est, defenditis; et instantissime precor ut omnia quae ad illum pertinent quieta manere omnino faciatis, et hoc ipsum Guillelmo de Metestante ex mea et vestra parte praecipiatis. Dico enim vobis quia malo in meis propriis quam in ejus rebus aliquam pati injuriam. Deo annuente, ante Assumptionem sanctae Mariae de Becco proficisci volo, et in festivitate apud Carnotum esse; et deinde, sicut Deus disponet, vestris orationibus prosequentibus, iter nostrum peragere. Quod nonnulli me reprehendunt de familiaritate quam habeo ad illos quos rex non diligit, scitote quia nihil facio contra honorem ejus aut unde juste reprehendi debeam. Propter rixas quae fiunt de ecclesia de Hergas, jubete Rodulfo praeposito ut eam teneat in manu mea donec

redeam, et interim inveniat qui in ea serviat. Omnipotens Dominus vos et vestra sub sua gratia custodiat, et vos semper in viam salutis dirigat. Amen. .

EPISTOLA LXXXVI . ANSELMI AD HENRICUM REGEM ANGLORUM. *Gratulatur regi de se sollicito.*

Suo charissimo domino HENRICO, glorioso regi Anglorum, ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, fidele servitium cum orationibus.

Gratias magnas ago celsitudini vestrae pro amore magno quem erga me vos habere ostendistis, et propria sollicitudine quam de me sicut de fideli vestro habetis, scilicet ne in itinere incoepto propter imbecillitatem et infirmitatem corporis mei nimio laboris gravamine deficiam. Sed jam usque in vallem Moriannae progressus eram, quando vestram suscepi epistolam, unde timui ne domino papae displiceret si, tanta parte itineris perfecta, remanerem, et nullum mihi responsum per legatos faceret, nisi ad eum, sicut incoepi, ipse pervenirem . Didici enim per litteras, quas mihi per Tiberium misit, quia si possibile esset libenter mecum loqueretur . Sperans itaque in Deo, secundum quod in me sentiebam et de itinere jam peracto expertus eram, quia laborem itineris possem subsistere; quod quia me non posse timebatis, me remanere volebatis, existimavi bonum esse per meipsum hoc pro quo Anglia exivi, sicut proposui, perficere, nisi forte aliquid obviaverit cui rationabiliter nequeam resistere.

Omnipotens Deus sic vestrum regnum terrenum in gaudio vestro diu regat et corroboret super Anglos, ut post hanc vitam vos regnare faciat inter angelos. Amen.

EPISTOLA LXXXVII . ANSELMI AD GERONTONEM ABBATEM.

Clericus in duabus Ecclesiis obstrictus sacramento religionis, in qua debeat manere? Expedit propter plures causas eum Carnoti remanere quam ad Gerontonem remeare.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, reverendo abbati et amico suo GERONTONI salutem.

Quidam monachus, sicut ab illo didici, alligatus Ecclesiae vestrae per quamdam professionem quam in habitu clericali vobis fecit, et similiter monasterio Sancti Petri, quod Carnoti situm est, ubi habitum monachi assumpsit per aliam professionem, dicit se nullatenus posse habere solutionem a vobis neque ab abbate Carnotensi, ut vel in Carnotensi monasterio vel in vestro animam suam salvet; quod facere nequit nisi aut a vobis aut ab abbate Carnotensi absolutus fuerit. Consideret igitur prudentia vestra quia non expedit nec decet vos abbates ut animam ejus quisque sibi trahendo scindatis, sed in vobis esse maternam pietatem, et plus vos diligere animam proximi quam propriam voluntatem ostendatis. Ille enim se magis ostendit esse matrem, qui dicet alteri : Habeto tu solus infantem vivum, nec ambo eum occidamus, ut cum venerit verus Salomon, dicat : *Date huic*

infantem vivum, haec est enim mater ejus. Nam vera mater mavult filium suum in alieno sinu vivere, quam in suo mortuus fovere. Notum autem sit sanctitati vestrae quia sicut cognoscere potui, magis expedit propter plures causas eum Carnoti remanere quam ad vos remeare. Unde, si auderem, religioni vestrae consulendo suggererem quatenus vos non falsam, sed veram matrem esse probaretis. Valete.

EPISTOLA LXXXVIII . ANSELMI AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

Quid responderit papa ad consultum de sacerdotiorum collatione; quodque Anselmus papae sit pariturus.

Suo reverendo domino HENRICO regi Anglorum ANSELMUS Cantuariensis archiepiscopus, fidele servitium cum orationibus.

Quamvis per Willelmum de Warelwast cognoscatis quid Romae fecerimus, tamen quod ad me pertinet, breviter ostendam. Romam veni, causam pro qua veneram domino papae exposui. Respondit se nequaquam velle dissentire a statutis antecessorum suorum, et insuper praecepit mihi ut nullam **399** haberem communionem cum illis qui de manu vestra investituras acceperunt Ecclesiarum, post hujus prohibitionis notitiam, nisi poenitentiam agerent, et sine spe recuperationis quod acceperant desererent, neque cum episcopis qui tales consecrarunt, nisi ad apostolicae sedis judicium se praesentarent . Horum omnium testis potest esse

praedictus Willelmus, si vult. Qui Willelmus, quando ab invicem discessimus, ex vestra parte commemorans amorem et benignitatem quam semper erga me habuistis, submovit me sicut archiepiscopum vestrum ut talem me facerem quatenus sic intrarem in Angliam, ut sic esse possem vobiscum sicut fuit antecessor meus cum patre vestro, et vos me eodem honore et libertate tractaretis, qua pater vester antecessorem meum tractavit. In quibus verbis intellexi quia nisi me talem facerem, reditum meum in Angliam non velletis. De amore quidem et benignitate gratias ago.

Ut autem ita sim vobiscum sicut antecessor meus fuit cum patre vestro, facere non possum, quia nec vobis homagium facere, nec accipientibus de manu vestra investituras Ecclesiarum propter praedictam prohibitionem me audiente factam audeo communicare. Unde precor ut mihi vestram, si placet, mandetis voluntatem; utrum sic, quemadmodum dixi, possim in pace vestra et officii mei potestate redire in Angliam. Paratus enim sum et vobis et populo divina mihi dispositione commisso officii mei servitium pro viribus et scientia mea, servata regulari obedientia, fideliter exhibere. Quod si vobis non placuerit, puto quia si quod animarum detrimentum inde contigerit, mea culpa non erit. Omnipotens Deus sic regnet in corde vestro ut vos per omnia regnetis in gratia ejus. Amen .

EPISTOLA LXXXIX . ANSELMI AD FRATRES CANTUARIENSES.

De suo reditu in Angliam a Cantuariensibus monachis peroptato.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, dominis fratribus et filiis charissimis in Christi Ecclesia Cantuariae conversantibus salutem et benedictionem Dei, et suam, quantum potest

De reditu nostro dulce desiderium vestrum, quia de dulcedine dilectionis procedit , gratanter accipio, amo et approbo, etiamsi aliter Deus disponere voluerit quam sicut ego vobiscum desidero. Saepe enim Deus servorum suorum vitam ordinat contra hoc quod mens humana, quamvis suo sensu intentione bona, desiderat. Sicut enim aurum in fornace probatur, ita mentes electorum suorum igne tribulationis examinat. Quod si vobis ejus paterna correctione aut probatione contigerit, nolite deficere, sed ex ipsa tribulatione, sicut filii, studete proficere. Non est enim inusitatum servis Dei in hac peregrinatione adversitatibus multimodis concuti, quoniam non sunt de hoc mundo; et quanto magis hic vexantur, tanto magis mundum cognoscunt, et ad requiem transire desiderant de hoc mundo. Quapropter moneo et precor vos ut filios charissimos, quatenus, si res exegerit, quanto attentius vos hostis hominum a statu religionis vestrae dissipare tentaverit, tanto vos ad servitium Dei colligere strictus studeatis. Sic namque contra hostem fortius pugnabitis et Dei auxilium efficacius impetrabitis. De his non est necesse me vobis multum scribere, quia Dei gratia vos haec scitis, et testimonia Scripturarum vobis sunt praesentia : et domni prioris, si illi credere volueritis, vobis consulere et vos confortare poterit sapientia. Quod petitis ut domno priori committam totam curam animarum vestrarum,

secrete et publice, donec ego ad vos redeam, hoc utique feci et facio, sicut mihi ipsi, ut ipse secundum sapientiam quam Deus sibi dedit, et secundum zelum domus Dei quem in corde gerit, judicet et disponat, puniat et parcat, quatenus animae in innocentia nutriantur, et vitia quantum possibile est, Deo adjuvante, radicitus de domo Dei exstirpentur et excludantur. Scio quia singuli nostram desideratis absolutionem; sed quoniam singulis hoc facere mihi nunc possibile non est, omnibus vobis Dei et nostram, quantum in me est, opto, oro. mando. absolutionem et benedictionem. Disciplinam ordinis vestri semper amate : pacem inter vos et obedientiam ad priorem inviolabiliter servate. Dominus sit semper vobiscum. Amen.

EPISTOLA XC ANSELMI AD ERNULFUM.

Ejusdem argumenti.

ANSELMUS archiepiscopus reverendo et charissimo fratri, domno priori ERNULFO, salutem et gratiam Dei.

Quod vos et amici nostri doletis quia rediens Roma in Angliam non veni, hoc facit dilectio ; sed quod pastoralem curam sine ulla ratione relinquere videor, non hoc aestimant sapientes religiosi quibus rem ostendo, neque ego intelligo. Non enim ego eam, quantum in me est, relinquo, sed ibi ubi eam me exercere oporteret, conversari sicut vos, si diligenter intenditis, cognoscere potestis, nequeo. Audistis enim quibus

ex praecepto Apostoli communicare non possim sine animae meae periculo ; quorum communionem regi communicans, dum ipse eis communicat, vitare non valeo. Hic consideret aliquis quid facere possim , cum veniam ad regem coronandum, et missam celebrabo, et ipsi circa me erunt. Certe illos expellere nequeo, cum illis orare non audeo, regi subtrahere solitum officium non debeo, quoniam dominus papa et illi concedit, et mihi, ut faciam si praesens sum, praecipit. Si mihi dixit ut domi maneam, ad curiam non eam, et sic me alia bona officii mei faciens a communione malorum abstineam, conqueretur rex cum omnibus episcopis et principibus suis , quia cum illum coronare nolo, aufero ei coronae suae honorem, quem ei primas regni sui debet per consuetudinem. Unde justum illis videbitur, et opere complebunt, ut dignitas Ecclesiae nostrae ad aliam Ecclesiam transferatur. Quod cum fiat, me vivente, in regno, neque per me aut per alium prohibere potero, confirmabitur Ecclesiae nostrae intolerabilis imminutio. Quod autem dicunt quod non oportuerit eum pro uno verbo fugere, qui suum sanguinem pro ovibus suis et pro Ecclesia Dei debuerit effundere, dico quid non est parvipendendum illud verbum, in quo tam gravia mala continentur quae jam dixi , in quae sine periculo animae meae et sine detrimento Ecclesiae mihi commissae nullatenus me possum ingerere. Denique non timeo sanguinis effusionem, aut quamlibet corporis mei destructionem, aut rerum amissionem. Quae si personae meae evenirent, libenter paterer propter veritatis assertionem. At nihil horum super me cadet; sed Ecclesiam nostram et homines ad eam pertinentes, si in Anglia cum rege contenderem, gravis oppressio frustra contereret, et multitudo vexatorum ad culpam meam aerumnas suas, me exsecrando, converteret. Melius itaque

mihi videtur ut me absente quaelibet tribulatio, si vitari nequit, in Anglia debacchetur, quam per meam praesentiam **400** et tolerantiam quaelibet prava consuetudo in futurum confirmetur; aut multitudo hominum, me aspiciente, propter me tribulationem se pati lamentetur. Si objicitur quod majus est damnum animarum quod continget propter meam absentiam, quam malum temporale quod contingeret per meam praesentiam, et ideo istud propter illud esset contemnendum, jam dixi quia, si super me venerit, inconcussam servarem patientiam. Verum quoniam non debemus facere mala ut veniant bona, non debeo attrahere super quoslibet innocentes quaelibet mala ut animabus aliorum eveniant bona. Dixi utique in praeterito anno, cum me minarentur expellere, quia nollem exire propter injunctam mihi curam et obedientiam; sed et hoc dicebam propter illos qui hoc minabantur, ne pro solis verbis illorum exirem, non propter aliquam utiliter remanendi fiduciam. Mox enim ut discordia et contentio inter regem et me appareret, pariter et mala corporalia ferverent, et bona spiritualia penitus frigerent. Quod imponitur mihi, quia quasi astute infamaverim regem et regnum ejus, et episcopum Lincolniensem, non per me manifeste, sed latenter per monachos nostros, certe falsum est, quia nullus homo a me ad hoc monitus est. Sed nec ipsi fratres nostri Eadmerus et Alexander, qui maxime de hoc accusantur, ita sicut de eis dicitur, cognoscunt esse; et vos scitis quia delatores, parvis magna addentes, mendaces solent esse : denique antequam nos veniremus Romam, multa dicebantur de Anglia intra Romam et extra Romam. In his omnibus neque per me, neque per sapientiores me, meliori possum uti consilio quam dispositionem Dei exspectare et rem ejus committere judicio. Hoc autem scitote quia voluntas

mea est ut, adjuvante Deo, nullius mortalis homo fiam, nec per sacramentum fidem alicui promittam. Consilium nostrum petitis quid agere debeatis inter eos et cum eis quorum communionem mihi dominus papa interdixit. Quae res ita dubia est, ut minus difficile sit non communicare eis quibus rex communicat, praesertim cum mihi soli Romae a papa ista interdicta sit communio; nec audeo praecipere ut illis communicetis, quibus ego non communico; sed si ita permanseritis sicut vos dimisi, nequaquam vos reprehendo. Non enim potestis a toto regno discordare, nec participes estis eorum malitiae si quis a vobis petierit quod honestatem et religionem vestram non deceat ; praemeditati estote ne aut minae, aut blanditiae, aut aliqua astutia persuadeant vobis aliquid unde vos postea poeniteat. Consilium et curam fratrum, quidquid contingat, propter Deum et charitatem proximi nolite deserere, nisi vos violentia de Ecclesia expulerit. Si ingruerint adversitates et tribulationes, tunc fortiores estote, et in tentatione fratribus vestris nolite deficere. Si quis exegerit ab aliquo monacho Ecclesiae nostrae sacramentum, aut fidei alligationem, aut pactum aliquod quod contra ordinem sit, propter tenendam aliquam potestatem, quam dicimus obedientiam, considerate et in quantum possibile est, et in quantum scitis, avertite malitiam . Quidquid futurum sit, Dei tuitioni vos et omnes fratres nostros cum omnibus quae ad Ecclesiam nostram pertinent commendo.

EPISTOLA XCI . ANSELMI AD ANTONIUM SUBPRIOREM.

Eum laudat et admonet.

ANSELMUS archiepiscopus fratri et filio charissimo ANTONIO subpriori, salutem et benedictionem.

Gaudeo et gratias ago Deo et vobis pro bono zelo quem habetis, et quia ordinem vestrum libenter custoditis, et ut alii illum servent, strenue studetis. Precor autem, sicut saepe precatus sum. ut in hoc bono proposito perseveretis, quia Deo gratum est, et ab eo praemium bonum reportabitis. Est quiddam unde olim quosdam audivi conqueri. Dicunt enim quia aliquando cum fit ante vos proclamatio de quibusdam negligentiis, quae sine mala intentione possunt intelligi, et solius levitatis culpae imputari , dilectio vestra in pravam suspicionem in audientia eas interpretatur; veluti sunt signa, aspectus et similia, in quibus nulla malitiae certitudo deprehendi potest. Moneo ergo vos ut dilectum dilectorem meum, et consulo, ut filio charissimo, ne hoc faciatis, nisi cum res ita aperta fuerit ut a malitia excusari non possit. Nocet enim multum. Potestis enim culpam pro sola violatione ordinis acriter punire, et omnem pravam suspicionem, quando probari nequit, avertere. Sic autem et vos diligent, et se sine verecundia corrigent. Vale.

EPISTOLA XCII . ANSELMI AD GONDULFUM.

Grates persolvit episcopo de se bene merito

ANSELMUS, Dei dispositione archiepiscopus, reverendo et charissimo coepiscopo GONDULFO, salutem et quod melius sit et potest.

Gratias ago vobis pro bene factis magnas, sed multo majores pro vestra bona voluntate, quae semper plus facere vult quam possit. Bonum desiderium vestrum de reditu nostro, et consilium de vera dilectione procedens amo et laudo; sed de effectu ejusdem voluntatis certum quid promittere non audeo; sed Dei ordinationi, cui subjacent omnia, me et quaecunque de me sunt, commendo. Ipsum oro, et omnes amicos meos rogo, ut orent quatenus ipse me in beneplacito suo disponat, nec unquam voluntatem meam ambire de sua voluntate permittat. Hoc autem scitote quia spero in Deo, et haec est voluntas mea, ut nunquam pro reditu in Angliam aliquid contra honestatem episcopalem scienter faciam. Malo autem hominibus non concordare, quam, illis concordando, a Deo discordare. Consilium quod petitis quid vobis faciendum sit, si dominus meus rex et ego non concordamus, in litteris prioris breviter mandavi. Hoc tantum ad praesens dico, nullae, minae, nulla promissio, nulla astutia a religione vestra extorqueat aut homagium, aut jusjurandum, aut fidei alligationem. Si quid horum aliquis exegerit, haec sit vestra responsio : *Christianus sum, monachus sum, episcopus sum; et ideo omnibus volo fidem servare secundum quod unicuique debeo.* Quidquid aliud vobis dicatur, his verbis nec addatis quidquam, nec minuatis, quod ab hac sententia discedat. Hoc ipsum **401** de me dico, nec super haec aliquid addere, vel de his minuere, adjuvante Deo, volo. Filios vestros

et nostros, et filias, sicut scitis, salutate, et ut nostri memores sint orate.

EPISTOLA XCIII . MATHILDIS REGINAE ANGLORUM AD ANSELMUM.

Regio digna pectore et sanctis affectibus plena.

Domino vere summo et Patri ANSELMO, Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, MATHILDIS, regina Anglorum, humilis ancilla ejus, summae devotionis et servitutis obsequium.

Converte, domine sancte, Pater misericors, planctum meum in gaudium mihi, et circumda me laetitia. Ecce, domine, humilis ancilla tua misericordiae tuae genibus devoluta, supplices ad te manus tendens, consuetae postulat benignitatis affectum. Veni, domine, veni, et visita servam tuam veni, inquam, Pater, et gemitus meos leni , lacrymas absterge, dolores mitiga, luctus tolle ; imple desiderium meum, vota secunda. At, inquies, lege prohibeor, et quarumdam necessitatum vinculis tentus seniorum decreta transgredi non praesumo. Quid igitur, Pater, est, quod doctor ille gentium, vas electionis, cum totus in legis evacuatione sudaret, nunquid non in templo, ne scandalum esset his qui ex circumcisione crediderant, hostias immolavit? Nunquid, qui circumcisionem damnabat, Timotheum ipse, ut omnibus omnia fieret, non circumcidit ? Quid ergo faciet misericordiae filius, discipulus ejus, qui ut servos redimeret, ipse in mortem se obtulit. Vides,

ecce vides fratres tuos, conservos tuos, populum Domini tui jam naufragia sustinentem, jam labantem in ultimis, nec succurris, nec porrigis dexteram, nec objectas te discrimini. Nonne optabat Apostolus anathema esse a Christo pro fratribus suis? Flecte itaque, bone domine, pie Pater, severitatem hanc; et ferreum, pace tua dixerim, pectus emolli; veni et visita plebem tuam; et inter eos, ancillam tuam, totis ad te visceribus anhelantem. Inveni viam qua nec tu pastor, qui praecedis, offendas, nec regiae majestatis jura solvantur. Quod si haec simul constare non valeant, veniat saltem. veniat ad filiam Pater, ad ancillam dominus, et doceat eam quid agere debeat. Ingrediatur ad eam antequam egrediatur de mundo. Si enim antequam moriar mihi te non videre contigerit, improbe loquar, timeo ne mihi etiam in illa terra viventium et laetantium omnis exsultandi praecidatur occasio. Tu siquidem es gaudium meum, spes mea, refugium meum. Anima mea sicut terra sine aqua tibi; unde et expandi ad te manus meas, ut ariditatem ejus exsultationis oleo perfundas, et dulcedinis ingenitae rore riges . Si autem nec te fletus mei, nec publica vota sollicitant, postposita regia dignitate, relictis insignibus, deponam fasces, diadema contemnam, purpuram byssumque calcabo, et vadam ad te moerore confecta. Amplectar vestigia tua, pedes exosculabor, nec amovebit me, si veniet Giezi, nisi cum desiderii mei summa complebitur. Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat cor tuum et intelligentiam tuam, et faciat misericordiae visceribus abundare.

EPISTOLA XCIV. HENRICI REGIS ANGLORUM AD ANSELMUM.

Dolet Anselmum sibi pertinaciter reluctari. Misisse se ad apostolicum significat, et se interim consentire ut de beneficio Cantuariensis Ecclesiae convenienter habeat.

HENRICUS, rex Anglorum, ANSELMO, Cantuariensi archiepiscopo, salutem et amicitiam.

Mandasti mihi quod ad me venire non poteras, nec mecum esse, sicut Lanfrancus antecessor tuus cum patre meo multis annis fuit; unde valde doleo quod facere non vis, quia si facere voluisses, libenter te susciperem, et omnes illos honores, et dignitates, et amicitias, quas pater meus antecessori tuo fecit, tibi fecissem. Dominus vero apostolicus mandavit mihi litteris suis preces et admonitiones super quibusdam rebus. Quapropter volo legatos meos Romam mittere, et consilio Dei et baronum meorum domino papae inde respondere, et hoc requirere quod mihi requirendum est. Et accepto responso a papa, mandabo tibi hoc quod mihi Deus annuerit. Interim autem consentiam quod tu de beneficio Cantuariensis Ecclesiae convenienter habeas; quamvis hoc invitus facio, quoniam nullum mortalem hominem in regno meo libentius mecum quam te habere voluissem, nisi in te remansisset, teste Roberto episcopo Lincolniensi et Willelmo.

EPISTOLA XCV . ANSELMI AD HENRICUM.

Est ad praecedentem rescriptum.

HENRICO, Dei gratia regi Anglorum, et domino suo, ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariensis, fidele servitium et orationes.

In litteris vestrae celsitudinis quas nuper accepi mandavit mihi vestra dignatio amicitiam, et quia nullum mortalem hominem in regno vestro libentius habere quam me velletis, si ego vellem ita vobiscum esse sicut Lanfrancus archiepiscopus fuit cum patre vestro. De amicitia et de bona voluntate gratias ago. Ad hoc quod dicitis de patre vestro et archiepiscopo Lanfranco respondeo quia neque in baptismo, neque in aliqua ordinatione mea promisi me servaturum legem vel consuetudinem patris vestri, aut Lanfranci archiepiscopi, sed legem Dei et omnium ordinum quos suscepi. Quapropter si vultis me sic esse vobiscum ut possim vivere secundum legem Dei et ordinem meum, et si me revestitis secundum eamdem legem Dei de omnibus rebus quas de archiepiscopatu meo accepistis, postquam a vobis discessi, quas si praesens essem non deberetis me nolente accipere, et hoc mihi promittitis, paratus sum redire ad vos in Angliam, et servire Deo, et vobis, et omnibus mihi commissis, secundum officium mihi a Deo injunctum, ipso adjuvante. Siquidem cum nullo alio rege aut principe mortali, volo tam libenter esse aut ei servire. Si autem hoc nequaquam suscipitis, vos facietis quod vobis placebit; ego vero, Deo annuente, non abnegabo regem ejus. Et non audeo, quoniam non debeo tacere vobis quia non

solum **402** requiret Deus a vobis quod debet illi regia potestas, sed quidquid pertinet ad primatis Angliae ministerium. Quod onus nimis est vobis importabile, nec vobis debet displicere quod dicam. Nulli homini magis expedit quam regi se subdere legi Dei, et nullus periculosius se subtrahit a lege ejus. Dicit enim sacra Scriptura, non ego : *Potentes potenter tormenta patientur; et fortioribus fortior instat cruciatus* **(Sap. VI, 7);** quod Deus a vobis avertat! In responso vestro quod mihi jam bis fecistis, nihil intelligo nisi quamdam, si audeo dicere, quae nec animae vestrae nec Ecclesiae Dei expedit, dilationem. Si ergo ad haec respondere vestrae voluntatis certitudinem diutius differtis, ego, quia causa non est mea, sed Dei mihi ab ipso commendata, timeo diu differre clamorem ad Deum facere. Quapropter precor, obsecro, ne me cogatis dolentem et invitum clamare : *Exsurge, Deus, judica causam tuam* **(Psal. LXXIII, 22).** Omnipotens Deus cito convertat cor vestrum ad voluntatem suam, ut post hanc vitam introducat vos in gloriam suam.

EPISTOLA XCVI. MATHILDIS REGINAE ANGLORUM AD ANSELMUM.

Quantum se Anselmi litterae exhilararint exponit.

Pie recolendo Patri, et digne reverendo domino suo, ANSELMO archiepiscopo, MATHILDIS, Dei gratia regina Anglorum, minima sanctitatis ejus ancilla, perpetuam in Christo salutem.

Indesinenti vestrae bonitati, quae, mei non immemor , litteris praesentatis, absentis vestri praesentiam exhibere dignata est, gratias innumeras refero. Tristitiae quippe nebulis quibus

obvolvebar expulsis , verborum vestrorum me rivulus, tanquam novae lucis radius, perlustravit. Chartulam quidem a vobis missam loco Patris amplector, sinu foveo, cordi quoad possum, propius admoveo, verba de dulci bonitatis vestrae fonte manantia ore relego, mente retracto, corde recogito, recogitata in ipso cordis arcano repono. Ubi digne laudatis omnibus, hoc solum miror quod de nepote vestro excellentia vestrae discretionis inseruit. Non enim mihi judico quidquam facere aliter vestris, aliter meis, aliter scilicet meis quam meis; vestri quippe genere sunt, mei adoptione et dilectione; vestrae vero scripturae consolatio patientiam mihi corroborat, spem facit et servat, quae relevat me cadentem, sustinet labentem, laetificat dolentem, mitigat irascentem pacatque flentem. Ea mihi namque frequenter secretoque consulens spondet filiae reditum Patris, ancillae domini, ovi pastoris. Spondet autem itidem confidentia quam in orationibus bonorum hominum habeo, et benevolentia quam ex corde domini mei solerter investigans perpendo. Est enim illi erga vos animus compositior quam plerique homines aestiment, qui [f. add. Deo] annuente, et me qua potero suggerente, vobis fiet commodior atque concordior. Quod vobis in praesenti de redditibus vestris fieri permittit, idem et melius ampliusque in futurum, cum ex re et tempore postulaveritis, fieri permittet. Ubi quamvis amplius quam aequum judicem [f. ad. decet] sibi teneat, oro tamen vestrae pietatis affluentiam ut, excluso amaritudinis humanae rancore, qui vobis inesse non assolet, dilectionis vestrae dulcedinem ab illo non avertatis, imo vero

apud Deum pro ipso et me, et communi sobole, et regni nostri statu pium vos intercessorem exhibeatis. Valeat vestra semper sanctitas.

EPISTOLA XCVII . ANSELMI AD MATHILDEM REGINAM.

Proximis respondet litteris.

Dominae reverendae, filiae charissimae, MATHILDI, gratia Dei reginae Anglorum, ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariensis, fidele servitium, et orationes, et benedictionem Dei, et suam, si quid valet.

Gratias ago immensas celsitudini vestrae, amando eam et orando pro ea, pro immensitate sanctae dilectionis vestrae erga parvitatem meam, quam intellexi in litteris vestris. In quibus satis ostenditis quanto me affectu diligatis, cum chartulam meam taliter, sicut scripsistis , suscipitis et tractatis : ubi etiam adeo me dignatio vestra sublimat, ut quod natura mihi negat, gratia vestra tribuat, cum eos qui mei sunt genere, vestros esse adoptione et dilectione pronuntiat. Quod desiderio reditus mei nitimini cor domini mei regis erga me mitigare, facitis quod vos decet et quod illi expedire intelligo. Si enim erga me aliquam cordis amaritudinem habet, nescio me unquam hoc aliquo modo, quantum in me est, meruisse. Et si aliquando illi servivi, ipse scit, et puto quia non tradet oblivioni. Si ergo me aliquatenus odit sine causa, expedit illi ut hunc a se rancorem expellat, ne peccet coram Deo. Promittis mihi quod de redditibus nostris, de quibus

aliquantum mihi permittit habere, melius et amplius in futurum permittet; unde benevolentiae non debeo esse ingratus, quia, quantum in vobis est, bona voluntate hoc facitis. Sed non deberet esse opus ut haec mihi fieret promissio, quia contra voluntatem meam nulla debet mihi de illis fieri prohibitio aut diminutio. Et qui illi consulit ut aliquid inde sibi assumat, non leve peccatum, neque tale quod unquam tolerari debeat, illi consulit. Qui enim episcopum suis rebus ita spoliat, nullo modo reconciliari Deo poterit, nisi illi integre omnia sua restituat. Et scitote quia tantumdem est mihi de qualibet parva parte quantum si de toto spoliatus fuero. Non enim hoc dico amore pecuniae, sed amore Dei justitiae. Orat vestra benignitas ut dilectionem meam a rege non avertam, sed pro illo, et pro vobis, et prole vestra, et regni vestri statu intercedam. Quod utique hactenus feci; de futuro autem, Dei me committo dispositioni, apud quem filius non portat iniquitatem patris, nec uxor viri. Et spero in Deo, quia nullum cordis rancorem habeo adversus aliquem unde mecum non habeam Deum. Omnipotens Deus vos et prolem vestram semper in sua gratia custodiat.

403 EPISTOLA XCVIII . ANSELMI AD GUILLELMUM EPISCOPUM WENTONIENSEM.

Quod non possit nocere adversario comiti ob injurias sibi ab eodem illatas.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, GUILLELMO dilecto dilectori suo, electo episcopo Wentoniae, salutem et benedictionem Dei , et suam, quantum valet, atque divino semper regi consilio et protegi auxilio.

Nuntius vester causam vestram, pro qua ad nos missus est, reverendo domino et Patri nostro Hugoni Lugdunensi archiepiscopo, et mihi simul, sicut praecepistis, retulit; et ego eidem Patri nostro litteras quas mihi misistis, ostendi. Ipso itaque jubente, pro illo et pro me in istis litteris respondeo. Utique gaudemus et gratias agimus Deo pro vestra in veritate constantia, et quia non quaeritis consilium, nisi quod Deo placeat et honestatem vestram et ordinem, ad quem electi estis, deceat. Rem totam, sicut idem nuntius vobis narravit, quanto diligentius potuimus, adhibitis aliis prudentibus et religiosis viris, pertractavimus, et consilium quod petitis, Deum invocantes ut nos dirigeret, concordi sensu consideravimus. Cujus consilii, in quantum intelleximus, haec est summa, videlicet, utrum de castello quod de comite Roberto tenetis, possitis fratri ejus regi Henrico contra eumdem comitem deservire, propter injustitias quas idem comes vobis facit, sicut mandastis. Quod nequaquam coram Deo et coram justis hominibus licite fieri posse intelligimus. Nam, etiamsi vos de hoc absolvit, quod illi debeatis per hominium, aut per fidem promissam, sive per aliquam com munem conventionem, non vos potuit absolvere de hoc quod Deo et proximo propter Deum debetis per Christianam religionem. Quapropter intelligimus quia non debetis praefatum comitem de hoc quod de illo habetis exhaeredare et haereditatem ejus inimico suo tradere. In hoc quoque vos multum oportet intendere quod nondum vestra dilectio

suscepit episcopi consecrationem, et si hoc faceretis quod a vobis rex exigit, nullus posset exstinguere exsecrabilem famam, quia hoc factum esset propter episcopatus, quem perdere timeretis, redemptionem. Quamobrem quoniam providemus bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, avertat Deus hoc a vobis, neque unquam permittat tam pravum exemplum ulla opinione exire de vobis. Quod autem a rege praedictum castellum, sicut homo ejus eratis, accepistis, nullo modo cognoscimus vos ad hoc astringi ut eum eodem castello contra comitem uti permittatis, si ei hominium non nisi salvo ordine fecistis. Denique, sicut nullus homo aliquid contra Deum debet promittere, ita promissum nullatenus debet perficere, nec aliquis hoc recte potest exigere. Quaedam alia per istum nuntium viva vobis voce referenda mandamus. Salutat vos praedictus dominus et Pater noster, sicut amicus amicum. Vale.

EPISTOLA XCIX. MATHILDIS REGINAE ANGLORUM AD PASCHALEM II PAPAM.

Gratias agit pro litteris hortatoriis ad conjugem datis.

Summo pontifici et universali papae PASCHALI, MATHILDIS, Dei gratia Anglorum regina, ita dignitatis apostolicae jura dispensare temporaliter, ut cum justitiae manipulis in perpetuae pacis gaudiis apostolico senatui mereatur ascribi perenniter.

Sanctitatis vestrae sublimitati, o vir apostolice, etc. *Vide in Paschali II, ad an.* 1118.

404 EPISTOLA C ANSELMI AD ORDUVINUM.

Gratulatur monacho suae famae studioso, quidque obtrectatoribus suis respondeat, suggerit.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariensis, fratri et filio charissimo ORDUVINO, salutem, et benedictionem.

Gratias ago dilectioni tuae quia sollicitus es de mea fama, et quaeris quid respondeas falsis calumniatoribus meis quaerentibus occasiones adversum me. Dicunt, ut scripsisti mihi, quia prohibeo regem dare investituras; et quod pejus est, permitto ut scilicet mali et perversi clerici invadant et vastent ecclesias, nec ascendo ex adverso. Dicunt quoque quia ego do ecclesias laicis. Dic eis quia mentiuntur. Non enim ego prohibeo per me a rege dari investituras ecclesiarum, sed quia audivi apostolicum in magno concilio excommunicare laicos dantes illas investituras et accipientes, et qui accipientes sacrabunt, nolo communicare excommunicatis nec fieri excommunicatus. Clericos vero nec volens, sed dolens tolero ecclesias opprimere, et in tantum ex adverso ascendo, ut pro hoc sim in exsilio et rebus episcopatus exspoliatus. Non enim quod objiciunt de clericis fieret, si investiturae, quibus ex adverso ascendo, non fierent. Ecclesias vero non do laicis,

cum do eis mea maneria ad firmam; sed commendo ut eas custodiant, non ut clericum in eis ponant aut inferant, nisi per me, aut archidiaconum nostrum, aut per priorem in maneriis Ecclesiae nostrae. Nequissime itaque improperant mihi, quia aliena curo, mea negligo, quoniam non hoc dicunt amore veritatis, sed obstruunt os meum loquens pro veritate. Vale.

EPISTOLA CI . ANSELMI AD FRATRES CANTUARIENSES.

Quo debeant esse animo Cantuarienses monachi in calamitatibus quas se absente tolerant.

ANSELMUS archiepiscopus, fratribus et filiis charissimis in Christi Ecclesia Cantuariae Deo servientibus, salutem et benedictionem Dei, et suam, quantum potest.

Scio desiderium vestrum et tribulationem quam in praesenti sustinetis, et quia majorem in futuro timetis. De qua re nullum vobis melius potest dari consilium quam ut penitus intendatis in Dei servitium. Sive enim vos probet Deus per tribulationem, sive corripiat, sive exerceat, semper ad haec debet respondere vestra ad bene vivendum instantia. Per hanc enim quam fortes sitis, et quam vere illum diligatis, monstratis; per hanc illum pacatis, per hanc exercitari ad majora proficitis, ut altiora dona mereamini sicut purgati. Cessent igitur in vobis vaniloquia, exstirpetur omnis detractio, suffocetur murmuratio, exstinguatur impatientia, evanescat

inutilium curiositas, expellatur otiositas, annihiletur mussitatio, evacuetur indignatio, et pro qualibet offensione mentis quiescat commotio, eliminetur negligentia, exterminetur invidentia. Exsecrabile sit quidquid a vestris discordat, amabile sit quidquid monachicis institutionibus concordat; ferveat obedientia, et omnium virtutum, quae supradictis et aliis repugnant vitiis, studium et diligentia. Scrutetur unusquisque diligenter vitam suam secretam et publicam, et si invenit unde, festinet ad condignam satisfactionem, ne forte pro ejus culpa flagellet Deus totam congregationem. Saepe enim hoc faciunt divina judicia ut magna multitudo perturbetur unius culpa. Unde si nimis longum non esset, exempla plura proferri possent. Finem faciam hujus nostrae allocutionis, quia et plures ex vobis Scripturas intelligitis, et habetis dilectissimum fratrem nostrum dominum priorem Ernulfum , qui haec et alia scit, et potest dicere vobis. Omnipotens Deus dignetur vos ab omnibus malis emendare, et faciat bonis omnibus abundare, et post hanc vitam in suo regno exsultare. Sit super vos Dei benedictio, et tribuat vobis omnium vestrorum peccatorum remissionem. Amen. Reditum nostrum ad vos quando futurus sit ad praesens nescio, sed spero in Deo quia non erit in vanum oratio vestra

EPISTOLA CII . ANSELMI AD QUOSDAM MONACHOS APOSTATAS.

Apostatas monachos in claustrum reversos monet ut non verecundia poenitentiam abjiciant.

ANSELMUS archiepiscopus, fratribus et filiis charissimis WLFRICO, PHILIPPO, WILLELMO, salutem et benedictionem Dei et suam.

Audivi quia persuasione serpentis antiqui, cujus astutia primos parentes nostros de paradiso ejecit, claustralem paradisum et religiosam conversationem, quantum ad vos, deseruistis, et valde dolui; sed consolatus sum et laetificatus, quia non clausit Deus vobis ostium paradisi, ne ultra in illud intraretis, sed potius vos misericorditer coegit, ut ad requiem relictam rediretis. Si autem pro hac misericordia quam vobis invitis fecit, gratias illi agitis, et non tantum coram omnibus ore, sed etiam coram Deo corde correctionem promittitis, agam vobiscum gratias Deo, et omnem rancorem quem de culpa vestra concepi, expellam de corde meo. Moneo igitur vos, ut filios meos, quatenus illam pravam et diabolicam voluntatem quam habuistis, poenitendo coram Deo de corde vestro penitus expellatis; neque occasione alicujus verecundiae postquam vos Deus ad se revocavit, mentem vestram indiscrete confundatis; sed sperantes in hoc quia Deus poenitentes benigne suscipit, in bona voluntate et amore vestri ordinis quiescatis. Solet enim contingere ut, quoniam diabolus, Deo miserante et servum suum defendente, non potest de eo quod incoepit perficere, ad aliam se convertat astutiam; et quem, sicut incoepit, dejicere nequit, dejiciat per immoderatae verecundiae impatientiam. Coram Deo tantum admiramini quomodo hoc velle potuistis, et erubescite, et coram hominibus ex bona conscientia confortamini, et confidite. Per bonam conversationem ostendite omnem

pravam voluntatem alienam esse a vobis; et sic facietis ut nulla memoria sit aliis de hoc quod fecistis, et nulla prava suspicio de vobis. Omnipotens Deus vos et a praeteritis culpis absolvat, et in futuro sine fine ab omni peccato custodiat. Amen.

405 EPISTOLA CIII . ANSELMI AD WARNERUM.

Ut sanctum propositum non despiciat quod timore mortis incoepit, sed sancto amore in illo proficiat; eum curae ac consiliis Ernulphi prioris committit, consulitque ut legat suam ad Lanzonem epistolam.

ANSELMUS archiepiscopus WARNERO salutem et benedictionem Dei, et suam, et bono incoepto optimam subsequi consummationem.

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui te, fili charissime, in periculo mortis animae et corporis sua gratia visitavit, et ad utriusque vitam misericorditer revocavit. Cogita et considera quantum signum suae dilectionis Deus tibi fecit, cum te non solum fugientem, sed et contemnentem se, et sibi ad mortem tuam adversantem, ad se redire et sibi velle servire paterna cura coegit. Ne aestimes unquam quod tibi minus valeat quod incoepisti, ideo quia timore mortis coactus, et non spontanea voluntate es attractus. Non enim pensat Deus tantum quo initio vel qua occasione homo bonum inchoat, quantum qua

voluntate, qua devotione gratiam Dei impensam sibi servat. Nam Paulus apostolus coactus conversus est ad fidem Christianam; sed quoniam toto corde fidem servavit, et in ea cursum consummavit, repositam sibi coronam justitiae gaudendo in dictis suis nobis indicavit. Habes tecum charissimum fratrem meum dominum priorem Ernulfum praesentem, qui non minus quam ego tibi et scientia et voluntate. potest consulere, et te mea auctoritate absolvere. Deo et illi te committo; illi post Deum tu ipse te nostro consilio et nostra jussione committe. Gratia Dei litteratus es; scientiam quam Deus in amore saeculi te permisit acquirere, ad amorem Dei, a quo habes si quid habes, converte, ut pro gloria terrena, ad quam per litteras tuas anhelabas, gloriam aeternam adipiscaris, quam aut contemnebas, aut tepide desiderabas. Consuetudines nostri ordinis quem es ingressus, quasi a Deo constitutas studiose serva, quia nulla inutilis est, nulla supervacua. Consulo tibi ut quaeras epistolam quam ego feci domino Lanzoni, quando novitius erat **(lib. I, ep. 29).** Ibi enim invenies qualiter te in principio conversionis debeas habere, et tentationibus novitium impugnantibus respondere. Absolutionem et remissionem omnium peccatorum tuorum, quantum possum, oro ut Deus tibi tribuat; et sic te in proposito incoepto nutriat, ut te ad gloriam aeternam perducat. Amen.

EPISTOLA CIV . ANSELMI AD RAYNALDUM.

Solatur pium vexatum, qui episcopatum in quem invitus intrusus fuerat, pro veritate rejecit.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, RAYNALDO , sapienter veritatem vanitati praeponenti, fortiter gloriam transitoriam pro honestate contemnenti, viriliter paupertatem superanti, salute et gratia Dei semper protegi et confortari.

Petit dilectio tua ut aliquam tibi mandem consolationem : quod ego libenter facio, quemadmodum te magis decere et tibi coram Deo prodesse intelligo. Conscientia tua, virtus tua, perseverantia tua sit in conspectu Dei consolatio cordis tui. Fortiter egisti, quando episcopatum, in quem non secundum Deum invitus intrusus es, pro veritate rejecisti. Non intendat cor tuum ut hoc Deus tibi praemium virtutis retribuat quod pro veritate contempsisti. Pretiosior est valde virtus quam servasti quam quod pro illa respuisti. Valde igitur decoloras pulchritudinem tuam coram Deo, si quod vile et transitorium est, in praemium et consolationem exspectas ab eo. Non dico quod episcopatum habere non debeas, aut illum non merueris, sed moneo ut in conscientia tua de gratia in qua te Deus stare fecit, gaudeas, et tribulationem et consolationem tuam solius Dei dispositioni committas. Memento quod Spiritus sanctus dicit : *Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* **(Psal. XXVI, 14).** Cum sentis necessitates et paupertates circa te fervere, tunc certus esto Deum gratiam suam tibi multipliciter augere. Hanc desidero esse consolationem tuam, in hoc desidero ut confirmes spem tuam. *Tunc educet Dominus quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum, tanquam meridiem* **(Psal. XXXVI, 6).** Quia nescio quid Deus de me dispositurus sit, nihil ex me in consolationem audeo promittere, sed voluntatem meam quam mihi Deus dedit et tu meruisti,

possum ostendere. Certe si, Deo dante, aliquando opportunitatem habuero, et secundum corpus et secundum animam tibi prodesse desidero. Omnipotens Deus continua sua te protectione et consolatione gaudere faciat, frater mi charissime. Amen.

EPISTOLA CV. AD GUILLELMUM WINTONIENSEM EPISCOPUM.

Hortatur eum ut qua coeperat animi firmitate in ecclesiasticarum sanctionum observatione perseveret.

ANSELMUS archiepiscopus dilecto dilectori suo GUILLELMO, Wintoniensi episcopo, salutem et in omnibus gratia Dei custodiri.

Quamvis per gratiam Dei de vestra confidam constantia, tamen quia indesinenter desidero ut nunquam a rectitudine flectamini, sed semper ad meliora proficiatis, ex abundantia cordis delectat me dilectionem vestram exhortari. Omnes qui contra sinceritatem honestatis et justitiae suggerunt, venenosi serpentes sunt, filii serpentis antiqui. Rogo igitur vos, ut dilectum amicum, et consulo, ut filio charissimo, ut si quis hujusmodi vobis aliquid contra consilium Dei consulere voluerit, nunquam tantum insibilet auribus vestris promittendo, minando, blandiendo, rogando, ut mentem vestram invenenet persuadendo. Vos scitis quia Dominus reprobat consilia principum, consilium autem Domini manet in aeternum. Hoc ideo dico quia non dubito antiquum hostem

quem fortiter in rectitudine perseverando confudistis, multimodis astutiis inquirere quomodo statum et famam vestrae honestatis possit subvertere, et laudem quam, Deo adjuvante, adepti estis, in derisum, quod Deus avertat, convertere. Nihil nominatim vobis unde caveatis, significo, quia nihil quod aliquatenus honestatem decoloret, coram Deo parvipendendum existimo. Omnipotens Deus sic vitam vestram semper et ubique in omnibus protegat et muniat, ut nullo modo aliquis hostis vester de aliquo naevo pulchritudinis vestrae rideat. Amen.

406 EPISTOLA CVI . ANSELMI AD GUNTERIUM CANONICUM S. QUINTINI.

Eum licet quietis amantissimum, tamen, si electus est, debere fratribus ver obedientiam servire et abbatis onus subire.

ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, dilecto fratri et amico GUNTERIO canonico Sancti Quintini, salutem et Dei semper regi consilio.

Sicut audio, cum fratres vestri Bellovacenses canonici Ecclesiae Sancti Quintini non temere, sed ob multas rationes dominum Odonem , qui modo vester abbas dicitur, volunt ab hac praelatione removere, et vestram fraternitatem loco ejus substituere; sed timent ne vestra religio propter amorem quietis quam nunc habetis, non velit intentioni eorum facile consentire. Quoniam ergo sciunt vos meam humilitatem

diligere, et sperant vos plus meo quam quorumdam consilio credere, rogant me quid inde sentiam vestrae charitati ostendere. Utique, si in corpore Christi invicem sumus alter alterius membra, et maxime in una religiosarum personarum Ecclesia, qui non permittit nec vult ut alia membra et totum corpus se utantur ut suo membro, non video quomodo possit se probare membrum illius corporis; et si corpus illud est corpus Christi, quomodo se ostendat esse membrum Christi. Est et aliud, quia nemo, si recte se tractat, sibi soli vult vivere; sed sicut desiderat et credit, si membrum Dei est, omnia commoda aliorum membrorum sua erunt in futura vita; ita debet velle ut si quid boni est in se, aliorum sit in praesenti vita. Consulo igitur, quantum in me est, et precor, frater et amice charissime, ut si tota vestra congregatio, vel melior pars, consilio reverendorum episcoporum Ivonis Carnotensis et Galonis Parisiensis , qui Patres vestri fuerunt et vos nutriverunt, vos instanter elegerit ad hoc quod supra dixi, ne omnino refugiatis neque impersuasibilis existatis. Utilius enim vobis esse existimo, si quietem contemplationis per amorem servatis in mente, et obedientiam fraternae charitatis in opere; quam si solam contemplationem, aliorum contemnendo preces et utilitatem, velitis eligere. Vale.

EPISTOLA CVII. ANSELMI AD MATHILDEM REGINAM ANGLORUM.

De benevolo reginae erga se animo.

Dominae et filiae in Deo dilectae MATHILDI, reginae Anglorum, ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, salutem et benedictionem Dei, et suam, quantum potest, et fideles orationes cum servitio.

In litteris suis celsitudo vestra tantum me laetificavit quantum de se bonam spem dedit. Solet enim esse certa spes correctionis humilis susceptio correctionis et monitionis. Gratias igitur ago Deo qui dat bonam voluntatem vobis quam in responsione vestra mihi significastis; et gratias ago vobis quia eam dulci affectu servatis. Unde oro Deum ut quod ipse vobis misericorditer inspirat, conservet et augeat, quatenus cum anima vestra de corpore exiens ante conspectum ejus praesentabitur, felicitatis aeternae praemium ab eo suscipiat. Si vestra prudentia egeret doceri qualiter ut Deo placeretis deberetis vivere, studerem secundum posse meum hoc ostendere. Sed quoniam, Dei gratia, vos mentis intellectu inter bonum et malum non ignoro discernere, hoc rogo, hoc precor, hoc moneo, ut hoc sit vestri cordis indeficiens propositum, quatenus in omnibus actibus vestris, magnis et parvis, hoc potius eligatis quod magis Deo placere probatis. Satis pio et dulci affectu in eisdem litteris significastis vos meum in Angliam reditum desiderare; verum neque video illum in cujus potestate maxime est reditus meus quantum ad hominem pertinet, in hoc voluntati Dei concordare, neque animae meae expedit ab ea discordare. Et timeo ne tarde intelligat se a recta via deviasse, consilium Dei spernendo, et consilia principum, quae Dominus reprobat, sequendo. Certus tamen sum quia aliquando intelliget. Omnipotens Deus vestram excellentiam et meam parvitatem aliquando de mutua

visione secundum suam voluntatem laetificet, et in vobis gratiae suae dona multiplicet.

EPISTOLA CVIII . ANSELMI AD FARMANNUM, ORDUVINUM ET BENJAMIN.

Cur eis non possit concedere ut ad ipsum veniant. Singulis autem eorum difficultatibus respondet.

ANSELMUS archiepiscopus charissimis filiis FARMANNO, ORDUVINO et BENJAMIN, salutem et benedictionem Dei, et suam.

Scio, filii charissimi, quia dilectionis abundantia facit vos desiderare meam praesentiam, ut et quod corde geritis, sicut filii patri, aperiatis, et consilium singulis angustiis vestris accipiatis. Sed, quamvis bonum sit habere bonum zelum et laudabilem, tamen si non est secundum scientiam, non est Deo acceptabile. Vultis habere a me licentiam ut ad me veniatis, sed pro certo verum est quia difficilius, imo impossibilius hoc est, quam vos cognoscatis; via nimis longa, gens extranea, iter periculosum; monachi de eadem terra capiuntur, male tractantur, equi, et si quid habent, auferuntur. Pecunia magna necessaria, labor gravis, exordinationes multae; utilitas non adeo magna, ut alii me non judicent reprehensibilem, si ad hunc assensum exhibeo me facilem. Si mala quae fiunt in Anglia et in Ecclesia, quae videtis et auditis, mihi vultis notificare, satis scio, nequeo corrigere;

Deo dicite, et ut ipse corrigat exspectando orate. Si consilium de animabus vestris vultis quaerere, habetis vobiscum venerabilem fratrem et filium nostrum dominum priorem Ernulfum, virum spiritualem, in quo et bona voluntas, gratia Dei, abundat, et sapientia; quem vobis pro me, quasi alterum me, dimisi. Ad illum quasi ad me recurrite, illi velut mihi vos credite ; illum, sicut me, suscipite. Hoc etiam concedo de domino episcopo Gondulfo, si quis voluerit. Tibi dico, fili Farmanne, qui ideo petis licentiam alibi conversandi, quia in tot perturbationibus animam tuam salvare nequis, ut dicis, non decet ut quandiu vos non possum regere nec colligere, incipiam vos dispergere. Non ergo est consilium ut aut tu hoc petas, aut ego faciam. Denique si uni aut duobus concedo, aut exire de Ecclesia, ut alibi conversetur; aut exire de regno, ut ad me veniat, tot sunt qui similem habent causam, ut non sine magno scandalo, aut sine magna dissolutione fieri possit. Habeat igitur, qui hoc vult, eam discretionem et patientiam quam habent alii, ut pariter in patientia vestra possideatis **407** animas vestras. Tibi quoque fili Benjamin, qui sine me adjuras terribiliter, et obtendis perditionem animae tuae, ostendo ut illi cujus animae debeo et volo consulere, quia tam indiscretam rem non debuisti facere, neque animae meae et animae tuae tam grave periculum opponere. Cum enim animam impellis, quantum in te est, in tantum periculum, certus esto quia non est hoc animae tuae salubre consilium. Quod petis nulla ratione fieri potest. Indiscreta et inordinata temeritate forsitan fieri posset. Non enim est rationabile sequi quocunque nos impetus animi, etiam bona intentione, impellit sine discretione. Nequeo intelligere animam tuam in periculo esse perditionis si mecum loqui non potes. Nam si essem ubi nullatenus accedere posses

in hoc mundo, aut in altera vita, non tamen de salute animae tuae tibi desperandum esset. Precor igitur et consulo, fili charissime, ut sustineas sine scandalo animae tuae Dei dispositionem; et secundum quod vides eum nos et quae ad nos pertinent, ordinare, stude te ipsum, sicut discretus et qui spem habet in Deo, salvare. De hoc quod tu, frater et fili Orduvine , obtendis mihi quia non redeo in Angliam, scito quia non fugio mortem, non abscisiones membrorum, non quaelibet tormenta, sed peccatum et ignominiam Ecclesiae Dei, et maxime Cantuariensis. Si enim ita rediero ut apertum non sit quia rex me spoliare, et res Ecclesiae mihi commissas invadere, sicut fecit, non debuit, confirmabo pravam, imo servilem et pessimam consuetudinem mihi et posteris meis, meo exemplo, quod Deus avertat a me. Nisi ergo peccatum suum cognoscere, et Deo satisfacere de hoc quod in me peccavit et peccat, voluerit ; ut nec ipse, nec successor ejus mihi aut successoribus meis, meo exemplo, dicere possit se hoc facere per consuetudinem nullatenus intelligo, neque aliquis rationabilis intellectus, quomodo ei concordare, aut ad eum redire possim ad honorem Dei, et Ecclesiae nostrae, et salutem animae meae. Si fit mihi quod fieri debet, faciam quod debeo ad honorem Dei. *Pax Domini quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras* **(Philip. IV, 7)**.

EPISTOLA CIX. ANSELMI AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

Corripit regem quod pecuniam inique exigeret a presbyteris Angliae violatoribus concilii Londinensis ab Anselmo habiti, cum hanc culpam vindicare non pertineat nisi ad episcopos.

HENRICO, suo charissimo domino, gratia Dei regi Anglorum, ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, fideles orationes cum fideli servitio.

Ad me pertinet, si audio quod faciatis aliquid quod animae vestrae non expediat, ut hoc vobis non taceam, ne, quod Deus avertat, Deus irascatur et vobis, si facitis quod illi non placeat, et mihi pro taciturnitate mea. Audio quod vestra excellentia vindictam exercet super presbyteros Angliae, et forisfacturam

exigit ab eis, quia non servaverunt praeceptum concilii quod ego cum vestro favore tenui apud Londoniam cum aliis episcopis et religiosis personis. Quod hactenus inauditum et inusitatum est in Ecclesia Dei de ullo rege et de aliquo principe. Non enim pertinet secundum legem Dei hujusmodi culpam vindicare, nisi ad singulos episcopos per suas parochias; aut si et ipsi episcopi in hoc negligentes fuerint, ad archiepiscopum et primatem. Precor igitur vos, sicut charissimum dominum, cujus animam diligo plusquam praesentem vitam corporis mei, et consulo sicut vere fidelis corpori et animae vestrae, ne vos, contra ecclesiasticam consuetudinem, tam grave peccatum committatis; et si jam incepistis, ut omnino desistatis. Dico enim vobis quod valde timere debetis quia pecunia taliter accepta, ut taceam quantum noceat animae, non tantum cum expendetur

adjuvabit terrena negotia quantum postea perturbabit. Denique vos scitis quia me in Northmannia in pacem vestram suscepistis, et de archiepiscopatu meo me resarcivistis; et quia cura et vindicta talis offensae maxime pertinet ad archiepiscopatum, quoniam plus sum episcopus pro spirituali cura quam pro terrena possessione. Omnipotens Deus sic et in hoc et in aliis actibus vestris dirigat cor vestrum secundum voluntatem suam, ut post hanc vitam perducat vos ad gloriam suam.

EPISTOLA CX . ANSELMI AD ERNULFUM PRIOREM ET FRATRES CANTUARIENSES.

Excusat se quod tardius eos certiores fecerit de conventu inter se et regem, in quo rex revestivit eum de archiepiscopatu, rebus Ecclesiae Cantuariensis omnibus restitutis. Nec tamen Anselmus in Angliam intrare vult donec legatus regis Roma redierit. Interim reddita usus potestate privat omni beneficio ecclesiastico omnes sacerdotes qui feminas tenebant. Et comiti de Mellento, qui Ecclesiae suum favorem promiserat, ecclesiae introitum permittit.

ANSELMUS archiepiscopus, fratribus et filiis charissimis, domno priori ERNULFO, et aliis sub illo Deo famulantibus in Christi Ecclesia Cantuariae, salutem et benedictionem Dei, et suam, quantum potest.

Quod tam diu distuli scribere vobis, de hoc quod convenit inter regem et me in vigilia festivitatis sanctae Mariae Magdalenae, non fuit negligentia, sed opportunitatis, quam

monstrare opus non est, absentia . Scitote quia rex me revestivit de archiepiscopatu nostro, et promittit se redditurum quod de nostris redditibus hactenus accipit. Quod ipse cum magna laetitia et bona voluntate se ostendit facere; et omnes qui cum eo sunt, se clamant inde gaudere. Sperat enim rex inter dominum papam et se tantam concordiam ante diem Nativitatis Domini futuram, ut ego utrique possim in Anglia concordare sine offensione. Qua de re ipse legatum suum Romam mittere disponit, ut ante nominatum terminum rei certitudinem accipere possit. Sed quoniam res nondum est in ea pacis et concordiae inter eos certitudine solidata, ut sine dubietate, si modo in Angliam intravero, confidam me in pace ibi remansurum, elegi potius ad tempus extra Angliam manere, donec legatus praefatus redeat Roma (ita ut interim et res archiepiscopatus in mea sint potestate, et homines nostri sint in quiete), quam ad praesens me in ambiguitatem ingerere, ne forte iterum per discordiam implacabilem necesse sit me de Anglia exire. Equidem existimo hanc mei reditus dilationem nullatenus nocituram ad perfectam concordiam quam speramus futuram. De presbyteris, et quibus rex praecipit ut et ecclesias et feminas habeant, sicut tempore patris sui et Lanfranci archiepiscopi habuerunt, et quia rex me resarcivit de toto archiepiscopatu, et quia tempore patris ejus et ejusdem archiepiscopi in concilio prohibitum est tam exsecrabile conjugium, fiducialiter ea, quam ex archiepiscopatu habeo, auctoritate praecipio non solum in archiepiscopatu, sed etiam per totam Angliam, ut omnes sacerdotes qui **408** feminas tenuerint, ecclesiis et omni ecclesiastico beneficio priventur. Dominus papa nuper mandavit comiti de Mellento salutem et benedictionem suam, hac videlicet conditione si libertati

Ecclesiae voluerit favere, cui hactenus visus est resistere. Sin autem ab introitu ecclesiae tantum illum arcebat, sicut fecerat prius de illo et de aliis complicibus ejus consiliariis regis, in litteris quarum exemplar misi vobis. Sed quoniam idem comes promisit mihi se conaturum ut rex papae praeceptis odediat, permisi ei introitum ecclesiae, a quo detinebatur. De aliis vero nec aliquis nominatur in praefatis litteris, nec ego ullum certe possum nominare; et omnes, sicut audio, ad concordiam inter papam et regem nituntur. De his qui investituras acceperunt, et de consecrantibus eos, nulla est mutata sententia. Gratias agimus Deo quia vos, domine prior, sicut mandastis, de aegritudine vestra convalescitis, et oramus Deum ut vos in integram sanitatem restituat. Omnipotens Deus vos semper sua gratia protegat, semper ad meliora crescere faciat, fratres et filii charissimi.

EPISTOLA CXI . ANSELMI AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

Non displicere sibi longiorem regii legati moram ultra datum tempus Romae factam, sed suam a grege diuturniorem absentiam : maxime cum rex nullum praestituat terminum.

Suo charissimo domino HENRICO, glorioso regi Anglorum, ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, fidele servitium cum orationibus.

Quia vestra magnitudo me in suis litteris tam honorifice, tanto bonae voluntatis affectu salutat, gratias magnas ago, sicut debeo. Quod autem tam suppliciter me rogatis ut non mihi displiceat quod legatus vester Romam mittendus tantum moratur, utique vestram precem, quantum in me est, contemnere non debeo, sed causa magis est Dei quam mea; unde corde fideli et benigno animo vobis dico quod tacere non debeo. Mihi quidem aliquid displicere , nisi cum propter Deum displicet, non est magnum; sed displicere Deo aliquid nullatenus est contemnendum : utique non parum displicet Deo episcopum spoliari rebus suis, quod jam Deo vobis inspirante correxistis. Sed episcopum segregari a suo officio, et Ecclesiam a suo episcopo sine causa quam Deus approbet, nimis grave judicat. Expedit itaque animae vestrae quatenus satagatis ut ego, qualiscunque sim episcopus Ecclesiae, quam Deus vestrae regiae potestati custodiendam commendavit, et regno vestro, in pace vestra celerius restituar, et mihi opportunitas utendi secundum possibilitatem meam officio pro quo ibi positus sum, diutius non impediatur. Valde quoque mihi timendum est ne Deo displiceat, et me dominus papa juste reprehendat, quia, postquam vos et ego simul convenimus apud castrum quod vocatur Aquila, in tam longo tempore non illi misi legatum nostrum, per quem quid de tanta re inter nos factum et quid peragendum sit cognosceret, et ego ejus consilium et jussionem acciperem. Quapropter periculosum est mihi diu exspectare vestrum legatum, quem ante proximam Nativitatem Domini, sicut in verbis vestris intellexi, Roma scilicet rediturum speravi, praesertim cum, nescio quo consilio quave ratione, nullum terminum modo constituatis. Quoniam igitur plus debet mihi esse de hoc quod ego Ecclesiae mihi commissae praesens esse

nequeo, quam de ulla terrena possessione, precor ut mihi aliquem proximum terminum nominetis per litteras vestras, quando possim legatum vestrum Romam iturum exspectare, quia ego non audeo differre, ut multum dicam, ultra proximam Nativitatem Domini, quin meum legatum mittam. Vale.

EPISTOLA CXII. ANSELMI AD GUNDULFUM EPISCOPUM, ERNULFUM PRIOREM, ETC.

Confirmat anathema in presbyteros feminas habentes juste a suo archidiacono pronuntiatum.

ANSELMUS archiepiscopus, reverendo GUNDULFO episcopo, et ERNULFO priori, et archidiacono Cantuariensi WILLELMO, et omnibus in sua parochia religionem sui ordinis amore Dei servantibus, salutem.

Nuper relata est mihi Deo exsecrabilis et omnibus Christianis odibilis superba quorumdam (qui se sacerdotes nominant) praesumptio. Scripsit namque mihi archidiaconus noster Willelmus quia nonnulli presbyteri, qui sub ejus sunt custodia, iterum repetentes prohibitas feminas in immunditiam, a qua salubri consilio et jussione abstracti fuerunt, se revolverunt. Quod cum idem archidiaconus vellet corrigere, omnino ejus monitionem et susceptibilem jussionem nefanda superbia contempserunt. Qui convocatis secum pluribus religiosis et obedientibus sacerdotibus, superbos et inobedientes gladio dignae excommunicationis percussit. Quam

excommunicationem bestiali insania contemnentes, ministerium sanctum polluere, quantum in ipsis est, non formidant. Quapropter ego Anselmus, quamvis peccator, archiepiscopus, ea auctoritate quam mihi dedit per archiepiscopatum Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, confirmo eamdem excommunicationem, quam fecit idem archidiaconus, usque ad satisfactionem ejus judicio suscipiendam.

EPISTOLA CXIII . ANSELMI AD GUARNERIUM.

Eum laudat ob sanctum paterni reditus desiderium, simulque monet esse ordinis observantissimum.

ANSELMUS archiepiscopus, GUARNERIO, fratri et filio charissimo, salutem et benedictionem Dei, et suam

Pro dilectione quam in litteris tuis erga me intellexi, et pro desiderio reditus mei gratias ago tibi, sicut fratri et filio dilecto. Reditum quidem, Deo annuente, non differam, quando ipso disponente intelligam me illum posse rationabiliter facere. Te autem, et illum eujus animae curam Deus mihi commendavit, studiose moneo, ut non sis negligens ordinem quem accepisti discere et custodire, sed sis intentus todo corde ad ea quae pertinent ad perfectionem monachi proficere. Verum enim est quia si monachas novitius in suo proposito fuerit tepidus, aut vix, aut nunquam in religione

monachica erit fervidus. Qualem igitur te desideras inveniri in diebus obitus tui, talem te quotidie stude exhibere; et semper quasi eras moriturus, hodie te praepara ad reddendam rationem vitae tuae, et sic de virtute in virtutem proficies. Dominus te dirigat et custodiat.

409 EPISTOLA CXIV . ANSELMI AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

Ad regem mittit Gislebertum Beccensem, cui tuto possit credere sibi renuntianda. Paschalem pronuntiat canonice electum, et alterum esse sedis apostolicae invasorem.

HENRICO, charissimo domino suo, gratia Dei regi Anglorum, ANSELMUS archiepiscopus Canturiae, fidele servitium cum orationibus.

Praecepit mihi celsitudo vestra in litteris suis quatenus sibi aliquem de familiaribus nostris mitterem, cui familiariter credere posset ea quae mihi mandare vellet. Mitto igitur fratrem nomine Gislebertum, monachum Beccensem, familiarem meum, cui sicut mihi credere potestis quod mihi mandare placuerit. Qui etiam notificabit vobis quomodo dominus Balduvinus et Willelmus jam iter Romae ingressi fuerant, quando vestram suscepi epistolam; et quod audivimus de apostolico Paschali, et de illo qui sedem ejus per rapinam dicitur invasisse. Hoc tantum dico quia apostolicus Paschalis secundum Deum ecclesiastice est electus, et per totam Ecclesiam catholicam jam susceptus et confirmatus. Ille vero

invasor, de quo fama est, nullam habet electionem aut susceptionem, nisi a filiis diaboli inimicis Ecclesiae Dei. Quapropter exspectamus ut super eum cadat, si nondum cecidit , quod dixit Dominus : *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur* **(Matth. XV, 13)**. Nec moveri debet aliquis Christianus, si persecutionem patitur Ecclesia Christi, quod idem ipse passus est, et eamdem Ecclesiam passuram praedixit : *In mundo, inquiens, pressuram habebitis* **(Joan. XVI, 33)**; quam confortat subjungens : *Sed confidite, ego vici mundum* **(Ibid.).** Omnipotens Deus sic vos faciat in hac vita regnare super Anglos ut in futura regnetis inter angelos.

EPISTOLA CXV . ANSELMI AD G . . . ABBATEM.

Electo in episcopum consulit ut servata obedientia animus ejus tantum onus fugiat. Iis vero qui hunc elegerunt, consulit ut ipsum quia dignior est, cogant ad onus suscipiendum.

Domino et Patri charissimo, reverendo abbati G. frater ANSELMUS, semper quae Deo placita sunt velle et facere.

Dignatur vestra prudentia meae parvitatis scire consilium de re de qua agitur; unde primo oro omnipotentis Dei benignam clementiam ut ipse totam rem in beneplacito suo disponat. Nostrum autem consilium, quod utinam de vultu Dei prodeat, hoc est quod melius possum intelligere. Illi quidem consulo ut, quantum potest, servata tamen obedientia et pia

mansuetudine, animus ejus tantum onus fugiat. Vobis autem et aliis, ad quos hoc pertinet, consulo quia non video de quo melius possit esse, ut illum rogando, praecipiendo cogatis, quatenus et ejus conscientia securior sit in conspectu Dei, cum non nisi solo timore Dei et obedientia sancta se provectum conspiciet, et Deus quasi ex debito ad bonum finem perducat quod propter se solum incoeptum intelliget; et vobis a supernorum Judice retribuatur, quia pia sollicitudine Ecclesiam Dei per membra ejus sustentare satagitis. Vale.

EPISTOLA CXVI . ANSELMI AD ODONEM.

Ipsum ad purioris vitae genus sectandum, jam accensum magis accendit. Vota eundi Romam vel Hierosolymam complentur in professione monastica.

Domino et fratri in Christo dilecto, ODONI, frater ANSELMUS salutem.

Si vestra dilectio, adhuc amore mundi gravata, spinosis sollicitudinibus divitiarum ejus laboraret, oporteret ad mentem ei reducere verba Domini dicentis : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam.* Quoniam vero jam prospiciens quia mundus transibit et concupiscentia ejus, jam non diligit mundum neque ea quae in mundo sunt, sed quae sursum sunt quaerit, non quae super terram, nihil convenientius illi dicendum video quam quod scriptum est : *Fili, ne differas converti de die in diem;* et : *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare.* Ad quam rem fraternum nostrum esse paratum obsequium,

certum sit vobis signum haec nostra brevis epistola. Qui voverunt se ituros Romam vel Hierusalem in saeculo, si ad ordinem nostrum venerint, et devote et obedienter se habuerint, omnia vota sua quaecunque voverant, compleverunt. Quippe qui se in partem Dei per vota tradiderant, postquam se Deo totos tradiderint, totum in partem postmodum non habent redigere; nisi qui quod Deo obtulerunt, sibi velint in proprietatem subripere, et ita non solum indevoti, imo rei fiant tam suae abrenuntiationis, quam professionis, et suae ipsorum damnationis.

EPISTOLA CXVII . ANSELMI AD ERNULFUM PRIOREM ET WILLELMUM ARCHIDIACONUM.

Ut Robertum, relicto Judaismo, amplectentem Christianismum perbenigne excipiant et juvent.

ANSELMUS archiepiscopus, domno priori ERNULFO , et archidiacono WILLELMO, salutem et benedictionem Dei.

Intimo cordis affectu mando vobis et precor religionem vestram ut ea hilari pietate et pia hilaritate qua omnes Christiani debent occurrere et subvenire de Judaismo ad Christianitatem fugienti, curam habeatis hujus Roberti, ne ulla indigentia vel occasione, quam avertere possimus , cogatur poenitere, qui propter Christum parentes suos et

legem eorum reliquerit. Valde enim ignominiosum est Christianis, et maxime religiosis personis, ut hoc negligentia et duritia sua fieri patiantur in praesentia sua. Ordinate itaque vos, domne prior, de eleemosyna, non per servientes (qui plus quaerunt quae sua sunt quam quae Dei sunt), sed per monachum eleemosynarium; et vos, domine Willelme, ex his quae mihi ex archidiaconatu servare debetis, quatenus ille cum familiola sua nullam duram patiatur indigentiam, sed gaudeat se de perfidia transiisse ad veram fidem; et probet ex ipsa nostra pictate quia fides nostra propinquior est Deo quam Judaica. Malo enim, si necesse esset, totum in hoc expendi quidquid de archidiaconatus redditibus me contingit, et multo etiam majora, quam ut iste qui ad nos quasi ad servos Dei et veros Christianos de manibus diaboli fugit, misere vivat inter nos. Iterum precor et obsecro ut ostendatis in eos vos habere Christianam pietatem et Christianitatis amorem, valde enim laedit cor meum indigentia illius, sive in victu, **410** sive in vestitu. Facite igitur ut cor meum ab hac laesione quiescat, si illam non amatis. Valete.

EPISTOLA CXVIII . ANSELMI AD ALFERUM PRIOREM ET MONACHOS SANCTI EADMUNDI.

Invictum in adversis animum laudat. Et ut priori sua peccata confiteantur, et omni custodia servent cor suum, adhortatur.

ANSELMUS archiepiscopus, dilectis filiis et fratribus domno ALFERO priori, et aliis servis Dei in coenobio Sancti Eadmundi sub illo conversantibus, salutem et benedictionem Dei, et suam quantum valet.

Gratias ago Deo et vobis pro constantia et patientia vestra, quam habetis in tribulationibus , hortans et obsecrans ut filios charissimos, ne deficiatis, sed longanimiter, ut coepistis, Dei consolationem exspectetis. Nulla vos adversitas a servitio Dei retardet, nihil ab exsequenda voluntate ejus removeat. Mementote quod omnes qui volunt pie vivere in Christo, necesse est ut tribulationes patiantur. Quanto igitur magis tribulationes insurgunt, tanto magis unusquisque vestrum se per sanctae conversationis opus exerceat, et in sui ordinis custodia arctius stringat. Quae si feceritis, sciatis quod Dei consolationem, prius forsitan quam putetis, obtinebitis. Nullus vestrum amet aut velit celare peccata sua, sed ea puro et simplici corde domno priori, aut cui ipse concesserit, confiteatur, et secundum judicium ejus emendet, et de caetero ut sese custodiat modis omnibus enitatur. Eos autem qui hoc modo et hac voluntate sua peccata confessi sunt vel confitebuntur, quantum possum, ea auctoritate quam mihi Deus concessit, vice beati Petri apostolorum principis absolvo, et ut eis omnipotens Deus indulgeat suppliciter oro. Valete et orate pro me.

EPISTOLA CXIX MATHILDIS REGINAE ANGLORUM AD ANSELMUM.

Quanti faciat Anselmi litteras. Quodque Edulpho abbatiam Malmesberiae concesserit, salvis omnibus archiepiscopi juribus.

Domino suo et Patri reverendo pariter et colendo, ANSELMO, Cantuariensi archiepiscopo, MATHILDIS regina, devota sanctitatis ejus ancilla, cum Christo suo salutem.

Quoties epistolari beneficio vestrae mihi sanctitatis municipium impertitis, toties innovatae laetitiae luce nebulosam animae meae caliginem serenatis. Est etenim vestri quaedam et absentis qualiscunque revisio, et chartulae contrectatus, et litterae perjucunda saepiusque recitata relectio. Quid namque vestris, domine, scriptis aut stylo ornatius aut sensu refertius ? Non his desunt Frontonica gravitas Ciceronis, Fabii, aut Quintiliani acumina. In his sane doctrina quidem redundat Pauli, diligentia Hieronymi, elucubratio Gregorii, explanatio Augustini, et quod his majus est, hinc dulcor evangelici stillat eloquii. Hac igitur mihi gratia diffusa a labiis vestris cor meum et caro mea exsultaverunt in affectum vestrae dilectionis, in effectumque paternae vestrae monitionis. Frequentissimo quippe recursu exhortationis vestrae benignissimaeque obsecrationis memoria, cordis mei januam reverberat, obsecutionisque obedientiae adjudicat . Vestrae igitur sanctitatis favore freta domno Edulfo Wintoniensi monacho, olimque sacristae, vobis, credo, noto, abbatiam Malmesberiae in his quae mei juris erant commisi, vestrae quidem donationi et dispositioni quaecunque illius sunt ex integro reservatis, ut scilicet tam virgae quam curae pastoralis commissio vestrae discretionis contradatur arbitrio. Ei autem vestrae bonae voluntatis gratiae,

quae erga me non tepescit, dignum munus recompenset numen gratiae coelestis. De caetero vestram Christus dignitatem salvificet, quique vos in terra beatificat, de vestro me reditu cito laetificet. Amen.

EPISTOLA CXX . ANSELMI AD MATHILDEM.

Edulphum confirmare in abbatem noluit, quia scyphum ad eum cum litteris per legatos miserat.

Dominae, filiae charissimae, gloriosae reginae, MATHILDI, ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, fidele servitium cum orationibus.

Noverit excellentia vestra, dilectissima domina, quia de abbatia Malmesberiensi, et de fratre illo de quo mihi mandastis, libenter confirmarem voluntatem vestram, si possem. Vos enim, quantum ad vos spectat, bene et secundum Deum fecistis quod inde fecistis, sed fecit ipse in hoc quiddam valde insipienter quod facere non debuit. Nam per eosdem legatos qui mihi litteras vestras et aliorum de suo negotio attulerunt, misit mihi scyphum unum. Quem quidem scyphum nullatenus retinere volui, sed inde dolui, quia non video quomodo in hoc possit a culpa excusari. Omnipotens Deus dirigat omnes actus vestros in beneplacito suo, et defendat vos ab omni malo. Amen.

EPISTOLA CXXI . GERARDI EBORACENSIS ARCHIEPISCOPI, ROBERTI CESTRENSIS, HEREBERTI NORWICENSIS, RADULFI CICESTRENSIS, SAMSONIS WIGORNIENSIS ET WILELLMI WINTONIENSIS ELECTI AD ANSELMUM.

Anselmum in Angliam invitant, pollicentes opem suam.

Patri dilectissimo ANSELMO, Cantuariensi archiepiscopo

, GERARDUS, Eboracensis archiepiscopus, et ROBERTUS Cestrensis, et HEREBERTUS Norwicensis, et RADULFUS Cicestrensis, et SAMSON Wigorniensis, et WILLELMUS Wintoniensis electus, salutem.

Sustinuimus pacem, et ipsa longius recessit; quaesivimus bona, et invaluit turbatio. Viae Sion lugent, quia eas conculcant incircumcisi. Templum moeret, quia intra sancta sanctorum et ad ipsam aram irruperunt laici. Exsurge, ut olim senex ille Mathatias, habe in filiis tuis virtutem; vide strenuitatem Jonathae, prudentiam Simonis. Hi tecum praeliabuntur praelium Domini; et si ante nos appositus fueris ad patres tuos, de manu tua suscipiemus haereditatem laboris tui. Sed jam non est tibi pigritandum; ut quid enim peregrinaris, et oves tuae sine pastore pereunt ? Jam apud

Deum nulla tibi remanet excusatio. Te enim non solum subsequi, sed et perire, si jusseris, parati sumus. Veni ergo ad nos, veni cito, vel nos, aut ex nobis aliquos ad te venire jube; ne cum sejuncti a te sumus, in sinistram te partem inclinent eorum consilia qui sua quaerunt. Nos enim jam in hac causa non quae nostra sunt, sed quae Dei sunt, quaerimus.

411 EPISTOLA CXXII. ANSELMI AD EPISCOPOS SUOS.

De Ecclesiae Anglicanae et episcoporum miseria dolet laetaturque de ope ab eisdem sibi promissa.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariensis, amicis suis et coepiscopis, quorum litteras per latorem praesentium suscepit, salutem.

Condoleo et mente compatior tribulationibus quas vos et Ecclesiae Angliae sustinetis; sed ad praesens secundum meam et vestram voluntatem subvenire nequeo, quia nondum quid et quantum possum sum certus, donec per legatos nostros, quos in proximo Roma redituros exspecto, quid apud dominum papam effecerint, cognoscam. Bonum tamen et gratum mihi quia tandem cognoscitis ad quid vos perduxit, ut mitius dicam, vestra patientia; et quia promittitis mihi auxilium vestrum non in mea, sed in Dei causa, et invitatis me ne pigriter venirem ad vos. Quamvis enim hoc modo facere non possim, quia rex non vult me esse in Anglia adhuc, nisi discordem a jussione papae et ejus concordem voluntati; et

ego nondum certus sum quid possim, sicut dixi, tamen gaudeo pro vestra bona et episcopali voluntate et constantia quam promittitis, et exhortatione quam mihi facitis. Ut autem aliquos ex vobis ad me venire faciam, sicut poscitis, ne, dum sejuncti sumus ab invicem, pervertant consilium meum qui sua quaerunt ad praesens non opinor oportere. Spero enim in Deo quia nullus cor meum a veritate, in quantum cognosco, poterit avertere; et quia in proximo Deus mihi quid facere queam, ostendet, et ego quam citius potero vobis notificabo. Quid autem interim vobis faciendum sit, prudentia vestra satis intelligit; sed tamen dico quia ego, in quantum sperando in Deo conscientiam meam sentio, pro redimenda vita mea non praeberem assensum, neque ministrum aut exsecutorem mali me facerem : quod audio noviter super Ecclesias Angliae promulgari. Valete.

EPISTOLA CXXIII . AD HUGONEM ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM.

Rogat firmari se prudentibus archiepiscopi responsis.

Suo domino et Patri HUGONI, reverendo archiepiscopo Lugdunensi, matri Ecclesiae sincere diligendo, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, quod altius et quod melius valet intelligere.

Quid fecerim postquam a paternitatis vestrae amabili praesentia discessi, quidve sit inter regem Angliae et me, non est opus longa epistolae narratione significare, quia latores

praesentium plenius et melius possunt viva voce referre. Quoniam autem in omnibus actionibus meis vestro vellem, si fieri posset, super omnes homines quos novi, uti consilio, maxime in hoc negotio pro quo eosdem legatos Romam mitto, supplex ut ipsi instruantur et muniantur vestra prudentia rogo. Audeo etiam rogare ut si sanctitati vestrae videtur convenire, aliquid domino papae suggerat, prout ipsi negotio intelliget expedire. Scitis enim quia ubi rei alicujus dispositio de diversorum pendet consilio, sicut non omnes eumdem habent sensum, ita non eumdem praebent assensum. Quoniam ergo mentem vestram certus sum solidatam in veritate, vellem sententiam vestram esse praesentem, ubicunque tractatur de Ecclesiae Dei libertate et vera utilitate. Tota difficultas causae inter regem et me jam in hoc maxime videtur consistere, quia rex, quamvis de investituris ecclesiarum apostolicis decretis se vinci ut spero permittat, hominia tamen praelatorum nondum vult , ait, dimittere. Qua de re sua legatione sedem requirit apostolicam, quatenus in hoc suae voluntatis impetret ab ea licentiam. Quam si adeptus fuerit, dubito quid me facere oporteat, si aliquis religiosus electus homo regis pro episcopatu vel abbatia fieri respuat. Durum enim mihi videtur ut hoc illi praecipiam per obedientiam; et si non fecero, videbor irreligiosis hoc facere volentibus, laxare accedendi indigne ad dignitates audaciam. De illis quoque qui jam investituras prohibitas acceperunt, et de his qui eos sacraverunt, puto quia rex postulabit ut in hoc permaneant quod illicite praesumpserunt. Quapropter de his, et de quibus per nostros legatos vestram requiro sapientiam, vestram mihi posco insinuari sententiam. Omnipotens Deus diu vestram sanctitatem cum omni prosperitate servet incolumem. Amen.

EPISTOLA CXXIV . HUGONIS LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPI AD ANSELMUM. *Respondet ad praecedentem.*

Optabili et totis visceribus amabili Patri suo et domino ANSELMO, venerabili Anglorum episcopo, HUGO, Lugdunensis Ecclesiae servus, divinae protectionis continuam consolationem.

Meminit sanctitas vestra, reverende Pater, nos semper desiderasse, et si secundum Deum fieri posset, vobis consuluisse ut commissam vobis Anglicae Ecclesiae curam reciperetis, et tam gravis oneris jugo, pro communi commissi vobis gregis salute, obedientiae collum subdere non recusaretis. Nunc igitur ex domini Balduvini relatione comperio quod illud propter quod assequendum tantopere hactenus laborastis, et non solum vestra, sed et vos ipsum exposuistis, per Dei gratiam jam tandem ex magna parte assecuti estis. Ut ad illud quod restat sperandum animari possitis, consulendo precamur, et precando sanctitati vestrae consulimus ut apostolico praecepto obedire non dissimuletis, ne sententiam vestram pluris faciendo quam apostolicam auctoritatem, non solum saeculo et regno, verum etiam Ecclesiae et sacerdotio resistere judicemini. Licet enim in Anglicae Ecclesiae agro aliud semen supra petram, aliud secus viam, aliud vero cadat inter spinas, sed et bona terra invenitur in eo quae suscepto praedicationis vestrae semine fructum afferet in patientia. Sed, me miserum ! quoniam ipse

auctor et incensor fio desolationis meae, qui unicum solamen et gaudium meum, et animae meae post Deum vitam removere contendo a conspectu oculorum istorum, quos jam inaniter gestare videor, dum id quo gratius frui solebant, videlicet dulcissimi Patris mei praesentiam, non solum eis videre , sed etiam ulterius se visuros sperare non relinquitur. Sed absit ut pro temporali commodo meo generali tot tantorumque saluti invideam, imo non quae mea sunt, sed quae Jesu Christi quaeram . Habe me igitur, beatissime Pater, in sinu memoriae tuae, quandoquidem mihi non conceditur inspicere vultum praesentiae tuae. Optamus semper bene valere, et salutis nostrae curam gerere.

412 EPISTOLA CXXV . ANSELMI AD EULALIAM ABBATISSAM.

Gratissimas habet antistae filiarumque preces. Et ut obedientes et in minimis fideles sint, adhortatur.

ANSELMUS archiepiscopus, reverendae abbatissae, EULALIAE et filiabus ejus, salutem.

Gratias ago religiosae dilectioni vestrae quia pro me orastis quandiu extra Angliam fui in exsilio, desiderantes reditum meum; nunc autem desiderantius rogo ut oretis quatenus fructuosus sit reditus meus. Hoc volo ut sciatis, quia dilectio mea erga vos, ex quo vos cognovi et vivit, et perseverat, et quandiu vivam, Deo dante, perseverabit. Quapropter ipsa eadem dilectione manente, quamvis non egeatis, aliquid

tamen vobis scribam unde me vos diligere et curam vestri habere cognoscatis. Vos, sorores dilectae, et filiae meae, hortor et moneo quatenus matri vestrae subjectae et obedientes sitis, non tantum ad humanum oculum, sed etiam ad oculum Dei, cui nihil est secretum. Tunc autem est vera obedientia, quando voluntas subjecti obedit voluntati praelati ut ubicunque sit subjectus, hoc velit quod intelligit velle praelatum, quod non sit contra voluntatem Dei. Congregatio vestra templum Dei debet esse; et templum Dei sanctum est. Si ergo sancte vivitis, ut spero, templum Dei estis. Sancte autem vivitis, si ordinem et propositum vestrum diligenter custoditis; diligenter vero hoc facitis, si minima non contemnitis. Vestrum enim propositum semper debet niti ad perfectum, et toto corde horrere defectum. Scriptum est enim: *Qui modica despicit, paulatim decidet* **(Eccli. XIX, 1.)** Qui autem decidit, non proficit. Proinde si vultis proficere, et horretis deficere, nolite modica despicere: utique sicut verum est, *qui modica despicit, paulatim decidet,* ita verum est quia qui modica non despicit, paulatim proficit. Nolite putare aliquod peccatum esse parvum; quamvis aliud alio sit majus. Nihil enim quod fit per inobedientiam, quae sola ejecit hominem de paradiso, parvum dici debet. Quod enim peccatum parvum erit, si testante Veritate, qui irascitur fratri suo reus erit judicio, et qui dixerit, raca, reus erit concilio; et qui dixerit, fatue, reus erit gehennae ignis. Rogo igitur, filiae charissimae, ut nihil negligatis, sed opera vestra et corda vestra sicut in conspectu Dei custodire semper studeatis. Pacem inter vos habete, quia in pace factus est locus Dei, et pax multa diligentibus legem Dei, et non est illis scandalum . Corde et ore vobis benedictionem et

absolutionem Dei oro; et meam, si quid valet, quantum possum, do et mando. Valete.

EPISTOLA CXXVI . ANSELMI AD HENRICUM ANGLORUM REGEM.

Quod translatio episcopi non debeat fieri sine consensu archiepiscopi et episcoporum provinciae, et cum magna consideratione et auctoritate apostolica.

Suo charissimo domino HENRICO, Dei gratia Anglorum regi et duci Northmanorum, ANSELMUS archiepiscopus, fidele servitium cum orationibus.

Mandavit mihi dignatio vestra per electum episcopum Wintoniensem ut sibi scriberem utrum dominus Hervaeus episcopus Bancorensis possit constitui episcopus in Ecclesia Luxoviensi . Hoc utique facile fieri non intelligo. Sicut enim nullus episcopus sacrari debet alicui Ecclesiae sine assensu et consilio archiepiscopi et aliorum episcoporum totius provinciae, ita qui sacratus est episcopus non potest constitui in alia provincia episcopus canonice sine consilio et assensu archiepiscopi et episcoporum ejusdem provinciae cum auctoritate apostolica, nec sine absolutione archiepiscopi et episcoporum provinciae in qua sacratus est. Quae absolutio fieri nequit sine magna et communi consideratione et consilio eorum sine quibus consecrari, ut dixi, non potuit; et quamvis episcopatus ejus ita videatur destructus, ut in eo manere non

possit. Omnipotens Deus dirigat vos in hac et in aliis actionibus vestris. Amen.

EPISTOLA CXXVII . ANSELMI AD MABILIAM SANCTIMONIALEM.

Ut Deo sacrata saecularium abstineat conversatione.

ANSELMUS archiepiscopus, filiae suae charissimae, sanctimoniali MABILIAE, salutem et benedictionem Dei, et suam.

Diligo te, et eo modo quo diligo animam meam, diligo etiam tuam. Meam autem diligo, ut in hac vita mereatur frui Deo et in futura vita fruatur; hoc amo, et desidero de te. Quapropter hortor et moneo te, sicut filiam charissimam, ut non delecteris saecularibus, quia nemo potest diligere simul et saecularia et aeterna bona. Nolo te amare saecularium conversationem, sed claustralem. Nihil tibi et huic mundo. Si vis esse monacha et sponsa Dei, dic cum beato Paulo apostolo: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* **(Gal. VI, 14);** reputa omnia hujus mundi transitoria tanquam stercora, cum eodem Apostolo. Filia mea, in quo indiges visitare aliquos propinquos tuos ? Cum ipsi nullo modo egeant consilio et auxilio tuo, nec tu aliquod consilium aut auxilium accipies ab illis ad propositum et professionem tuam, quod non invenias in claustro. Divisum est propositum vitae tuae a conversatione illorum. Nec illi fient propter te monachi, nec tu redibis propter eos ad

saecularem vitam. Quid ergo, dilecta mea, in Deo tibi et illis; si nec tu prodes illis ad vitam quam sequuntur, nec illi tibi ad hoc quod maxime debes diligere ? Si ipsi volunt te videre aut egent aliquo modo consilio tuo aut auxilio, veniant ad te, quia illis licet vagari et discurrere per diversa, tu noli ire ad eos, quia tibi non licet exire de claustro, nisi ea necessitate quam Deus testetur. Noli, filia mea, noli amare saeculum, quia *amicus hujus saeculi, inimicus Dei constituitur***(Jac. IV, 4).** Noli amare familiaritatem saecularium, quia quanto magis illis eris propria voluntate familiaris, tanto minus eris Deo et familiaribus ejus angelis familiaris. Non sis sollicita notificari in saeculo, quia tanto magis dicet tibi Deus: Non novi te. Soli Deo desidera placere: solum Deum, et ea quae te ad hoc juvent, concupisce cognoscere. Illi te quotidie commenda. Illi te, quantum in me est, commendo. Ipse regat et dirigat et custodiat te semper. Amen.

413 EPISTOLA CXXVIII . ANSELMI AD MATHILDAM REGINAM ANGLORUM.

De homine sibi ignoto testimonium perhibere recusat, licet a regina rogatus.

Dominae et filiae charissimae MATHILDAE, gratia Dei gloriosae reginae Anglorum, ANSELMUS archiepiscopus cum fideli servitio, fideles orationes; et gratia Dei in hac vita et in futura semper gaudere.

Lator praesentium detulit mihi sigillum vestrum cum litteris ex vestra parte, quae mihi significabant vos velle ut ejus infamia mearum litterarum testimonio propelleretur, propter quamdam purgationem quam fecerat, et ut mea intercessione a domino meo rege recuperaret quod ejus jussione perdiderat. Voluntatem quidem vestram nec debeo nec volo contemnere; sed certus sum de benignitate celsitudinis vestrae, quia vos non vultis me aliter quidquam quam oporteret facere. Scit utique prudentia vestra quia non pertinet ad me testimonium perhibere de his quae nec vidi nec audivi; sed ad eos qui viderunt: nec meum est pro eo cujus vitam et mores ignoro, intercedere, ut ea quae jussione regia perdiderat, recuperet. Precor itaque ut benignae celsitudini vestrae non displiceat quia dubito facere quod intelligo ad me non pertinere . Omnipotens Deus sua vos benedictione assidue protegat et dirigat. Amen.

EPISTOLA CXXIX. ANSELMI AD HELGOTUM ABBATEM S. AUDOENI.

Quo pacto res sibi in Angliam reverso habeant exponit amico id sciendi cupidissimo.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, vere dilecto dilectori suo, venerando abbati coenobii Sancti Audoeni, HELGOTO, quidquid melius amico desiderari potest.

Verus amicus semper sollicitus est de vero amico, sicut de se altero, ut sciat quae erga illum sunt, quatenus aut congaudeat, aut compatiatur, secundum quod sunt. Et cum nullus amet dolorem, miro tamen modo si est unde condolendum sit, magis tamen desiderat hoc scire, ut condoleat, quam ignorare, ut nihil doleat. Desiderat dilecta et dulcis mihi vestra dilectio scire statum meum, et quidquid mihi sit, ut quemadmodum cor meum sese in me habet, ita et cor vestrum pro me sese habeat. Gratia Dei disponente, et vestris et aliorum servorum Dei amicorum nostrorum orationibus suffragantibus, in Angliam nuper reversus sum: cum magno gaudio et honore, quantum in hominibus fuit, susceptus sum a majoribus et minoribus, a praelatis et subditis. Quod audistis quia dominus meus rex mihi commendavit regnum suum, et omnia sua, ut voluntas mea in omnibus quae sua sunt, fieret, verum est. In quo benignitatem voluntatis suae et magnam dilectionem suam erga me monstravit. Sed quoniam scriptum est: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* **(I Cor. VI, 12)**; et alibi : *Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant* **(II Cor. X, 23),** non puto esse mihi consilium ut aliquid magnum adhuc per me tentare incipiam, sed cum Deus sua gratia regem nobis cum ea bona voluntate quam intelligo, reduxerit, spero quia Deus sua gratia per illum in nobis operabitur multa ad honorem suum, unde gaudeamus. Secundum quod varietates hujus saeculi permittunt, omnia mihi et in corpore et in aliis rebus, Deo dante, prospera sunt, praeter corporis imbecillitatem quam quotidie mihi crescere sentio. Omnes illae benedictiones, quas mihi oratis in litteris vestris, veniant etiam super caput vestrum. Saluto fratres nostros, dilectissimos filios vestros, et ut memores mei sint, oro.

EPISTOLA CXXX . ANSELMI AD P. . ., MONACHUM S. MARTINI SAGII.

Monachi Hierosolymam ire cogitantis desiderium improbat, juxta apostolici sententiam, quam ab eo ipse audierat.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, dilecto fratri P., monacho coenobii Sancti Martini Sagii, salutem, et gratia Dei semper dirigi et consolari.

Audio, amice mi charissime, quia desideras ire Hierosolymam. Unde in primis dico tibi quia non est hoc desiderium tuum ex bona parte, neque ad salutem animae tuae. Est enim contra professionem tuam, qua promisisti stabilitatem coram Deo in monasterio, in quo habitum monachi accepisti; et est contra apostolici obedientiam, qui praecepit magna auctoritate sua ne monachi hanc viam arripere praesumerent, nisi aliqua persona religiosa, quae utilis esset ad regendam Ecclesiam Dei et docendum populum, et hoc non nisi consilio et obedientia praelati. Ego praesens adfui quando istam sententiam apostolicus promulgavit. Est etiam contra obedientiam abbatis tui, cujus voluntas hoc odit et exsecratur, sicut periculum animae tuae.

EPISTOLA CXXXI. PASCHALIS II PAPAE AD GERARDUM EBORACENSEM EPISCOPUM.

Ut fidelitatem pro antiqua consuetudine Anselmo faciat.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri GERARDO, Eboracensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanquam prave adversum nos, etc. *Vide in Paschali II, ad an.* 1118.

414 EPISTOLA CXXXII . ANSELMI AD ALEXANDRUM SCOTORUM REGEM.

Gratulatur regi in paternum solium evecto.

ALEXANDRO, gratia Dei Scotorum regi, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, salutem, et fideles orationes, et benedictionem Dei, et suam, quantum valet.

Gratias agimus Deo , et gaudemus ego et tota congregatio Ecclesiae Christi Cantuariensis, quia Deus vos in regnum paternum haereditario jure post fratrem vestrum sublimavit, et quia vos moribus dignis regno decoravit. Pro fratre vestro, qui sancte vivendo meruit ut de hac vita bono fine misericordia Dei transiret, sicut pro dilecto dilectore nostro, secundum petitionem vestram, oramus et orabimus ut Deus animae illius gloriae suae cum electis suis gaudium aeternum tribuat, et

aeternam beatitudinem concedat. Scio quia celsitudo vestra meum amat et desiderat consilium. In primis igitur oro Deum ut ipse vos sancti sui Spiritus gratia sic dirigat, et in omnibus actibus vestris consilium attribuat, ut ad regnum coeleste post hanc vitam vos perducat . Nostrum autem consilium est ut timorem Dei et bonos ac religiosos mores, quos in adolescentia et ab infantia coepistis habere , ipso adjuvante, a quo accepistis, studeatis tenere. Tunc enim bene reges regnant cum secundum voluntatem Dei vivunt, et serviunt ei in timore; et cum super seipsos regnant, nec se vitiis subjiciunt, sed illorum importunitatem constanti fortitudine superant. Non enim repugnant in rege virtutum constantia et fortitudo regia. Quidam enim reges, sicut David, et sancte vixerunt, et populum sibi commissum cum rigore justitiae et pictatis mansuetudine, secundum quod res exigit, rexerunt. Sic vos exhibete ut mali vos timeant et boni vos diligant, et ut vita vestra semper Deo placeat, semper mens vestra vindictam malorum et praemium bonorum post hanc vitam memoria retineat. Omnipotens Deus vos et omnes actiones vestras nulli alii quam suae piae dispositioni committat. De fratribus nostris quos in Scotiam secundum voluntatem fratris vestri, qui de labore hujus vitae, sicut credimus, ad requiem transivit, misimus, benignitatem vestram rogare necesse non putavimus, quia bonam voluntatem vestram non ignoramus.

EPISTOLA CXXXIII . ANSELMI AD ROBERTUM ET SORORES ET FILIAS SUAS.

Petitam mittit exhortationem, quae eas ad bene vivendum accendat. Ut bonam in omnibus voluntatem habeant: ut importunas cogitationes et motus involuntarios contemnendo vincere studeant, ne illis perturbentur.

ANSELMUS, archiepiscopus, amico et filio charissimo ROBERTO, et sororibus et filiabus suis dilectissimis SEIT, EDIT et HYDIT, LUVERIM , VIRGIT, GODIT, salutem, et benedictionem Dei et suam, si quid valet.

Gaudeo et gratias ago Deo de sancto proposito et sancta conversatione quam invicem habetis in dilectione Dei et vitae sanctitate, sicut didici per fratrem et filium nostrum Guillelmum. Poscit vestra chara mihi dilectio, filiae charissimae, ut aliquam vobis scribam admonitionem quae vos doceat et accendat ad bene vivendum; quamvis vobiscum habeatis dilectum filium nostrum Robertum, cui Deus inspiravit ut vestri curam secundum Deum habeat, et vos quotidie, qualiter vivere debeatis, verbo et exemplo edoceat. Quoniam tamen sanctae petitioni vestrae, si quid possum, favere debeo, pauca vobis vestro competentia desiderio scribere tentabo. Filiae charissimae, omnis actio laudabilis, sive reprehensibilis, ex voluntate habet laudem vel reprehensionem. Ex voluntate namque est radix et principium actionum quae sunt in nostra potestate; et si non possumus quod volumus, judicatur tamen coram Deo unusquisque de propria voluntate. Nolite igitur considerare tantum quid

facitis, sed quid velitis; non tantum quae sunt opera vestra quantum quae sit voluntas vestra. Omnis enim actio quae fit recta, id est justa voluntate, recta est; et quae fit non recta voluntate, non recta est; justa voluntate dicitur homo justus, et injusta voluntate dicitur injustus. Si ergo bene vultis vivere, voluntatem vestram indesinenter custodite in magnis et in minimis. In his quae potestati vestrae subjacent, et in his quae non potestis, ne aliquatenus a rectitudine declinet. Si autem vultis cognoscere quae vestra voluntas sit recta, illa pro certo est recta quae subjacet voluntati Dei. Cum ergo aliquid magnum facere vel disponitis vel cogitatis, ita dicite in cordibus vestris: Vult Deus hoc velim, an non ? Si vobis respondet conscientia vestra, Vere vult Deus ut hoc velim, et placet illi talis voluntas , tunc sive possitis sive non possitis quod vultis, voluntatem tamen amate. Si autem conscientia vestra vobis testatur quod Deus non vult vos illam habere voluntatem, tunc toto conatu avertite ab illa cor vestrum; et si bene illam a vobis vultis expellere, in quantum potestis, ejus cogitationem et memoriam a corde excludite. Quomodo autem pravam voluntatem aut cogitationem a vobis excludatis, hoc parvum consilium quod vobis do intelligite et tenete. Nolite litigare cum perversis cogitationibus vel perversa voluntate, sed cum vobis infestae sunt, aliqua utili cogitatione et voluntate mentem vestram, donec evanescant, fortiter occupate. Nunquam enim expellitur de corde cogitatio vel voluntas, nisi alia cogitatione et alia voluntate quae illis non concordat. Sic igitur vos habete ad inutiles cogitationes et voluntates, ut toto nisu intendendo ad utiles, mens vestra dedignetur eas saltem recordari vel aspicere. Cum autem vultis orare, aut aliquam bonam meditationem intendere, si vobis tunc importunae sunt cogitationes quas non debetis

suscipere, nunquam propter illarum importunitatem bonum quod incoepistis, velitis dimittere, ne instigator illarum diabolus gaudeat quia vos a bono incoepto facit deficere; sed eo quem dixi modo illas contemnendo superate. Neque doleatis, neque contristemini de illarum infestatione, quandiu illas, sicut dixi contemnendo, nullum eis assensum praebetis, ne occasione tristitiae iterum redeant ad memoriam, et suam importunitatem resuscitent. Hanc enim mens hominis habet consuetudinem, ut hoc unde delectatur aut contristatur, saepius ad memoriam redeat, quam hoc quod negligendum sentit aut cogitat. Similiter se debet habere persona in sancto proposito studiosa, in quolibet motu indecente, in corpore, vel anima, sicuti est stimulus carnis, aut irae, aut invidiae, aut inanis gloriae. Tunc enim facillime exstinguuntur, cum et illos velle sentire, aut de illis cogitare, aut aliquid illorum suasione facere dedignamur. Neque timetis quod hujusmodi motus vel cogitationes vobis ad peccatum imputentur, si nullatenus voluntas vestra illis se associat, quoniam nihil damnationis est in his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulabunt. Secundum **415** carnem enim ambulare, est carni voluntate concordare. Carnem autem vocat Apostolus omnem vitiosum motum in anima, vel corpore, cum dicit: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* Facile quidem hujusmodi suggestiones exstinguimus, si principium earum, secundum praedictum consilium, conterimus; difficile vero, postquam caput earum intra mentem admittimus. Tibi, amice et fili charissime Roberte, gratias, quantum possum, ago, pro cura et dilectione quas erga easdem ancillas Dei, propter Deum, habes; et precor toto affectu ut in hac sancta et pia voluntate perseveres. Certus enim potes esse quia magna te pro hoc sancto studio apud

Deum retributio exspectat. Omnipotens Deus sit semper custos totius vitae vestrae. Amen. Absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus, et semper ad meliora cum humilitate faciat vos proficere, et nunquam deficere. Amen .

EPISTOLA CXXXIV. ANSELMI AD VALERANNUM.

Habetur supra parte I, Patrol. t.CLVIII, col. 511.

EPISTOLA CXXXV. VALERANNI AD ANSELMUM,

col. 547

EPISTOLA CXXXVI. ANSELMI AD VALERANNUM.

Habetur eadem parte I, col. 551

EPISTOLA CXXXVII . ANSELMI AD TUROLDUM BECCENSEM MONACHUM.

Quod mundo vale dixerit, vehementer gaudet.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, fratri et amico charissimo TUROLDO , Dei gratia monacho Beccensi, salutem et boni propositi perserverantiam usque in finem,

Benedictus Deus in donis suis et sanctus in omnibus operibus suis, qui cor vestrum convertit a vanitate ad veritatem. Vanitatem enim sequuntur omnes qui altitudines et honores atque divitias hujus saeculi concupiscunt , quia nullatenus possunt satiare mentem, sicut promittunt; sed quanto plus abundant, tanto magis animam esurientem faciunt, nec ad ullum bonum finem perducunt. Veritatem autem tenent, qui terrena et transitoria toto corde contemnunt, et ad veram humilitatem toto conatu ascendunt. Namque nequaquam videntur spiritualibus oculis, qui se humiliant, descendere; sed ad montem altissimum, de quo ad regnum coelorum ascenditur, conscendere. In viam paradisi vos direxit divina clementia, imo in quemdam paradisum hujus vitae vos introduxit, cum vos in claustralem conversationem monachici propositi introduxit. Caveat igitur vestra prudentia ne cor vestrum retro respiciat. Retro autem monachus respicit cum ea saepe recolit quae deseruit. Quod cum saepe facit, refrigescit in eo amor coelestis, et reviviscit amor mundi, et fastidium taediumque propositi sui. Sicut igitur corpus vestrum est segregatum a saecularium conversatione, sic vestrum cor sit separatum a mundana cogitatione, et sit semper occupatum aliqua utili et spirituali meditatione.

Spiritus sanctus semper faciat vos gaudere et gratias agere Deo de bono incoepto. Amen.

EPISTOLA CXXXVIII . ANSELMI AD BASILIAM.

Mulieri huic piissimae epistolam scribit admodumpiam. Quod homo semper aut in coelum ascendat, aut in infernum descendat. Et quod hoc maxime attendere debeat.

ANSELMUS archiepiscopus BASILIAE amicae, filiae in Domino charissimae, salutem, et benedictionem Dei, ac suam, si quid valet.

Didici per legatos vestros quia vehementer desideratis litteras nostras; in quo recognosco vestram bonam voluntatem et Christianam intentionem. Nihil enim video cur illas desideretis, nisi ex illis aliquod consilium animae vestrae salubre inde accipiatis. Quamvis ergo tota sacra Scriptura vos doceat qualiter vivere debeatis, si eam vobis exponi facitis, non tamen debeo esse avarus neque inexorabilis religiosae petitioni vestrae. Dicam igitur vobis, filia charissima, aliquid quod si frequenter tota intentione mente pertractaveritis, multum cor vestrum ad timorem Dei et ad amorem bene vivendi accendere poteritis. Semper sit ante oculos mentis vestrae quia vita praesens finem habet; et nescit homo quando ultima dies, ad quam indesinenter die ac nocte propinquat, adveniat. Vita praesens via est. Nam quandiu vivit homo, non facit nisi ire. Semper enim aut ascendit in infernum aut

descendit. Cum facit aliquod bonum opus, facit unum passum ascendendo; cum vero aliquo modo peccat, facit unum passum descendendo. Iste ascensus vel descensus tunc cognoscitur ab unaquaque anima quando exit de corpore. Qui sollicite studet dum hic vivit bonis moribus et bonis operibus ascendere, in coelo collocabitur cum sanctis angelis; et qui malis moribus descendit, in inferno sepelietur cum perditis angelis. Hoc utique notandum est quia valde velocius et facilius descenditur quam ascenditur. Quapropter in singulis voluntatibus et actibus suis debet Christianus et Christiana diligenter considerare si ascendat, aut si descendat, et toto corde ea in quibus videt se ascendere amplectatur atque illa in quibus cognoscit descensum fieri in infernum, fugiat et exsecretur. Moneo itaque et consulo vobis, in Deo amica et filia dilectissima , ut in quantum, adjuvante Deo, potestis, ab omni peccato magno vel parvo vos retrahatis, et in sanctis actibus vos exerceatis. Oro omnipotentem Deum ut ipse vos semper et ubique protegat, dirigat et custodiat. Amen.

416 EPISTOLA CXXXIX . AD LAMBERTUM ABBATEM S. BERTINI.

Suadet oblatum regimen assumere.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, charissimo amico suo, reverendo abbati coenobii Sancti Bertini, LAMBERTO, salutem, et dilectionem cum orationibus.

Quia Ecclesia Remensis desiderat et petit reverentiam vestram (sicut scripsisti mihi) ad regimen archiepiscopatus, postulat vestra prudentia a mea parvitate consilium quid sibi faciendum sit in tam magna re, tam onerosa, tamque periculosa. In primis oro Deum ut ipse nihil permittat de vobis fieri nisi quod illi placet et vobis expedit. Consilium autem meum quod petitis, in quantum intelligere possum, hoc mihi videtur salubrius ut voluntas vestra, quantum in vobis est, nullum praebeat assensum, nihil dicatis, nihil faciatis quod ad hoc possit valere , ut ad onus ad quod vocamini aliqua occasione pertrahamini. Nulla vos cogat necessitas, praeter solam et puram obedientiam. Obedientiam vero nullam suscipiatis, nisi a domno abbate Cluniacensi, cui vos subdidistis. Quod autem dicitis vos malle inobedientiae culpam incurrere quam tam onerosum opus et operosum onus suscipere, non est meum consilium. Periculosior namque est inobedientia quam non sequitur poenitentia, quam sit obedientia quae in spe misericordiae Dei aggreditur etiam ea quae videntur impossibilia. Virtus enim et meritum obedientiae, cum sola impellit hominem in pericula, aut defendit hominem a peccato, aut si forte peccat, valde veniale est si comitatur semper poenitentia. Qui autem vivit in inobedientia, nullum bonum ejus facit sine macula.

EPISTOLA CXL. PASCHALIS PAPAE AD ANSELMUM.

Plurimum gaudet quod Henricus ecclesiasticis obsecundarit praeceptis. Anselmum absolvit ab excommunicatione quam

se incurrisse timebat propter investituras regis; dat ei potestatem alios qui investiti a rege fuerint et ipsum regem absolvendi excepto Eliensi abbate.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ANSELMO, Cantuariensi archiepiscopo, salutem et benedictionem.

Quod Anglici regis cor ad apostolicae sedis obedientiam etc. *Exstat in Registro Paschalis II, infra, ad an.* 1118.

EPISTOLA CXLI . ANSELMI AD ARNULFUM ABBATEM TROARNENSEM.

Ex morbo laboranti collaborat, et petitum de abjicienda praepositura consilium praebet, ut eam dimittat si consentiant archiepiscopus et fratres.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, dilecto amico suo ARNULFO, reverendo abbati Troarnensi , salutem et gratiae Dei continuam protectionem et consolationem.

Litterae quas domno abbati Rodulfo misistis de aegritudine et de angustiis vestris, graviter cor nostrum charitativa compassione percusserunt; in quibus etiam consilium petit sanctitas vestra a mea parvitate de dispositione Ecclesiae suae, quoniam propter nimietatem aegritudinis desperat se ita, sicut hactenus fecit, et quemadmodum oportet, illam posse **417** gubernare et disponere. De aegritudine quidem magnam debet colligere mens vestra consolationem,

quia *flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Et exempla sanctorum virorum, qui multas et gravissimas passi sunt aegritudines, sicut fuit Job, et sicut legitur de quodam sancto viro qui paralysi toto corpore dissolutus, a fratribus, quoniam ipsi illum tractare non poterant, feminis traditus est, multum vos confortare debent. Nusquam enim legimus quod aegritudines sanctorum illis fuerunt ad detrimentum, sed semper legimus eos ad meliora per tribulationes , processisse. Nam etsi bona opera aliquando impediantur in languoribus, gratia tamen Deo non minuitur sed augetur, si bona voluntas in tribulatione non decrescit; nec exigit Deus a servis suis plus quam facere possint. De consilio vero quod petitis de dispositione Ecclesiae vestrae, Deum oramus ut ipse vobis consulat; et vos et Ecclesiam vestram cum filiis protegat atque regat. Quod tamen mihi videtur, in quantum possum intelligere, tacere non debeo. Curam Ecclesiae quam per obedientiam et charitatem eorum ad quos hoc pertinuit, sine propria voluntate suscepistis, sola vestra voluntate non debetis rejicere, sed obedientiam usque ad mortem servare. Sed si assensu et consilio archiepiscopi, quia episcopum non habetis. et fratrum. et eorum qui rei cognoscunt necessitatem, talis electa fuerit persona quae onus vestrum, quod hactenus portastis, digne possit suscipere, tunc utique hoc quod per obedientiam suscepistis, licite si ad salutem vos redire desperatis, potestis dimittere. Filios vestros hortor et consulo quatenus quanto magis ipsi ad praesens vestro nequeunt uti auxilio et consilio, tanto magis solliciti ipsi sint ne religio, quae in vestra sanitate in illis vigebat, deficiat; sed invicem se charitative hortantes, propositum suum inviolabiliter custodiant.

EPISTOLA CXLII . ANSELMI AD MURIARDACHUM REGEM HIBERNIAE.

Hunc regem depraedicat ob pacati regni felicitatem Et eum admonet ut quae corrigenda sunt corrigat, maxime cognatorum conjugia et irregularium episcoporum ordinationes.

MURIARDACHO, glorioso, gratia Dei, regi Hiberniae, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, salutem cum orationibus, et Dei misericordia semper regi et protegi.

Gratias ago Deo de bonis multis quae de vestra celsitudine audio. Inter quae est hoc quia gentem regni vestri in tanta pace facitis vivere, ut omnes boni qui hoc audiunt, Deo gratias agant, et vitae vestrae diuturnitatem desiderent. Ubi enim pax est, licet omnibus bonam voluntatem habentibus quod optant sine perturbatione malorum hominum efficere. Unde vestra celsitudo, per quam Deus ista facit, ab eo certissime magnam retributionem debet exspectare. Super hoc utique pacis fundamentum facile est alia quae ecclesiastica religio exigit, aedificare. Precor itaque bonae voluntatis vestrae constantiam quatenus consideret si qua sunt in regno vestro corrigenda, propter vitae aeternae praemium, et ut magis ac magis in vobis gratia Dei augeatur, sollicite, Deo adjuvante, studeatis emendare. Nihil enim est contemnendum quod corrigi possit, quia Deus exigit ab omnibus non solum quod male agunt, sed etiam quod non corrigunt mala quae corrigere

possunt. Et quanto potentiores sunt ut corrigant, tanto districtius exigit ab illis Deus, ut secundum potestatem misericorditer impensam bene velint et faciant. Quod maxime videtur ad reges pertinere, quoniam ipsi cognoscuntur majorem potestatem, et cui minus contradicitur, inter homines obtinere. Si autem non omnia simul potestis, non debetis propter hoc quin a melioribus ad meliora studeatis proficere, quia bona proposita et bonos conatus Deus solet benigne perficere et beata plenitudine retribuere. Auditur apud nos quia conjugia in regno vestro sine omni ratione dissolvuntur et commutantur, quia cognati sive sub nomine conjugii, sive alio modo, palam sine reprehensione contra canonicam prohibitionem commisceri non vereantur. Episcopi quoque, qui debent esse forma et exemplum aliis canonicae religionis, inordinate, sicut audivimus, aut a solis episcopis aut in locis ubi ordinari non debent, consecrantur. Haec et alia quae magnitudinis vestrae prudentia in Hibernia corrigenda cognoverit, precor, obsecro et consulo, sicut illi quem valde diligo, et cujus profectum per omnia desidero, quatenus consilio bonorum virorum et sapientium regni vestri corrigere studeatis; et Deum oro, de regno terreno ad regnum coeleste transeatis. Amen.

EPISTOLA CXLIII . ANSELMI AD GISLEBERTUM LUNICENSEM EPISCOPUM.

Gratiam habet praesuli gaudenti quod suis auspiciis res Ecclesiae bene verteret.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, GISLEBERTO, Lunicensi episcopo, salutem.

Gratias ago reverentiae vestrae quia laetam se significat in litteris suis, quod Deus in Ecclesia sua ad profectum religionis per me dignatur aliquid operari. Quoniam autem olim nos apud Rothomagum invicem cognovimus, dilectione sociati sumus, et nunc cognosco vos ad episcopatus dignitatem gratia Dei profecisse, confidenter audeo vos obsecrare, et secundum quod intelligo opus esse, vobis consulere. Sublimavit Deus in Hibernia vestram prudentiam ad tantam dignitatem, et posuit vos ut studeretis ad religionis vigorem et animarum utilitatem. Satagite ergo sollicite, sicut scriptum est de eo qui praeest in sollicitudine, in illa gente, quantum in vobis est, corrigere et exstirpare, et bonos mores plantare et seminare. Ab hoc etiam, quantum in vobis est, regem vestrum, et alios episcopos, et quoscunque potestis, suadendo, et gaudia quae parata sunt bonis, ac mala quae exspectant malos, ostendendo attrahite, ut de vestris et de aliorum bonis operibus praemium mereamini a Deo accipere. Grates refero pro munere vestro quod mihi benigne misistis. Orate pro me.

EPISTOLA CXLIV . AD MONACHUM APOSTATAM.

Praeceptis, consiliis et minis errantes duas oves ad gregem revocat.

ANSELMUS, Dei gratia archiepiscopus Cantuariae, ADRIANO, qui fuit monachus Christi Ecclesiae Cantuariensis, et suadente diabolo, reliquit habitum suum, si vult redire ad monasterium suum et ad monachicum propositum, salutem et veram dilectionem.

Fratrem et filium non debeo nominare, donec sciam te poenitentiam peccati et erroris tui agere; **418** et hoc cognoscam per reversionem tuam. Quod si, Deo per gratiam suam inspirante, secundum desiderium meum videro, certus esto quia in me paternam pietatem et fraternam charitatem sine figmento, Deo annuente, invenies. Consulo igitur et consulendo precor ut hominem, cujus animae salutem affectu cordis desidero; et praecipio ea auctoritate quae mihi a Deo et ab Ecclesia Dei tradita est, super omnes viventes professos obedientiam et stabilitatem in praefato monasterio; et adjuro per eamdem professionem et stabilitatem, quam te in eodem loco servaturum coram Deo promisisti, et per utrumque adventum Domini nostri Jesu Christi, sicut vis ut primus sit tibi ad salutem, et secundus non sit tibi ad damnationem, quatenus resipiscas, et redeas ad Ecclesiam in qua monachus fuisti quantum ad habitum, et esse debes secundum veritatem, et ad me, et ad fratres, qui te propter animae tuae salutem desideramus, si non vis in excommunicatione et anathemate mori. Nullus enim homo in praesenti vita vivens potest te absolvere ab his vinculis excommunicationis et anathematis, nisi quod vera dilectione precor et consulo, feceris. Istas meas litteras praecipio tibi, si qua adhuc vena obedientiae vivit in te, ut ostendas, si opportunitatem habes, Airardo, qui tecum ab Ecclesia Cbristi discessit; et quidquid tibi scribo, illi simili charitate et

auctoritate mando. Quamvis non mereamini adhuc ut pro vobis orem, tamen oro Deum omnipotentem ut ipse vos convertat ad se, et ad salutem animarum vestrarum, et laetificet me de vestro desiderato reditu. Amen.

EPISTOLA CXLV . WALTERI AD ANSELMUM.

Exsultat de felici Anselmi in Angliam reditu, simulque ab eo quidpiam expetit piae consolationis.

Domino desiderabili, et totis viscerum medullis concipiendo matri Ecclesiae catholicae ANSELMO, frater WALTERUS, unus suorum extrema pars devotorum, desideratae pinguedinis, intimae suavitatis haustum sufficientem.

Haeret lingua, sensus haeret, nutat manus, dum revolvit dulcedinem vestrae salutationis, qua se vestra celsitudo ad tantillum homuncionem dignata est inclinare. Ece ad vocem vestram confortata sunt ossa mea, exhilarata praecordia mea, quia sane nunc cognovi me vestram gloriam non inaniter amasse, quando vos meam humilitatem non dedignati estis recognovisse. Et revera quanto in me nihil promptum, nihil robustum considero, tanto erga meam imbecillitatem vestram diligentiam pluris duco. Omnipotenti itaque Deo laudis hostiam mecum referunt omnes amici vestri, qui saeculum nostrum praesentiae vestrae lumine destitutum feliciore beatitudinis vestrae reditu exhilaravit. Depulit enim, qualiter

voluit, quidquid requiei placidae voluntatis vestrae obnitebatur; unoque momento, quod nobis longissimum videbatur, citissimum nobis effectu pleniore perfecit. Introitus enim vester pacificus factus est et nobis et vobis, quia dum protractae querelae terminum posuistis, Ecclesiis canonice collatis, vos quoque requievistis. Itaque requiei vestrae et communi bono congratulantur omnes amici vestri, et vos, quia corpore conjuncti non possunt, desideriorum gressibus invisere non desistunt. De nostris potissimum monachis dico, quos vobis majoris dote familiaritatis, et subventione transactae necessitatis proclivius devinxistis. Sed quoniam mei causa coepi, ad me mihi redeundum est. Optatissimum mihi esset, si fieri posset, ante finem meum vestro conspectu perfrui, et coram vobis de meis calamitatibus conqueri. Pertransiit enim tempus meum, et nescio si quem diuturnitate vitae collegerim fructum. Sed quoniam voluntati meae debilitas senilis obsistit, ecce hic ubi sum vobis suspirando, miserias et languores animae quos contraxi repraesento, id potissimum, exorando ut, sicut omnibus omnia facti estis, eo me modo rescripto mansuetudinis vestrae informare dignemini, quo praesentem, si ita contigisset, consolaremini. Erit enim hoc magnum tutamentum meae necessitatis et monimentum gratum vestrae suavitatis. Ad hoc sane mea haec tendit oratio, ut, quoniam vobis ex toto juxta votum frui non possum, saltem mihi aliquam vestri portiunculam concedatis, non qua fruar pro vobis. sed cujus respectu in vestra consolatione respirem. Non quia aegritudini meae sufficientia desint alimenta Scripturarum, sed quia semper satius est aegroto, si ei quod desiderat tribuatur. Et saepe tactus unius demulcet, cui multorum medicamina non inhaerent. Omnipotens Deus mentem vestram et linguam, parvulorum

suorum consolationi diutius reservet, et placidae vestrae voluntati conatus adversariorum potentiae suae dextera substernat . Amen.

EPISTOLA CXLVI . ANSELMI AD WALTERUM.

Est rescriptum ad ante positas litteras.

ANSELMUS archiepiscopus fratri et dilectori suo WALTERO salutem et benedictionem Dei, et suam, quantum valet.

Litteras religiosae dulcedinis tuae suscepi, velut favum pinguem, et exundantem, et stillantem densas et suaves guttas inexplicabilis erga me dilectionis. In quibus sancto referta fervore anima tua diligenda et dilecta animae meae, tanto se significat flagrare desiderio nostri colloquii; et quia hoc fieri posse desperat, saltem per litteras nostrae salutationis et aedificantis admonitionis; ut anima mea miretur unde tua erga me concepit tantum affectum amoris, nisi quia *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis; et nescis unde veniat aut quo vadat* **(Joan. III, 8).** Quippe mea merita hoc impetrare apud homines nequeunt, ut sic diligar ab homine; sed Spiritus sanctus, per quem charitas in cordibus servorum Dei diffunditur, ipse animam tuam tali ac tanto fecundavit affectu. Cujus vocem in litteris tuis audio, sed unde hoc inspiret nescio, quia cur hoc faciat in me non invenio. Quem rogo ut

nunquam a te vadat, sed semper in te maneat, et totum spiritum tuum indesinenter amore Dei et proximi fervere faciat. Gratias ago Deo qui mihi ut ita a te diligar dedit, sed tibi multo majus donum tribuit cum cor tuum sic amore proximi implevit. Valde namque est gratius Deo diligere proximum quam diligi a proximo. Semper ergo plus debemus studere amare quam amari; et plus gaudere, et majorem quaestum aestimare cum amamus, quam cum amamur. Atque magis dolendum nobis est, et majus damnum credendum, cum perdimus amorem quo amamus , quam cum amittimus illum a quo amamur; amanti enim praemium debetur, non amato. Deum, pro cujus amore me diligis, oro ut ipse te diligat, ipse te ad bene vivendum, quod a me petis, instruat; ipse te ab omnibus peccatis absolvat, et ipse te ad vitam aeternam perducat. Amen.

419 EPISTOLA CXLVII . ANSELMI AD MURIARDACHUM HIBERNIAE REGEM.

Etiam atque etiam rogat mederi, aut curare medendum pestilentibus sui regni moribus. Ne amplius viri uxores suas aliorum uxoribus commutent, et episcopus non nisi in uno certo loco constituatur, nec nisi a pluribus episcopis ordinetur.

MURIARDACHO, glorioso regi Hiberniae, ANSELMUS archiepiscopus, servus Ecclesiae Cantuariensis, fidele cum orationibus obsequium, et per regnum terrenum mereri coeleste.

Quoniam multa de vestra excellentia praedicantur quae regiam decent dignitatem, valde gaudemus; et Deo, a quo est omne bonum, devotas exinde gratias agimus. Confidimus autem quia qui vobis contulit gratiam suam in faciendis bonis quae facitis , conferet quoque affectum perficiendi ea quae super illa quae facitis eum velle cognoscitis. Quapropter, gloriose fili et in Deo charissime, precor ut ea quae in regno vestro secundum Christianam religionem emendanda cognoveritis, omni instantia et sollicitudine emendetis. Ad hoc enim Deus in regali sublimitate vos constituit ut virga aequitatis subditos populos gubernetis, et quidquid in eis justitiae adversatur, eadem virga percutiatis et amoveatis. Et quidem quiddam dicitur fieri in ipso populo quem regendum suscepistis, quod magnopere corrigendum est, quia Christianae religioni omnimodis contrarium est. Dicitur enim quod viri ita libere et publice uxo res suas uxoribus aliorum commutant , sicut quilibet equum equo, aut quamlibet aliam rem re alia ab illo commutat; aut pro libitu et sine ratione relinquunt. Quod quam malum sit, omnis qui Christianam legem novit, intelligit. Si igitur excellentia vestra divinarum Scripturarum sententias quae huic infami negotio obviant per se legere non valet, praecipite episcopis et religiosis clericis qui in vestro regno sunt ut eas vobis edicant, quatenus, eis cognitis, quo studio vobis invigilandum sit, ut hoc malum corrigatur, cognoscatis. Item dicitur episcopos in terra vestra passim eligi, et sine certo episcopatus loco constitui, atque ab uno episcopo episcopum sicut quemlibet presbyterum ordinari. Quod nimirum sacris canonibus omnino contrarium est; et eos qui taliter instituti sunt aut ordinati, cum suis ordinatoribus ab episcopatus officio deponi praecipiunt. Episcopus namque, nisi certam parochiam et populum cui

superintendat, habeat, constitui secundum Deum non potest, quia nec in saecularibus nomen vel officium pastoris habere valet, qui gregem quem pascat non habet. Honor quoque episcopalis non parum vilescit, dum is ad pontificatum assumitur qui ordinatus, quo divertat vel cui per episcopale ministerium certo praesideat, nescit. Minus quoque quam a tribus episcopis ordinari non debet, cum propter multas alias et rationabiles causas, quas epistolaris brevitas non admittit, tum ut fides, vita et sollicitudo ejus qui invigilare debet, idoneis et legalibus testibus comprobetur. Precor itaque, hortor et moneo quatenus excellentia vestra operam det ut ista in regno suo corrigantur, quatenus merces, quam a Deo pro aliis bonis expetitis , pro istis vobis augeatur. Caeterum, si quid in vobis aut in his quos regere suscepistis quod ullatenus voluntati Dei adversari queat, perpenderitis, sollicite emendare satagite, ut cum de terreno regno transieritis ad coeleste regnum veniatis. Amen. De fratre nostro Cornelio, quem sibi celsitudo vestra mitti rogavit, dico quia ita occupatus est circa servitium patris sui, ut nec ab eo queat sine periculo vitae illius separari, nec eum, qui jam senio confectus est, secum ullatenus ducere.

EPISTOLA CXLVIII . ANSELMI AD ODONEM MONACHUM.

Ut non deserat munus sibi commissum ob ingravescentem aetatem.

ANSELMUS archiepiscopus fratri charissimo ODONI, monacho et cellerario , salutem, et benedictionem Dei et suam.

Dicitur quod quia sentis aetate et aegritudine finem tuum propinquare, ideo vis obedientiam tuam, in qua hactenus Deo et conventui ecclesiae in qua vivis deservisti, deserere. Notum tamen volo esse dilectioni tuae quia hoc consilium non est ex bona parte. De malis enim operibus debemus agere poenitentiam, et ea relinquere ante mortem, ne in illis inveniat nos ultima dies. In bonis vero operibus debemus perseverare usque in finem, ut in illis assumatur anima nostra de hac vita. De benefacientibus namque perseveranter dictum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* **(Matth. X, 12),** non de illis qui ante finem a bono opere deficiunt. Expedit igitur animae tuae, frater et fili charissime, ut in obedientia quam secundum posse tuum ad placitum Dei, in quantum cognoscere possumus, et ad placitum abbatis tui et fratrum tuorum tenuisti, perseveres quandiu vita in te fuerit, et abbas tuus tibi jusserit, bono et laeto animo, sine omni rancore et murmuratione, ut etiam loquendo et disponendo aliquid de eadem obedientia emittas spiritum. Sic enim eveniet tibi illa promissio quae perseverantibus usque in finem promittitur. Nec te terreat quia propter imbecillitatem corporis non vales modo ita efficaciter facere et curare quae facienda sunt in eadem obedientia, sicut olim faciebas in sanitate et juventute. Namque non exigit Deus a te ultra posse tuum. Nec te perturbent quaelibet adversitates, undecunque veniant, quibus te vult inimicus animae tuae vexare et fatigare, ut ante finem deficias et praemium perseverantiae perdas. Hortor igitur et precor quatenus hoc in corde tuo proponas et stabilias ut

bonum opus, quod hactenus fideliter Deo adjuvante tenuisti, nequaquam, donec vivas, deseras, nisi hoc abbas tuus et fratres tui non tua importunitate, sed sua spontanea voluntate tibi praecipiant. Et certus esto quia quanto majori difficultate, cum propter imbecillitatem tuam, tum propter quaslibet adversitates, obedientiam tibi injunctam facies , tanto majus praemium a Deo recipies. Oro Deum omnipotentem ut ipse cor tuum dirigat, et quantum in me est, benedictionem et absolutionem Dei tibi mando, frater charissime.

420 EPISTOLA CXLIX. ANSELMI AD THOMAM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Ecclesia ultra tres menses sine pastore non debet esse, unde ipsi praescribit ut VIII Idus Septembris Cantuariae se sistat ab eo consecrandum, et ne ipse electum episcopum S. Andreae de Scotia nondum consecratus consecrare praesumat.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, THOMAE, electo archiepiscopo Eboracensis Ecclesiae, salutem.

Canonica auctoritas praecipit ut Ecclesia episcopatus ultra tres menses non maneat sine pastore. Quoniam autem regi placuit, consilio baronum suorum, et nostra concessione, ut vestra persona eligeretur ad archiepiscopatum Eboracae, non debet per vos terminus salubriter constitutus diutius differri. Unde miror quia post electionem vestram non requisistis ut

consecraremini ad quod electi estis. Mando itaque vobis ut VIII Idus Septembr. sitis apud matrem nostram ecclesiam Cantuariensem, ad faciendum quod facere debetis, et ad suscipiendam consecrationem vestram. Quod si non feceritis, ad me pertinet ut ergo curam habeam et faciam quae pertinent ad episcopale officium in Eboracensi archiepiscopatu. Praeterea audivi quia vos, priusquam consecremini, facere vultis, ut electus episcopus Sancti Andreae de Scotia apud Eboracum consecretur.

Quod nec facere debetis, nec ego concedo, sed omnino interdico ne fiat, aut de illo, aut de aliqua persona quae in regimen animarum debet provehi ab archiepiscopo Eboracensi, quia non pertinet ad vos dare vel concedere alicui curam animarum, quam nondum accepistis. Vale.

EPISTOLA CL ANSELMI AD GOFFRIDUM

Virum probum a vitae integritate laudat, et a quo sibi caveat, monet, maxime ne aliorum facta discernens eos contemnat.

ANSELMUS, archiepiscopus GOFFRIDO salutem et benedictionem Dei, et suam.

Juhel, nepos vester, mihi narravit vitam vestram et rogavit me ex vestra parte ut vobis consulerem qualiter vivere deberetis. Sed cum audissem vitam vestram, non potui cogitare quid vobis possem addere in psalmis, in orationibus, in abstinentiis, in afflictione corporis, ultra hoc quod vos per

gratia Dei incoepistis et facitis. Hoc itaque quod facitis, quandiu cum salute corporis vestri facere potestis, tenete. Si autem senseritis quod in aegritudinem vobis vertatur, tunc consulo ut sicut expedire cognoscetis, vos temperetis. Melius est enim ut cum salute corporis laeto animo aliquid faciatis, quam per aegritudinem ab his quae cum laetitia benefacitis, pro nihilo ducatis, neque alios qui hoc non faciunt, ullo modo contemnatis, aut eos esse minoris meriti apud Deum quam vos existimetis. Bonum enim est exercitium corporis, sed multo magis amat Deus cor plenum pietate, dilectione, humilitate et desiderio perveniendi ubi possit et delectetur ipsum Deum videre. Omnipotens Deus vos doceat, et corroboret, et consoletur. Absolutionem Dei et nostram, si quid valet, ab omnibus peccatis vestris vobis mitto. Rogo, orate pro me.

EPISTOLA CLI . ANSELMI AD JOANNEM PRIOREM, ET CONGREGATIONEM BATENSEM.

Eos Dei domum et templum futuros, si matuam servent concordiam, et in minimis observantiam teneant.

ANSELMUS archiepiscopus JOANNI, priori, et toti congregationi Batensi servorum Dei benedictionem Dei, et suam, si quid valet.

Dominus Joannes, lator praesentium, petiit a me ut fraternitati vestrae aliquam monitionem scriberem quae esset signum paternae dilectionis. Possum quidem breviter comprehendere

quaecunque vitanda sunt, et quae appetenda dicendo: *Declina a malo et fac bonum* **(Psal. XXXVI, 27);** sed convenientius existimo ut de aliqua virtute nominatim religionem vestram admoneam. Hortor ergo ut pacem servare inter vos toto corde studeatis, quia dicitur de Deo: *Factus est in pace locus ejus* **(Psal. LXXV, 5).** Ita ergo domus et templum Dei vere eritis, si pacem inter vos constanter habueritis. Quam hoc modo assequi et servare poteritis, si unusquisque non intendat ut alius faciat suam voluntatem, sed ipse semper, servata rectitudine et voluntate Dei alterius faveat voluntati. Inter saeculares homines est contentio de propria singulorum voluntate, ut unusquisque dicat, non sicut tu vis, sed sicut ego volo; contentio vero monachorum est: Non secundum voluntatem meam fiat, sed secundum tuam. Nec debet unusquisque exspectare ut cum facit alterius voluntatem, ille sibi similiter faciendo retribuat, sed in hoc debet studere ut quidquid alius faciat, ipse nunquam a bono proposito suo deficiat. Est et aliud quod valde pacem et dilectionem inter fratres conciliat: si nullus aliquando fratri suo aliquid dicit de alio unde amicus ejus aliquo modo offendatur; sed semper, si potest, frater de fratre loquatur unde cor ejus ad dilectionem accedatur. Haec, fratres et filii mei charissimi, servate. De ordine quoque vestro ita solliciti esse debetis, ut non in modico illum alicubi, vel aliquando, in secreto, vel in conspectu aliorum, violetis. Scriptum est enim: *Qui modica despicit, paulatim decidet* **(Eccli. XIX, 1).** Si ergo coram Deo vultis proficere, nunquam minima mandata velitis despicere. Sicut autem qui modica despicit, paulatim decidit, sic qui modica non despicit, non dico paulatim, sed efficaciter proficit. Fratres, facite ut possitis dicere cum Propheta : *Anima mea in manibus meis*

semper **(Psal. CXIII, 15).** In omnibus enim operibus vestris debetis considerare quasi anima sit in manibus vestris semper; quia quidquid unusquisque faciet, hoc anima ejus recipiet. Omnipotens Deus vos ab omni malo custodiat, et absolutos ab omnibus peccatis in bonis operibus vos perseverare faciat. Amen. Precor ut oretis pro me.

421 EPISTOLA CLII ANSELMI AD PASCHALEM II PAPAM.

Ut non mittat pallium arehiepiscopo Eboracensi nondum consecrato, nec Londoniensi episcopo, qui illud nunquam habuit, ne Ecclesiae Cantuariensis primatus a sua dignitate excidat, quod pati neutiquam potest. Inquirit et utrum regi Teutonicorum permittat dare investituras, sicut rex Angliae audierat.

Domino et Patri diligendo et reverendo PASCHALI, summo pontifici, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis , debitam obedientiam cum fidelibus orationibus.

Quoniam fortitudo et directio Ecclesiarum Dei maxime, post Deum, pendet ex auctoritate paternitatis vestrae, quando ratio exigit, ad ejus libenter recurrimus auxilium et consilium. Archiepiscopus Eboracensis, Gerardus nomine, migravit de hac vita, et alius, Thomas nomine, loco ejus electus est. De quo rumor est quia quaeritur ei pallium antequam sit consecratus et mihi faciat professionem secundum antiquam consuetudinem antecessorum meorum et suorum. Haec est

igitur summa precum mearum in hac re, ut antequam consecretur, et mihi debitam obedientiam, sicut dixi, profiteatur, et hoc factum esse litteris nostris cognoscatis, a vestra excellentia pallium non suscipiat. Quod non idcirco dico quod illi pallium invideam, sed quoniam quidam autumant, et etiam procurant, ut si hoc a vobis concessum fuerit, confidant se professionem debitam mihi posse denegare. Si enim hoc contingat, scitote quia Ecclesia Angliae scinderetur; et secundum sententiam Domini, dicentis: *Omne regnum in se ipsum divisum, desolabitur,* desolaretur, et rigor apostolicae disciplinae in ea non parum debilitaretur. Ego quoque nullatenus remanerem in Anglia. Non enim deberem aut possem pati ut, me in ea vivente, primatus Ecclesiae nostrae destrueretur. Hoc ipsum et eodem affectu suggero reverentiae vestrae, quia de Londoniensi episcopo pallium petitur, quod nunquam habuit, ut scilicet ad hoc nullatenus assensum praebeat. Quidam namque concinnant sub hac specie boni, primatus Cantuariae dignitatem (quemadmodum non oportet) humiliare. Misi sanctitati vestrae hoc anno, post Pentecosten, litteras per Bernardum servientem domini Petri, camerarii vestri, quod rex Angliae conqueritur quod sustinetis regem Teutonicum dare investituras Ecclesiarum sine excommunicatione, et ideo minatur se sine dubio resumpturum suas investituras, quoniam ille suas tenet in pace. Videat igitur prudentia vestra sine dilatione quid inde agere debeatis, ne, quod tam bene aedificastis, irrecuperabiliter destruatur Rex enim noster diligenter inquirit quid de illo rege faciatis. Oramus Deum ut nos laetificet de diuturna vestra prosperitate.

EPISTOLA CLIII. PASCHALIS PAPAE AD ANSELMUM.

Praecedenti respondet se nullatenus dignitati ejus Ecclesiae derogaturum, nec usquam tolerasse a rege Teutonico dari investituras.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, fratri ANSELMO, Cantuariensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras dilectionis tuae recepimus, etc. *Vide in Paschali II ad an.* 1118.

EPISTOLA CLIV. ANSELMI AD WILLELMUM ABBATEM BECCENSEM.

Vota nuncupata ante monasticam professionem in praelati manent dispositione.

ANSELMUS Beccensis, modo minister Ecclesiae Cantuariensis, dilecto dilectori suo reverendo abbati WILLELMO Beccensi, salutem.

De voto monachi de quo nostrum vultis audire consilium, qui antequam ad nostrum ordinem veniret, vovit se nunquam amplius vinum bibiturum, hoc mihi videtur esse faciendum quod fit a majoribus nostri ordinis, et maxime apud Cluniacum, videlicet ut hujusmodi vota, quae fiunt sine promissione fidei et sacramento, in voto monachici ordinis, in

quo homo quidquid ad se pertinet et seipsum totum Deo offert, judicentur esse completa, et sit in dispositione praelati vel ea servare rationabiliter vel mutare. Vos autem huic monacho, de quo loquimur, potestis, si placet, ad tempus concedere ut quod incoepit faciat. Quod si quando intellexeritis non expedire, praecipite illi ut faciat fidenter quod faciunt communiter fratres.

EPISTOLA CLV . ANSELMI AD THOMAM ARCHIEPISCOPUM EBORACENSEM.

Universis archiepiscopi muniis interdicit ante promissam sibi fidelitatem pro more veteri.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, THOMAE archiepiscopo.

Tibi, Thoma, in conspectu omnipotentis Dei, ego Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, totius **422** Britanniae primas, loquor loquens ex parte ipsius Dei; sacerdotale officium, quod meo jussu in paroecia mea per suffraganeum meum suscepisti, tibi interdico atque praecipio ne de te aliqua cura pastorali ullo modo praesumas intromittere, donec a rebellione, quam contra Ecclesiam Cantuariensem incoepisti, discedas, et ei subjectionem quam antecessores tui, Thomas videlicet et Gerardus archiepiscopi ex antiqua antecessorum consuetudine professi sunt, profitearis. Quod si in his quae coepisti magis perseverare quam ab iis desistere delegeris,

omnibus episcopis totius Britanniae sub perpetuo anathemate interdico ne tibi ullus eorum manus ad promotionem pontificatus imponat; vel si ab externis promotus fueris, ne pro episcopo vel in aliqua Christiana communione te suscipiant . Tibi quoque, Thoma, sub eodem anathemate ex parte Dei interdico ut nunquam benedictionem episcopatus Eboracensis suscipias, nisi prius professionem, quam antecessores tui Thomas et Girardus Ecclesiae Cantuariensi fecerunt, facias. Si autem episcopatum Eboracensem ex toto dimiseris, concedo ut officio sacerdotali, quod jam suscepisti , utaris.

EPISTOLA CLVI . ANSELMI AD WILLELMUM ABBATEM ET CONGREGATIONEM BECCENSEM.

Se nihil habere illis antiquius, eorumque obliturum non esse, nisi cum desierit esse.

Dominis et fratribus charissimis et desideratissimis domno abbati WILLELMO, et sanctae congregationi Beccensi, sub illo Deo servienti, frater ANSELMUS, dictus archiepiscopus, superna semper gratia et benedictione ad bona semper dirigi, et a malis defendi.

Si cor meum dilectioni vestrae de vobis plene exponere volo, magna charta non sufficiet, et si breviter dicere propono, nequaquam affectum meum satiat. Sed in hac dubietate consolatur me vestra conscientia, qua mihi conscii estis

quantum semper vos et quam veraciter dilexerim, et quot et quantum de vobis desideraverim, et aliquid, quandiu vobiscum sum conversatus, vos proficere studuerim: et si non omnes hoc experimento, quia Deus numerum auxit postquam a vobis discessi, cognoscitis, ab illis qui sciunt et experti sunt, discite. Hoc itaque nullatenus charitati vestrae sit dubium quia sicut dilexi radicem, sic et ramos, quantumcunque multiplicentur, et omnes filios matris meae, et primogenitos et post me genitos, velut fratres uterinos in corde meo amplector et amo. Omnes igitur precor et obsecro ut mei memoria et dilectio in cordibus eorum qui eam habuerunt non tepescat, et in mentibus eorum qui me non noverunt, accendatur et perseveret. Quamvis enim corpore sim vobis absens, nidum tamen meum, ecclesiam dico Becci, cum omnibus pullis suis mecum porto semper in corde meo, et eam in orationibus, et in omni bono desiderio meo, si quid haec sunt, repraesento Deo. De me ergo precetur vos charitatis vestrae sinceritas, et inspiret superna pietas ut orationum vestrarum pro me non deficiat assiduitas. Quamvis animae vestrae flagrent bono desiderio, quia tamen benevolentes non fastidiunt audire quod amant, precor, obsecro, moneo, consulo, quatenus ad meliora semper vos extendatis, et nunquam ab his ad quae Deus vos provexit, deficiatis. Mutua dilectio secundum Deum in vobis semper ferveat, pax et concordia, servata veritate, in vestris mentibus assidue maneat; humilis obedientia in omnibus actibus vestris Deo placeat, studium religionis et excludendi a vobis vitium exardescat. Haec invicem monete, haec indesinenter tenete. Hoc oro, hoc opto, hoc desidero de vobis; hoc ipse, a quo est omne bonum, cum sua plena et perpetua benedictione det vobis. Amen.

EPISTOLA CLVII . ANSELMI AD QUAMDAM DOMINAM.

ANSELMUS, Dei ordinatione archiepiscopus Cantuariensis, ad quamdam dominam , mundum, non Christum contemnere, et Christum plus quam mundum diligere.

Libentissime, si possem, tecum loquerer, soror vere mihi in Deo dilecta, quia charitas qua omnem hominem volo salvum fieri et officium mihi injunctum exigunt a me ut te fraterno et paterno affectu diligam, et per eamdem dilectionem sollicitudinem de salute animae tuae geram. Sed quoniam in nobis non evenit opportunitas colloquendi, incumbit mihi necessitas scribendi quem animum de te habeam et quid de te desiderem.

Obsecro igitur te ut non contemnas dilectionem qua te propter Deum et honorem Dei et ad salutem tuam diligo, neque rejicias consilium meum. Si enim mihi acquiescere volueris, certa esto quia valde tibi in fine placebit, et erit super te gaudium magnum angelis Dei. Si vero nolueris, scito quia nimis tibi displicebit, et inexcusabilis eris in districto judicio Dei. Audivi, soror mea, quia diu portasti habitum sanctae conversationis; quem quomodo reliqueris, quidve passa sis, vel quid feceris, non latet, sed multum apertum est.

Considera igitur jam nunc, charissima, quantum distent viriles amplexus et carnalis delectatio ab amplexibus Christi, et a delectatione castitatis et cordis munditia: amplexus quidem

Christi dico non corporales, sed quales per amorem et desiderium ejus inter bonam conscientiam facit anima familiaris ejus. Considera, inquam, quae sit differentia inter has duas delectationes : non loquor nunc de legitimo conjugio. Considera, inquam, quanta sit in spirituali delectatione munditia, quanta sit in carnali immunditia; quid spiritalis promittat, et quid carnalis minetur: quanta sit in spiritali spes, et quam delectabilis exspectatio Christi; quanta etiam in hac vita securitas et consolatio, quantus sit in carnali timor judicii Dei, quanta etiam in praesenti vita est confusio. Cogita quale sit Christum sponsum, coelestis regni dotem promittentem, contemnere; et hominem mortalem, nonnisi corruptionem et contemptibilia dantem et pollicentem, Filio Dei, Regi regum, praeponere. Certe ille Rex regum concupivit speciem tuam, ut sponsae legitimae.

Qualiter autem ille, quem scis, carnis tuae pulchritudinem appetiverit, soror mea, quomodo dicam? femina nobilis, quomodo dicam? Sponsa Dei, virgo fueras electa, et Deo habitu et conversatione assignata. Quid dicam modo te esse, filia mea? Deus scit. Non ita loquor, ut gaudeam de confusione tua, sed ut gaudeat Deus et congaudeant angeli de conversione et salubri poenitentia tua. Quid ergo dicam? Si non dico, forsitan non animadvertis; si dico, forsitan irasceris. De electa, et signata, et sponsa Dei, quid facta es? Erubescat esse nobilitas tua quod erubescis audire, et ego, propter nobilitatem et dilectionem, erubesco dicere. Ecce, filia charissima, si haec proponis in conspectu tuo, quantus dolor debet esse in corde tuo de tanto et tam gravi casu tuo! Si enim vehementer doles, condolendo tibi valde gaudeo; si vero non doles, non est unde gaudeam, sed multo magis **423** doleo.

Nam si doles, adhuc salutem tuam spero ; si autem non doles, quid nisi damnationem tuam exspectare queo?

Impossibile namque est te ullo modo posse salvari, nisi ad habitum et propositum abjectum redieris. Quamvis enim ab episcopo sacrata non fueris, nec coram ipso professionem legeris , hoc solum tamen est manifesta, et quae negari non potest, professio, quia publice et secrete habitum sancti propositi portasti, per quod omnibus te videntibus Deo dicatam te esse, non minus quam professionem legendo, affirmasti. Nam antequam fieret ista nunc usitata monachici propositi professio et sacratio, multa millia utriusque sexus hominum solo habitu se ipsius esse propositi profitentia, celsitudinem et coronam consecuta sunt. Et qui tunc habitum sine ipsa professione et sacratione assumptum rejiciebant, apostatae judicabantur. Inexcusabilis ergo es, si deseris sanctum propositum quod diu habitu et conversatione professa es, quamvis protessionem nunc usitatam non legeris, et ab episcopo con consecrata non fueris. Certe, filia charissima, adhuc te exspe ctat Dominus, creator et redemptor tuus: rex illi qui concupivit speciem tuam, ut esset legitimus sponsus tuus, adhuc te exspectat et revocat, ut sis legitima sponsa ejus, et si non virgo, saltem casta. Scimus enim plures sanctas mulieres, quae post amissam virginitatem plus placuerunt Deo, et magis illi familiares fuerunt per poenitentiam in castitate, quam plures aliae, quamvis sanctae, in virginitate.

Redi ergo, mulier Christiana, redi ad cor tuum, et considera quem potius debeas diligere, cui potius adgaerere, illi qui te ad tantam honestatem elegit, eligendo vocavlt, vocando habitu sponsali sibi assignavit, et adhuc, quamvis contemptus et

rejectus, exspectat et revocat; an illi per quem, ut mitius dicam, in hoc in quo te vides dejectam de tanta celsitudine cecidisti; praesertim cum ipse te jam, sicut puto, contemnat, aut sine dubio contempturus et deserturus sit. Et utinam sic vos invicem contemnatis, ut vos Deus non contemnat; sic vos invicem deseratis, ut vos Deus non deserat; sic vos invicem rejiciatis, ut vos Deus a facie sua non projiciat; sic ab invicem avertamini, ut ad Deum convertamini. Certe melius et valde honorabilius est et illi et tibi ut ab illo sis contempta quam retenta, quia quandiu eris ejus retenta, procul dubio, ut de illo nunc taceam, tu eris Dei contempta; et si, contempta ab illo, propter Deum illum contempseris, utique non contempta, sed suscepta et dilecta Dei eris, velut ejus sanguine proprio redempta.

Intende, filia, cujus salutem desidero; intende benignitatem ejus qui contemptus a te contemnentem revocat, ut te in regalem suum thalamum non terrenum, sed coelestem introducat. Intende et concute cor tuum, dole vehementer casum tuum. Rejice et conculca saecularem habitum quem assumpsisti, et resume habitum sponsae Christi quem projecisti. Nullatenus enim te cognoscet Christus aut suscipiet, nisi in illo habitu quo te sibi signavit et quo te ejus sponsam esse publice et secreto es testata. In hoc habitu redi tu ad benignitatem ejus. Ingere te opportune in conspectu ejus. Accusa tu ipsa conscientiam tuam, lava lacrymis culpam tuam. Ora eum infatigabiliter, adhaere illi inseparabiliter: misericors est, non te rejiciet; sed potius gaudens de reditu tuo, te benigne suscipiet. Si hoc feceris, gaudium erit de te in coelo et in terra, omnibus sanctis angelis et hominibus cognoscentibus. Si vero hoc facere contempseris, omnes tibi

adversi erunt, et ego et Ecclesia Dei faciemus quod de tali re faciendum intelligimus. Omnipotens Deus visitet cor tuum et infundat in te amorem suum, filia charissima.

EPISTOLA CLVIII. DE NUPTIIS CONSANGUINEORUM.

Habetur parte I Operum, col. 537.

EPISTOLA CLIX. ANSELMI AD WILLELMUM ABBATEM.

De moto altari iterum consecrando.

Domino et amico charissimo, reverendo abbati WILLELMO, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, salutem.

Quando respondi ad quod quaesivistis de altari et de ecclesia, ita erat cor meum quadam sollicitudine gravatum ut non possem intendere iis quae dicebam, et nuntius vester ita festinabat, ut in aliud tempus hoc differre non possem. De quo quidem neque in decretis neque in canonibus memini me aliquid legisse, sed a quodam episcopo audivi quod in decretis Eugenii papae legitur altare motum iterum consecrandum. De his cum domino papa Urbano locutus sum, assistentibus quibusdam epicopis. Sed papa dicebat mensam altaris motam nec reconciliandam, nec iterum consecrandam,

nec amplius in altare reputandam. Alii vero dicebant tuntum reconciliandam, nullam tamen auctoritatem ostendentes. In hoc autem omnes concordant quod, violato principali, tota ecclesia cum altari iterum consecranda est, nec ecclesia consecranda est sine consecratione altaris, aut principalis, aut alicujus alterius in eadem ecclesia. In his autem omnes conconcordant cum quibus locutus sum, excepta altaris mensa. Item si aliqua pars ecclesiae destructa reficitur, aut nova sit altari immoto, aqua tantum ab episcopo benedicta aspergendam dicunt. Ratio autem quam a me quaesivistis, haec mihi videtur super his: Altare non fit propter ecclesiam, sed ecclesia propter altare; et ideo, violato principali altari, jam non videtur esse ecclesia: quia non est illud propter quod ecclesia construitur et consecratur. Quapropter cum illud fit novum, recte videtur cum eo consecrari per quod recipit ut sit ecclesia. De moto altari iterum consecrando haec quoque mihi ratio videtur: altare vicem fidei Christianae tenet ut, sicut non nisi in altari sacrificium nostrum offerimus, ita non nisi recta fide sacrificia bonorum operum offeramus, si et Deo placere volumus. Sicut igitur fides mota a suo fundamento, quod est Christus, et a sua stabilitate, jam non est fides, ita altare motum a suo fundamento jam non est altare; sive quod de eadem materia totum, sive de alia fiat altare novum et aliud quod fuerat, altare videtur ideo consecrandum. Propter nanc rationem cavendum existimo ne altare gestatorium consecretur sine fundamento, quod multi custodiunt, et fere ubique custoditur, quamvis in Northmannia, cum ibi eram, non servaretis, sed nudi lapides nusquam affixi consecrarentur. Quod ego non damno, nec tamen facere volo. Ex his quae dixi sequitur quia si tota ecclesia nova fiat, altari sine violatione manente, quoniam sine consecratione altaris

alicujus consecrari non debet, aut altare aliquod est ibi renovandum, ut simul cum ecclesia consecretur, aut aqua ab episcopo ad hoc benedicta intus et exterius simpliciter aspergatur. Quae facienda de his dixerim, ex ore et usu aliorum didici; rationem vero eamdem alios habere non nego, sed ego a nullo accepi. Quapropter quod per me, vel per alios sentio, sanctitati vestrae postulatus simpliciter insinuo, donec vobis certius aut melius patefiat. Valete.

424 EPISTOLA CLX HILDEBERTI EPISCOPI CENOMANENSIS AD ANSELMUM.

HILDEBERTUS episcopus ANSELMO, Cantuariensi archiepiscopo.

Familiare est sapienti tolerare nescientem, hinc est quod inscientiam meam aperire non timeo , quia erat cum sapiente colloquium. Eam ni fallor, et scientia vestra erudiet, et charitas supportabit. Felicem me, inquam, si meruissem vel praesens instrui, vel tanquam familiaris epistolam suscipere destinatam. Hoc autem mihi locus invidet, nec aliter salutationis indulsit obsequia nisi prius orbis dimidium consultarem, oportet enim maris et acris explorare clementiam si quem judicamus in Anglia salutandum. Caeterum incommoda separationis charitatis copula supplentur, quae neminem patitur esse vobis absentem, neminem non familiarem. Ea nihil est diffusius; par enim latitudo est et charitatis et mundi. Charitas amplectitur quidquid Oceanus. Charitas in sacrario dilectionis et amicum

colligit in Deum, et inimicum propter Deum. Eadem diligere non desinit, cum diligi desinatur . Omnes habet praesentes, omnes affines; quibus non potest obsequio, subvenit affectu. Absit igitur ut publicum charitatis beneficium maris mihi fluctibus auferatur, cum scriptum sit: *Aquae multae non potuerunt exstinguere charitatem.* Facile est enim ut diversi cultores littoris charitas uniat, quae unam rempublicam terram fecit et coelum. Hujus itaque fiducia, injecta est mihi praesumptio inquirendi atque postulandi id quod impensum non minuet erogantem. Si votorum summa quaeritur, sequens illam pagina declarabit. Apulorum relationibus didici vos in concilio Barensi sermonem habuisse de Spiritu sancto, quem calumniosa Graecorum versutia a Filio minime procedere fabulatur. Quod igitur adversus hanc illorum dementiam in praefato promulgasti Concilio, succincto tractatu deprecor adnotari. et quae ipsi Latinorum Patrum testimonia non suscipiunt. His auctoritatibus opus flagitatum munire non taedebit, quas Graeca calliditas, et suas fateatur et nostras. Magna quidem, beate Pater, postulo, sed quae pariter et suscipienti proficiant et danti. Nobilis enim possessio est scientiae, quae distributa suscipit incrementum: et avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. Conservet nobis Dominus sanctitatem vestram, et videant vos oculi mei antequam moriar.

EPISTOLA CLXI. EJUSDEM AD ANSELMUM.

HILDEBERTUS episcopus ANSELMO, Cantuariensi archiepiscopo.

Et dies laetus et vultus solemnes cum tuo tractatu mihi pariter accesserunt. Susceperam prius benedictionem tuam servus ego, servus tuus, et egi gratias Deo et tibi devotus affectus meus. Humanum quidem fuit subvenire proximo per compassionis affectum, sed divinum fidem defendere catholicam per inhabitantem in te Spiritum sanctum: utrumque autem operatus est unus atque idem Spiritus, volens tibi virtutum exuberare gratiam, quem suae processionis a Filio defensorem reservabat; *in malevolam enim animam non poterat introire sapientia, nec habitare in corpore subdito peccatis*. Unde dignum fuit ut advocatus veritatis exemplum praetenderet religionis. Talis propterea pastoralibus excubiis congruebat, cui nihil deesset ad plenitudinem justitiae, nihil ad integritatem doctrinae. Beatum sane pectus quod virtutum conventus reverendum sibi penetrale consecravit. Inde velut ex adytis divina prodeunt oracula, nihilque aliud sacra labia profitentur quam coelestis interpretem voluntatis. Eorum me saepius recordantem stupor opprimit; et dum singula diligenter intueor, omnia Spiritui sancto confiteor ascribenda, cum Psalmista dicens: *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris* **(Psal. CXVII, 23).** Vicem mihi, Pater sancte, rependes, si tuarum participem me feceris orationum. Vale.

EPISTOLA CLXII. EJUSDEM AD ANSELMUM.

HILDEBERTUS episcopus ANSELMO, Cantuariensi archiepiscopo.

Flabellum tibi misi, congruum scilicet propulsandis muscis instrumentum. Est etiam quod in munusculo nostro te interpretari oporteat. Attende ergo quibus muscis immolantes Domino sacerdotes gravius infestentur, quibus frequenter impediantur salutaria altaris officia. Mille sunt occursantium phantasmata cogitationum, mille diaboli suggestiones, mille mortalium tentationes animorum, quae dum se sacrificantium mentibus inopino ingerunt illapsu, dum eas ad alia atque alia cogitanda abstrahunt, dum haereticam moliuntur inducere pravitatem, quid aliud faciunt quam velut quaedam muscae sacrificantes altaris ministros infestant et impediunt? Talium portenta muscarum patriarcha noster Abraham propulsanda praesignavit cum a sacrificiis aves abegerit incursantes; scriptum est enim: *Descenderunt volucres super cadavera, et abigebat eas Abraham.* Dum igitur destinato tibi flabello descendentes super sacrificia muscas abegeris, a sacrificantis mente supervenientium incursus tentationum, catholicae fidei ventilabro exturbari oportebit. Ita fiet ut quod susceptum est ad usum, mysticum tibi praebeat intellectum. Et quoniam praefatae volucres super sacrificia tantum descendisse leguntur, non etiam coeptum interrupisse officium, sacerdotes Christi tentationes quas perferunt ita docentur abigere, ut a sacramentis altaris talis eos lapsus non cogat abstinere. Hic enim defectus infirmitas est quae virtutem perficiat, non quae virtutis opera in irritum deducat.

EPISTOLA CLXIII . ANSELMI AD GELDUINUM ABBATEM AQUICINENSEM.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, GELDUINO, reverendo abbati Aquicinensis coenobii salutem.

Unde reverentia vestra me consuluit, paucis respondebo. Quaeritis utrum vobis liceat decimas ad ecclesiam vestram pertinentes de manu laicorum eas tenentium emere. Licet utique vobis secundum concessionem apostolici ab aliis redimere quaecunque ecclesiastica episcopali donatione in jus ecclesiae vestrae devenerunt. Nec quantum in vobis est concedere debetis ut aliquis laicus decimas vel ecclesias aut altaria in feudum de vobis teneat. De hoc quod quaeritis utrum spernendum an suscipiendum sit, si quivis hominum aliquid ecclesiasticum, vobis scientibus, sed neque verbo neque munere rem ordientibus, ad opus ecclesiae vestrae redimere voluerit, mihi videtur quod per consilium et donationem episcopi licite hoc suscipere potestis. De depositis propter Simoniacun crimen, **425** unde me consuluistis, videtur mihi quod nullus abbas sua auctoritate eos potest restituere, etiamsi ad monachicum ordinem conversi fuerint. Quod autem quaeritis si quovis alio crimine praeter homicidium clerici conversi a sacerdotio debent arceri, facile nunc determinare quibus criminibus arceri debeant non praesumo, ne misericordia quae multis rationibus in eadem culpa aliis impenditur, aliis negatur, mea sententia cui debeat impendi obstrui videatur, aut cui non debet impendatur. Quod certius judicatur quando de nominato crimine publico vel occulto et de nota persona agitur. Porro quod de ecclesiasticis rebus vobis responderi

epistolari brevitate poscitis, nec tempus nec opportunitatem habeo satisfaciendi vestrae petitioni, nec puto breviter hoc posse fieri. Excommunicatos non consulo ut monachos faciatis, nisi praemissa absolutione sui episcopi. Vale.

EPISTOLA CLXIV.

Haec et sequentes epistolae habentur infra in Historia Novorum Eadmeri.

Reverendissimo. . . ANSELMO archiepiscopo WOLSTANUS, Wigornensis episcopus, etc.

Novit prudentia vestra, etc.

EPISTOLA CLXV.

ANSELMO, Dei gratia Anglorum archiepiscopo, clerus et populus oppidi Wataferdiae cum rege MURCHETACHO, et episcopo DOFNALDO, etc.

Pater sancte, etc.

EPISTOLA CLXVI.

Domino . . . Summo pontifici URBANO frater ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariae, etc.

Novimus, Domine, etc.

EPISTOLA CLXVII.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ANSELMO, Cantuar. archiep., etc.

Adversus illam. etc.

EPISTOLA CLXVIII.

PASCHALIS episcopus, servus . . . ANSELMO Cantua riensi, etc.

Suavissimas dilectionis, etc.

EPISTOLA CLXIX.

PASCHALIS episcopus, servus . . . ANSELMO Cantuariensi, etc.

Fraternitati tuae, etc.

EPISTOLA CLXX.

Domino . . . ANSELMO Cantuar . . . illius devotissimus famulus, etc.

Considerata, etc.

EPISTOLA CLXXI.

PASCHALIS episcopus, servus etc. Cantuariensi archiep. ANSELMO, etc.

De illata tibi, etc.

EPISTOLA CLXXII.

Vir quidam non contemnendae auctoritatis sancto Anselmo haec scribit.

Charissime Pater et Domine, etc.

EPISTOLA CLXXIII.

Reverendissimo ANSELMO Cant. etc. HENRICUS, Dei gratia rex Anglorum, etc.

Venerabilis Pater non tibi, etc.

EPISTOLA CLXXIV.

Suo charissimo Domino HENRICO, glorioso regi Anglorum, ANSELMUS, etc.

Quod vestra magnitudo, etc.

EPISTOLA CLXXV.

ANSELMUS, etc., domino et amico ROBERTO, comiti de Mellento, etc.

Vos scitis, etc.

EPISTOLA CLXXVI.

HENRICUS rex, etc., ANSELMO archiep., etc. In die sancti etc.

EPISTOLA CLXXVII.

Suo charissimo domino HENRICO, etc., ANSELMUS, etc.

Gratias ago, etc.

EPISTOLA CLXXVIII.

HENRICUS rex Angl. ANSELMO archiep., etc.

De hoc quod, etc.

EPISTOLA CLXXIX.

HENRICUS rex Angl. ANSELMO Cantuar., etc.

Paternitati et sanctitati vestrae, etc.

EPISTOLA CLXXX.

PASCHALIS episcopus, servus, etc., fratri ANSELMO Cantuar, etc.

De presbyterorum, etc.

426 EPISTOLA CLXXXI.

PASCHALI domino summo pontifici, Anselmus, etc.

Non debeo etc.

EPISTOLA CLXXXII.

Domino PASCHALI summo pontifici, ANSELMUS, etc.

Quoniam robur, etc.

EPISTOLA CLXXXIII.

ANSELMUS archiep. RADULPHO episcopo Dunelmensi salutem.

Mandastis mihi, etc.

EPISTOLA CLXXXIV.

Dilectissimo . . . ANSELMO . . . archiepiscopo, THOMAS, Eboracae metropolis electus, etc.

Gratias ago vobis, etc.

EPISTOLA CLXXXV.

HENRICUS . . . rex . . . ANSELMO Cantuar., etc.

Mando vobis ut, etc.

EPISTOLA CLXXXVI.

ANSELMUS arch . . . THOMAE, electo, etc.

Mandastis mihi in, etc.

EPISTOLA CLXXXVII.

ANSELMUS archiep . . . THOMAE electo, etc.

Mandavi vobis, etc.

EPISTOLA CLXXXVIII.

THOMAS electus, etc., ANSELMO, etc.

Exstat duntaxat fragmentum hujus epistolae, quod incipit: Causam qua differtur sacratio mea, etc.

LIBER QUARTUS EPISTOLAS CONTINENS QUAE HACTENUS SUNT INEDITAE

427 EPISTOLA PRIMA.

LANFRANCI AD LANFRANCUM ET GUIDONEM FRATRES.

Dilectissimis fratribus LANFRANCO et GUIDONI, frater LANFRANCUS, perpetuam a Deo benedictionem.

Quia divinitus, etc. *Exstat inter epistolas Lanfranci quadragesima septima, Patrologiae tom.* CL, *col.* 511.

EPISTOLA II. ANSELMI AD PASCHALEM PAPAM.

Domino reverendo, et Patri diligendo, PASCHALI summo pontifici, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, debitam subjectionem, et orationum fidelitatem.

Quoniam de sedis apostolicae auctoritate pendent filiorum Ecclesiae directiones et consilia, idcirco ad vestrae paternitatis recurro praeceptum et consilium. Cur autem tantum distuli vestrae celsitudini aliquid scribere, postquam redii in Angliam, per latorem praesentium, si placet, poterit agnoscere. Mortuo rege Guillelmo, cujus violentia per triennium exsulavi ab Anglia, cum magno desiderio sum a domino meo rege Henrico, et a principibus ejus et ab Ecclesia Anglorum revocatus, et cum magno gaudio susceptus. Qui postquam intellexerunt institutionem, quam audivi fieri in Romano concilio a venerabilis memoriae praedecessore vestro papa Urbano, ne scilicet aliquis susciperet investituram Ecclesiae de manu laici, et ne episcopus vel abbas homo ejus fieret, sensi et audivi quia nullo modo eam rex et principes ejus vellent suscipere. Qua de re mihi necessarium vestrae celsitudinis consilium exspecto. Quando Romae fui, ostendi praefato domino papae de legatione Romana super regnum Angliae, quam ipsius regni homines asseverant ab antiquis temporibus usque ad nostrum tempus Ecclesiam Cantuariensem tenuisse, quam necessarie ita esse oporteat, nec aliter nisi contra utilitatem Ecclesiae Romanae et Angliae fieri possit. Rei autem hujus rationes praesenti nuntio ex quadam parte ut vobis referat injunximus. Legationem vero, quam usque ad nostrum tempus, secundum praedictum testimonium, Ecclesia tenuerat, mihi domnus papa non abstulit. Audivi tamen quod, dum eram pro fidelitate sedis apostolicae in exsilio, legationem ipsam archiepiscopo Viennensi vestra commendavit auctoritas. Quod quanta difficultate, imo impossibilitate plenum sit, intelligunt hi qui longum et periculosum intervallum maris et regnorum, Franciae scilicet

et Burgundiae, inter Angliam et Viennam noverunt, ut scilicet archiepiscopus Viennensis Angliam, aut Angli Viennam pro suis causis frequentent. Quapropter supplex oro, servus et filius paternitatis vestrae, ne meo tempore Ecclesia, quae mihi compatiendo multa adversa pro fidelitate Romanae Ecclesiae in paupertate me exsulante sustinuit, privetur ea dignitate quam ante me in antecessoribus meis se possedisse a vestra sede pronuntiat. Quando de Anglia exivi, erat ibi quidem professione sacerdos, non solum publicanus, sed etiam publicanorum princeps infamissimus, nomine Ranulphus, propter crudelitatem similem flammae comburenti, pronomine Flambardus; cujus flamma qualis sit, non in Anglia solum, sed in exteris regnis longe lateque innotuit. Hunc rex nuper defunctus contra voluntatem omnium religiosorum, contra omnem justitiam ad episcopatum sine omni ejus correctione sublimare me exsulante praesumpsit. Qualis autem ante episcopatum vel post episcopatum in Simonia et in aliis criminibus exstiterit, chartae praesentis lator intimare poterit. Talis tamen pontifex, sicut ipse inordinate est, ubi non **428** debuit, consecratus, ita extra dioecesim suam ecclesias et personas sua sacratione contaminare non dubitavit. Hunc quando redii in Angliam, inveni captum a rege pro pecunia quam de ministeriis suis, velut publicanus, debebat male retenta, ut plena testatur regis curia, populo gaudente, velut de leone circumquaque vastante compresso. De quo, quando captus est, in audientia regiae curiae archiepiscopus ejus qui postea defunctus est, confessus est se illum non tenere pro fratre vel episcopo, et mentitum sibi esse omnia quae consecrandus promiserat. Qui audiens reditum meum. auxilio meo sibi subveniri ut episcopo postulavit. Misi itaque ad eum quatuor episcopos

cum praesentium portitore, dicens quia, si vellet se sic ad episcopatum accessisse ostendere ut tanquam episcopus tractari deberet, facerem ut libertatem hoc faciendi haberet; timebam tamen, fateor, maledictionibus populique lapidibus obrui, qui crudelitatem ejus cohibitam in libertatem inducerem. At episcopi in hoc, quia per eos quaesivi, eum sibi defecisse retulerunt. Qui postea clam de captione fugit in Northmanniam, ac inimicis regis domini sui sociatus, dominum piratarum, quos in mari misit, sicut pro certo dicitur, se constituit. De hoc quoniam Ecclesia sibi commissa, inter barbaros multis periculis exposita, diu pastore carere nequit, et de ecclesiis et personis quos consecravit consilii vestri jussionem postulamus. Mortuo archiepiscopo Eboracensi postquam reversus sum, electus est in ejus locum episcopus Refordensis, vir admodum litteratus, et in ecclesiasticis disciplinis eruditus. In hac electione nos episcopi clero et populo ejusdem Ecclesiae assensum praebuimus. Quem valde desiderantem se vestro praesentare conspectui, ut pallii largitatione a vestra benignitate pro consuetudine honoraretur, rex pro quibusdam causis consilio principum suorum retinuit; atque ut illi pallium mittatis, celsitudinem vestram postulando impetrare desiderat. Cujus petitioni largitatem vestram favere, si preces nostras placet admittere, suppliciter flagitamus.

EPISTOLA III. VULSTANI EPISCOPI WIGORNIENSIS AD ANSELMUM.

Reverendissimo ac beatissimo vitae sanctitate, et summae sedis dignitate praelato, ANSELMO archiepiscopo, VULSTANUS servorum Dei minimus, Wigorniensis Ecclesiae episcopus merito indignus, orationis obsequia, fideliaque ex charitate servitia.

De iis, unde nobis dignitas vestra scribere et nostrae parvitatis est dignata consilium quaerere, quantum recordari possumus, dicere non omittimus. Hanc denique unde consuluit causam ventilari nunquam audivimus, quia nullus aliquando existit, qui hanc Cantuariensi archiepiscopo potestatem adimere vellet, et ne dedicationem propriarum duntaxat ecclesiarum publice faceret, defenderet. Exstant quippe et in nostra dioecesi altaria, et quaedam etiam ecclesiae in iis scilicet villis, quas Stigandus vestrae excellentiae praedecessor, haud tamen jure ecclesiasticae haereditatis, sed ex dono possederat saecularis potestatis, nostris et antecessoris nostri temporibus, nobis inconsultis, nec antea nec postea quidquam inde calumniantibus, utpote hanc specialem potestatem ejusdem metropolitani episcopi esse scientibus. Judicium tamen hinc agitatum, aut hoc ex jure sibi vindicatum aliquando minime audivimus, sed quod in nostra dioecesi eum fecisse libere agnovimus, in aliorum etiam facere posse credimus. Ecce, quantum inde reminisci aut scire potuimus, prudentiae vestrae intimavimus. Jam quid faciendum sit, ipsa consideret. Valeat paternitas vestra, et oret pro nobis.

EPISTOLA IV. ANSELMI AD PASCHALEM PAPAM.

Domino reverendo, et Patri diligendo, PASCHALI summo pontifici, ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, debitam subjectionem, et orationum assiduitatem.

Postquam revocatus ad episcopatum redii in Angliam, ostendi decreta apostolica quae in Romano concilio praesens audivi, ne scilicet aliquis de manu regis aut alicujus laici ecclesiarum investituras acciperet, ut per hoc ejus homo fieret, nec aliquis haec transgredientem consecrare praesumeret. Quod audientes rex et principes ejus, ipsi etiam episcopi et alii minoris ordinis, tam graviter acceperunt ut assererent se nullo modo huic rei assensum praebituros, et me de regno potius quam hoc servarent expulsuros, et a Romana Ecclesia se discessuros. Unde, reverende Pater, vestrum petii per epistolam nostram consilium, quam misi celsitudini vestrae per Guillelmum regis legatum. Sed quoniam responsi vestri litteras non accepi, adhuc per legatos nostros quos mitto cum charissimis fratribus et coepiscopis nostris, qui pro eadem re vestram sanctitatem adeunt, jam petitum iterum supplex per chartam sublimitatis vestrae certum peto consilium. Oramus Dominum nostrum Jesum Christum, ut vos conservet ad laudem et gloriam nominis sui et utilitatem Ecclesiae suae.

EPISTOLA V. ANSELMI AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

Glorioso domino suo HENRICO, gratia Dei, regi Anglorum, ANSELMUS archiepiscopus, fidele servitium et fideles orationes.

Precor vos, mi charissime domine, ut dominum et regem et tutorem Ecclesiae Dei vobis commissae, ut audiatis intente planctum istius monachi de Micelei, et secundum quod intelligetis vos decere et Ecclesiae expedire, sentiat regiam et paternam vestram subventionem et consolationem. Ego vero, fidelissimus animae vestrae et corporis vestri, et veri honoris vestri, consulo vobis et obsecro ne, proponendo Ecclesiis Dei personas quales non debetis et aliter quam debetis, et consilio secundum quorum consilium non debetis, attrahatis, quod absit! iram Dei super vos. Certum enim est quia jam in aliquibus pravi et infideles, quantum ad animam vestram, consiliarii, aliter quam oporteret vobis consuluerunt. Omnipotens Deus sic vobis det regere quae vobis commisit ut ipse vos regat et ab omni malo tueatur.

EPISTOLA VI. ANSELMI AD PASCHALEM PAPAM.

Domino reverendo, et Patri diligendo, PASCHALI summo pontifici, ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, debitam subjectionem, et orationum assiduitatem.

Quanto studio mens mea sedis apostolicae reverentiam et obedientiam pro sua possibilitate amplectatur, testantur multae et gravissimae tribulationes cordis mei soli Deo et mihi

notae, quas ab initio episcopatus **429** mei per quatuor annos in Anglia, et per biennium in exsilio passus sum, quia ejusdem sedis subjectionem abnegare nolui. A qua intentione spero in Deo quia nihil est quod me retrahere possit. Quapropter in quantum mihi possibile est, omnes actus meos ejusdem auctoritatis dispositioni dirigendos et ubi opus est corrigendos volo committere. Qualiter ergo sim ad praesens in Anglia, breviter scribo, quia latoribus praesentium plenius hoc viva voce significandum dimitto, postquam revocatus a rege Angliae qui nunc est, ad episcopatum redii, offendi decreta apostolica quae in Romano concilio praesens audivi, ne scilicet laicus investituras ecclesiarum daret, neque aliquis de manu ejus acciperet, aut pro hoc homo ejus fieret, nec aliquis haec praesumentem consecraret; qui vero haec transgrederetur, excommunicationi sancti concilii subjaceret. Quod audientes rex et principes ejus, ipsi etiam episcopi, quanta mala hinc processura, quid potius se facturos quam haec decreta suscepturos acclamaverunt, gravor dicere; dicant legati praesentes qui audierunt. Tandem in me conversi uno sensu pariter omnes affirmaverunt me posse exstinguere omne malum, quod ex his decretis processerit; asseverant, si precibus episcoporum meas vellem associare, quatenus celsitudini vestrae placeret praedictam sententiam mitigare. Quod si facere recusarem, omne malum quod inde eveniret, mihi imputandum sine ulla mea excusatione judicarent. Ne igitur aliquid videar contemnere, aut meo solo sensu vel propria voluntate quidquam facere, nec illos audeo non audire, nec de vestrae sanctitatis dispositione aliquatenus volo exire. Servata igitur apud me reverentia et obedientia sedis apostolicae, precor ut, quantum dignitas vestra secundum Deum permittit, petitioni praedictae, quam vobis legati

exponent, juxta sapientiam vestram, condescendatis; et quid me jubeatis in hac re facere, quidquid futurum sit, per legatos praesentes certum me faciatis. Oramus omnipotentem Deum ut paternitatem diu incolumem in integra prosperitate ad Ecclesiae suae robur et consolationem conservet.

EPISTOLA VII. ANSELMI AD GUILLELMUM WINTONIAE ELECTUM EPI SCOPUM.

ANSELMUS archiepiscopus, dilecto dilectori suo GUILLELMO electo episcopo Wintoniae, salutem.

Mandate mihi si in proximis Quatuor Temporibus venturi estis ad me pro sacerdotio, et si in sequenti die post acceptionem sacerdotii vultis consecrationem episcopalem accipere. Oportet enim me hoc praescire, quia si tunc consecrationem episcopi suscepturi estis, veniam tunc Cantuariam, et invitabo episcopos qui mecum sint, ad tale opus, ut decet, faciendum. Si autem sacerdotium tantum praedicto tempore vultis accipere, non veniam tunc Cantuariam, quia ubicunque fuero illud facere potero. Ubi autem tunc ero, prius charitati vestrae notificabo.

EPISTOLA VIII. ANSELMI AD JOANNEM PRIOREM.

ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, amico suo JOANNI, priori canonicorum de monte S. Eligii, et congregationi sub illo Deo servienti, salutem.

Clericus iste natione Anglus, nomine Northmannus de quadam ecclesia in qua noviter sunt congregati clerici qui regulariter vestro more vivere volunt, venit ad vos desiderans vobiscum aliquanto tempore, quanto vobis placuerit, conversari, quatenus vestro ordine et vestris consuetudinibus instrui possit in servitio Dei ad suam et aliorum utilitatem. Qui quoniam noster familiaris est, ne aliquis suspicetur eum alia causa peregrinari, rogat litterarum nostrarum testimonio notificari, et nostra notitia et prece apud vos ad hoc quod desiderat adjuvari. Quamvis ergo de vestra religione nihil nisi sola dilectione meruimus, tamen quia de vestra conversatione et benevolentia confido, quoniam religiosorum est ad religionem volentes proficere libenter, cum opportunitas se exhibet, instruere, precor ut ei, quantum vobis opportunum erit, concedatis, sicut postulat, in vestra conversatione remanere.

EPISTOLA IX. ANSELMI AD BALDUINUM REGEM HIERUSALEM.

BALDUINO, gratia Dei, regi Hierusalem, charissimo domino, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, per regnum terrenum ad coeleste sublimari.

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis **(Psal. XLIV, 13),** qui vos ad regis dignitatem sua gratia in illa terra exaltavit in qua ipse Dominus noster Jesus Christus per se ipsum principium Christianitati seminans, Ecclesiam suam, ut inde per totum orbem propagaretur, novam plantavit, quam propter peccata hominum judicio Dei ab infidelibus diu ibidem oppressam sua misericordia nostris temporibus mirabiliter resuscitavit. Ego itaque, memor magnae dilectionis et beneficiorum quae in patre et matre vestra et filiis eorum erga me sum expertus, exprimere scribendo nequeo quantum de gratia Dei quam in fratre vestro et vobis, eligendo vos ad illam dignitatem ostendit, gaudeo, et quanto affectu ut vos qui fratri successistis, non tam vobis quam Deo regnare studeatis, desidero. Unde, mi charissime domine, etiamsi mea exhortatione non egeatis tamen ex cordis abundantia, ut fidelissimus amicus precor vos, moneo, obsecro, et Deum oro quatenus sub lege Dei vivendo voluntatem vestram voluntati Dei per omnia subdatis. Tunc enim vere regnatis ad vestram utilitatem, si regnatis secundum Dei voluntatem. Ne putetis vobis, sicut multi mali reges faciunt, Ecclesiam Dei quasi domino ad serviendum esse datam, sed sicut advocato et defensori esse commendatam. Nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiae suae. Qui ei volunt non tam prodesse quam dominari, procul dubio Deo probantur adversari. Liberam vult esse Deus sponsam suam, non ancillam. Qui eam sicut filii matrem tractant et honorant, vere se filios ejus et filios Dei esse probant. Qui vero illi quasi subditae dominantur, non filios, sed alienos se faciunt, et ideo juste ab haereditate et dote illi promissa exhaeredantur. Qualem illam constituetis in regno vestro, in hac nova resuscitatione talem illam

diu **430** suscipient et servabunt in futura generatione. Quod autem ego vobis persuadere desidero, oro Deum omnipotentem ut ipse persuadeat, et sic vos in via mandatorum suorum deducat, et ad gloriam regni coelestis perducat. Amen. Remerium latorem praesentium, qui se de vestra nutritura esse cognoscit, celsitudini vestrae commendo. Et quia mecum diu conversatus de domo nostra, ubi se sua strenuitate et bonis moribus valde amabilem fecit, ad vos vadit; precor, ut Dominum dilectum, quatenus apud vos melius illi sit, propter amorem nostrum. Valete.

EPISTOLA X. ANSELMI AD ANHELITEM ABBATISSAM EJUSQUE SANCTIMONIALES.

ANSELMUS archiepiscopus, filiae charissimae, domnae abbatissae ANHELITI et sanctimonialibus, sub ea Christo famulantibus, salutem et benedictionem.

Si vos multum non amarem, multum vos increparem, quia postquam vos ipsae ad me nuntium vestrum misistis, et de illo mortuo quem quidam volunt pro sancto haberi quid vobis faciendum esset nostrum consilium requisistis, in consilio nostro non stetistis, sed insuper praecepto nostro inobedientes exstititis. Quapropter mandans praecipio vobis ut, si a divino officio suspendi non vultis, omnem amodo honorem cuivis sancto debitum illi mortuo auferatis, et ei nec oblationem faciatis, nec factam ad opus vestrum suscipiatis. Filium autem

ejus qui ad tumbam ipsius decumbit et ibi moratur a villa depellite, nec ei amplius aliquam inibi facultatem manendi relinquite. Valete.

EPISTOLA XI. ANSELMI AD HILDEBERTUM CENOMANENSEM EPISCOPUM.

ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, HILDEBERTO domino, et reverendo coepiscopo Cenomanensi, salutem temporalem et aeternam.

Litterae vestrae sanctitatis valde me vobis debitorem reddunt, non quia me supra me extollunt, sed quoniam immensam dilectionis erga me sinceritatem ostendunt. Si enim propter Deum ut illi placeamus inimicos, multo magis ne illi displiceamus diligere debemus amicos. Quapropter si aut nullam aut minorem dilectionem vobis tribuo, injustum in mea conscientia me judico. Sicut igitur hanc volo vitare injustitiam, sic vestram amplecti desidero amicitiam. Fateor etiam quia si mihi esset possibile, vos ad duplum quam me diligatis deberem diligere, quia vos me praevenistis amore quod probastis munere. Nam, quoniam immeritum dilexistis, non minus debeo rependere, et sicut datis exemplum tantumdem gratis debeo impendere. Quoniam, si significastis vobis placere hoc quod de opusculis nostris vidistis,

praesumimus vobis mittere quaedam, quae, ut puto, nondum vidistis.

EPISTOLA XII. ANSELMI AD MATHILDEM REGINAM ANGLORUM.

Dominae et filiae charissimae MATHILDI reginae Anglorum, ANSELMUS archiepiscopus Cantuariae, fideles orationes, et fidele servitium, et benedictionem Dei et suam.

Gratias ago Deo et celsitudini vestrae pro bona voluntate, quam erga me habetis et erga Ecclesiam Dei, et oro Deum omnipotentem, ut in sua dilectione vestram augeat devotionem, et sic vos in hoc faciat perseverare ut aeternam ab eo recipiatis retributionem. Oro etiam ut sic faciat vestram bonam intentionem proficere quatenus per vos cor Domini nostri regis avertat a consiliis principum quae reprobat, et consilio suo quod in aeternum manet, adhaerere faciat. Consolationem et exhortationem vestram gratanter sicut a domina et secundum Deum amica accipio, quia de Dei dilectione illam procedere intelligo. Si quid placet vestrae dilectioni mihi mandare, latori praesentium sicut mihi ipsi viva voce secure potestis intimare. Omnipotens Deus omnes actus vestros dirigat, et vos ab omni malo custodiat.

EPISTOLA XIII. ANSELMI AD ROBERTUM COMITEM FLANDRIAE.

Domino, et in Deo dilecto, ROBERTO comiti Flandriae, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis fideles orationes cum servitio.

Audivi quia quosdam de vestris abbatibus concessistis regulari electione ordinari, ut investituram de manu vestra non acciperent. Unde gratias ago Deo cujus gratia cor vestrum ad hoc quod sibi placet direxerit, et gaudeo pro vobis quia ecclesiasticis institutis ad Christianae religionis profectum valentibus sine contradictione favetis. Cum enim hoc facitis, non homini, sed Deo obeditis, et vos verum et fidelem filium Ecclesiae Dei et verum Christianum ostenditis et vos esse de ovibus beato Petro apostolo commendatis, cui Deus claves dedit regni coelorum monstratis. Certum quippe est quoniam qui non obedit Romani pontificis ordinationibus, quae fiunt propter religionis Christianae custodiam, inobediens est apostolo Petro cujus vicarius est, nec est de grege illo qui ei a Deo commissus est. Quaerat igitur ille alias regni coelorum portas, quia per illas non intrabit quarum claves Petrus apostolus portat. Gaudens itaque gratias ago vobis, et oro ut Deus retribuat vobis, quia bonum exemplum aliis principibus datis, et omnes servos Dei hoc modo ut orent pro vobis invitatis et Deum ad amorem et auxilium vestrum in vestris negotiis invocatis. Precor, obsecro, moneo, consulo, ut fidelis animae vestrae, mi domine, et ut in Deo vere dilecte, ut nunquam aestimetis vestrae celsitudinis minui dignitatem, si spousae Dei et matris vestrae Ecclesiae amatis et defenditis

libertatem; nec putetis vos humiliari, si eam exaltatis, nec credatis vos debilitari, si eam roboratis. Videte circumspicite, exempla sunt in promptu; considerate principes qui illam impugnant et conculcant, ad quid proficiunt, ad quid deveniunt? Satis patet, non eget dictu. Certe qui illam glorificant, cum illa et in illa glorificabuntur. Inter quos Deus vos et conjugem vestram et prolem vestram in praesenti et in futura vita annumeret. Amen.

431 EPISTOLA XIV. ANSELMI AD ROGERUM, ROBERTUM ALIOSQUE ABBATES.

ANSELMUS, gratia Dei, archiepiscopus Cantuariensis, ROGERO abbati, et ROBERTO filio comitis Hugonis et aliis monachis de monasterio Sancti Ebrulfi.

Nimis palam est, nec dissimulari ullatenus potest quomodo ingressi estis coenobium Sancti Edmundi, et qua violentia extorquere conamini electionem fratribus ejusdem Ecclesiae et assensum vestrae inordinatae voluntatis. Quod quam irreligiose, quam contra monachicum propositum, et contra regulam sancti Benedicti, quam professi estis, et contra sacram Scripturam quae dicit : *Nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo* **(Hebr. V, 4),** et contra ipsum Deum faciatis, videt ipse Deus qui discernit inter pastorem et lupum rapacem. Et quidem dominum meum regem prohibere nequeo

quin vos constituat super terrena, sed super animas propter quas abbas et dicitur et constituitur, nemo potest quemquam constituere, nisi quibus Deus dedit potestatem ligandi atque solvendi. In meo primatu et archiepiscopatu est illa Ecclesia, et proprie pertinent ejus consecrationes ad archiepiscopum Cantuariae, quem me esse non ignoratis. Nihil igitur eorum quae ad me pertinent alicui vestrum unquam concessi aut concedo; imo oro Deum et conabor, quantum adjuvante Deo potero, ut Deus convertat cor domini mei regis ad hoc quod Deo magis placet, et animae ejus expedit; et faciet eum corrigere secundum voluntatem suam, si quid contra eam facit. Christiani estis sub Christiana lege, et sub monastica professione vos vivere profitemini. Si contra hoc facitis, nec Christianos nec monachos vos esse aperte ipso opere fatemini. Certissimum autem est quia si in hoc perseveratis, contra praedictam professionem facitis. Moneo igitur vos, ut Christianos et monachos, quatenus vos plus Deus timere quam hominem ostendatis, et ab incoepta perversitate constanter desistatis. Quod si magis adversari Deo vultis quam hominibus, annuntio vobis quia Deus adversabitur animabus vestris. Deus cui dicitur: *Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor* **(Psal. X, 14),** ipse videat et intueatur, si quas tribulationes fratribus ejusdem Ecclesiae deinceps feceritis.

EPISTOLA XV. ANSELMI AD GERARDUM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM.

ANSELMUS, Ecclesiae Cantuariensis servus, reverendo archiepiscopo GERARDO Eboracensi, salutem.

Sciat charitas vestra quia litteras illas quas queritur legi et transcribi, nec ego alicui ostendi, nec dedi vel misi, nec aliquis per me, nec scio quomodo factum sit quod aliquis eas ut transcriberentur habuit; et cum hoc legi in litteris vestris factum esse, mihi displicuit. Et quamvis vestra prudentia nihil suspicetur de me quod dedeceat, meum tamen est confiteri et asserere, quia non amo contumeliam vestram, aut alicujus coepiscoporum meorum, nec quoquo modo res se habeat de litteris illis, mendacii vos arguendos existimo. Cum autem loquar vobis, cum si quid rescribo non sufficit, viva voce spero me satisfacturum esse, quia nec ego in hac re culpabilis sum, nec a legatis nostris aliqua immissa est falsitas. Capitula concilii solummodo mitto, quia sententiarum eorum expositiones nulli volo transcribere, donec vestro et aliorum episcoporum qui in concilio adfuerunt approbentur judicio.

EPISTOLA XVI. ANSELMI AD EUMDEM.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, reverendo archiepiscopo GERARDO Eboracensi, salutem.

Laetor de vestro bono et religioso studio circa clericorum vestrorum integritatem. Ad ea vero de quibus vestra prudentia nostrum petit consilium, respondeo quia de iis quae in concilio nostro et coepiscoporum nostrorum communi consensu statuta sunt, nihil relaxandum consulo. De iis autem de quibus in eodem concilio non tractavimus, non enim simul omnia necessaria potuimus, ut de ablatione praebendarum ante idem concilium venditarum, et de similibus, quoniam non solum

ad meam et vestram personam, et ecclesias nostras pertinent, sed etiam ad multas ecclesias et personas, et in iis multi dissentiunt, conveniens mihi videtur ut in proxima Nativitate Domini nostro et coepiscoporum nostrorum communi consilio Deo dictante sententiam certam statuamus.

EPISTOLA XVII. HUGONIS ABBATIS CLUNIACENSIS AD ANSELMUM.

Dulcissimo ac venerabili, merito amando venerandoque Patri domino ANSELMO, sanctae Cantuariensis Ecclesiae summo pontifici, frater HUGO abbas Cluniacensis, cum suo pusillo grege, quod praeparavit Deus diligentibus se in veritate.

Quoniam, vir sanctissime, difficile est optata nos ad invicem satiari praesentia, vel mutua et frequenti collatione corda nostra delectari, bonum arbitramur, si saltem litterali visitatione animos nostros pro tempore pascamus. Quis enim tam gloriosum tamque spiritualem habens in Christo amicum, qualem vos divina nobis concessit gratia, non omnimodis optet saluberrima illius recordatione recreari et relevari sancta renuntiatione. Prius quidem quam faciem vestram videremus, ille suavissimus odor bonae famae, aures nostras reverberans, jam dulcedine sua nostrum interiorem hominem impinguabat. At postquam vestram hilarem praesentiam cernere Deo volente meruimus, non est facile dictu qualiter totus vobis adhaesimus, vestroque cordi quasi partem nostri univimus. Verum non haec nostra sunt, sed illius qui spirat ubi vult **(Joan. III, 8).** Ipsi gratias agimus, ipsum exoramus ut

quos ita junxit in hac vita, non permittat separari in coelesti gloria. Perpendimus satis vos multas et graves postquam a nobis discessistis pertulisse anxietates. Et si voluntas esset summi dispositoris, scimus vos desiderasse multo magis cum Maria sedere ad pedes Domini **(Luc. X, 39)** ejusque vultum contemplari, quam laborare ministrando cum Martha **(ibid., 40).** Verumtamen quia potestas hominis non est in manu ipsius, date manum voluntati illius, cui est cura de vobis, quique luce clarius novit quid sit vobis salubrius. In eo totam spem vestram reponite, ab ipso virtutem et perseverantiam quaerite quantum fieri potest, patiens ad omnia. Adsit vobis ille qui nulli unquam defuit in ipso speranti. Sed cur nos imperiti aquam in mare deferimus, dum sanctitatem vestram quasi docere praesumimus? Non docemus, sed praecordialem amicum nostrum consolari volumus; hoc tantum secure addentes, quia domus Cluniacensis ancilla vestra in vita et morte vestrae non deerit servituti. Filium autem nostrum domnum Gofridum sacristam ad partes illas, sicut ab ipso melius audietis, destinantes vestrae commendare paternitati necesse non arbitrantur, quoniam cum **432** magnis saepius referre solet quantae charitatis consilium auxiliumque ei in praeterito anno contulistis. Nec solum ipse, sed et omnes fratres nostri per vestram transeuntes praesentiam, plurimam vestrae sanctitatis praedicant charitatem. Super quibus, quantas praevalemus gratias persolventes humiliter petimus ut per hunc ad nos remeantem vestrum esse, vestrumque velle, nobis insinuare dignemini, ut gaudere possimus cum gaudente et cum dolente, quod omnipotens Deus avertat a vobis, ut filii condoleamus. Gratia Dei et pax vobiscum, pater gloriose. Memento nostri in sanctis orationibus vestris.

EPISTOLA XVIII. ANSELMI AD HUGONEM LUGDUNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Domino reverendo, et Patri diligendo, HUGONI venerabili primati Lugdunensi, ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, quod servus, quod filius, quod totus suus.

Gaudendo gratias agimus Deo, et gratias agendo gaudemus quia pietas divina vestrum desiderium visitandi locum in quo salus nostra procurata est, adimplevit, et nos de reditu vestro et de salute vobis restituta laetificavit. Gratias quoque refero vestrae paternitati, non solum pro multimodis beneficiis mihi impensis, verum etiam pro indeficienti bona voluntate, quae me paterna sollicitudine et litteris suis visitare et ad eadem beneficia repetenda, si opus sit, non cessat visitare. Quibus bonis quoniam nihil ego cogitare queo quod possim recompensare, Deum omnipotentem pro cujus amore hoc facitis, quanto affectu possum oro, ut ipse vobis dignetur remunerare. Nostrum esse quale sit in Anglia, charitas vestra desiderabat per scriptum cognoscere, sed legatus vester plenius vobis viva voce quam ego scribendo poterit ostendere. Hoc tantum dico quia, quando spero meas adversitates mitescere, tunc magis sentio eas exardescere. Tota enim me vis Angliae, cum solus ibi sim, molitur subvertere, quia me ab obedientia sedis apostolicae non valet avertere; ad quod etiam ipsi episcopi cum rege sic aestuant ut etiam consecrationes quae nonnisi ad me pertinent, si sit qui velit accipere, ipsi

praesumere non metuant. Omnipotens Dominus vestram nobis paternitatem in gratia sua diu conservet incolumem. Amen.

EPISTOLA XIX. ANSELMI AD DIACUM S. JACOBI EPISCOPUM

DIACO reverendo Sancti Jacobi episcopo ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, gratiae supernae auxilium et consolationem.

Cum semper nos Christiani invicem congaudere debeamus et condolere, tunc utique maxime cum prosperitatem et exaltationem Christianitatis et adversitatem ad ejusdem humiliationem cognoscimus pertinere; vestri itaque timoris atque doloris ex litteris vestris causam cognoscentes, unde timetis, inde timemus, et quod doletis, pariter dolemus. Quia milites nostros contra Sarracenos ad vestrum auxilium commoneri desideratis, libenter pro opportunitate nostra eos commonebimus, et ad subventionem Christianorum commovebimus. Sed noverit sanctitas vestra quia regnum Anglorum bellorum contra se undique surgentium nuntio fere quotidiano commovetur, unde satis vereor ne contingat nos pro vobis minus prodesse, quia nobis hostes timemus obesse. Nam dum quisque curat tueri propria minus potest curare communia. Conabimur tamen, Deo annuente, hoc efficere orationum devotione, quod non valemus militum collectione. Speramus autem in misericordia Dei quia non relinquet

virgam peccatorum super sortem justorum **(Psal. CXXIV, 3),** neque tradet bestiis animas confitentes sibi **(Psal. LXXIII, 9).** Omnipotens Deus adjutor in opportunitatibus, in tribulatione **(Psal. IX, 10),** subveniat vobis secundum necessitatem vestrae tribulationis. Amen.

EPISTOLA XX. ANSELMI AD GUILLELMUM ROTHOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Domino et Patri GUILLELMO, reverendo archiepiscopo Rothomagensi, ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, salutem.

Clamo et queror ad vos, et ad vos et ad omnes episcopos et abbates et totam Ecclesiam Northmanniae pro me et pro congregatione ecclesiae Sancti Edmundi quae est in Anglia, de abbate monasterii Sancti Ebrulfi quod est in Northmannia, et vestram peto justitiam. Injuria, quam nobis nimis inordinate fecit in Anglia, praeter opinionem quam de illo habebamus, haec est. Juvenem quemdam filium comitis Hugonis de Cestre, nimis carentem prudentia et utilitate et virtutibus ad abbatis pertinentibus personam, per potestatem regiam ingessit in ecclesiam Sancti Edmundi cum armis, monachis, quantum in ipsis erat, recusantibus et contradicentibus, et omnino sine nostra concessione, ad quem pertinent omnes ejusdem ecclesiae consecrationes. Qui ibi nititur extorquere ab ipsis monachis obedientiam et electionem, et ut animas suas commendent illi custodiendas,

qui quam non idoneus ad hoc sit, aperte cognoscitur, quia ipse nusquam sine laterna et custodia, atque antequam ad hoc assumeretur, sibi ipsi credebatur. Precor igitur ut eumdem abbatem auctoritate vestra monachum suum revocare cogatis, et ecclesiam quam inique opprimit, velut a lupo rapace et oves dispergente liberetis, ne nos aliquid super monachum vestrum nostrae auctoritatis censum, vestra cessante, facere cogamur. Valete.

EPISTOLA XXI. ANSELMI AD ELFERUM ET ALIOS MONACHOS.

ANSELMUS archiepiscopus, fratribus et filiis charissimis, priori ELFERO, et aliis monachis coenobii Sancti Edmundi, salutem et benedictionem Dei.

Misereor et compatior charitati vestrae in longa et nimia tribulatione laboranti. Et tanto magis affectuosius hoc facio, quanto vos non pro terrenae rei cupiditate, sed pro justitia tribulari considero. Justitia enim est, quia non contra ordinem vestrum, non contra regulam S. Benedicti, non contra auctoritatem aliorum sanctorum Patrum, nec sine consilio eorum a quibus religionis regimen et consilium exspectare debetis, abbatem vultis accipere. Quapropter si propter hoc perturbationes et molestias patimini, videbit Deus qui omnia mala aut corrigit, aut punit, et bona nutrit et confortat, et dabit vobis consolationem suam congruo tempore qui adjutor est in opportunitatibus in tribulatione **(Psal. IX, 10),** si tamen flagella Patris sustinere humiliter volueritis, et in spe

misericordiae ejus non defeceritis. Ad illum clamate non solum orando, sed et vitam vestram in mandatis ejus et in ordinis vestri custodia toto corde, toto conatu, in omni loco et in omni tempore servando. Gravis est aliquando et ingrata in tribulatione patientibus verborum sine alio auxilio consolatio, sed non debet hoc esse servis Dei, qui spem certam habent in Deo, quia quanto major est tribulatio, tanto major sequitur patientiae retributio. Omnipotens Deus sua vos laetificet consolatione, et in prosperis et in adversis sua vos semper protegat benedictione.

433 EPISTOLA XXII. ANSELMI AD GUILLELMUM ROTHOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM

Domino et Patri reverendo GUILLELMO, archiepiscopo Rothomagensi, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, cum assiduis orationibus fidele servitium.

Pro injuria et oppressionibus, pro gravaminibus, pro destructione ecclesiae S. Edmundi clamavi ad paternitatem vestram, et nondum exaudistis clamorem nostrum, conquestus sum, et nondum sensi compassionem vestram. Promisistis vos facturos quod rogaveram de monachis monasterii S. Ebrulfi qui praedictam ecclesiam gravant, spoliant, destruunt, sed nimis moratur effectus promissionis vestrae, adhuc clamo intimo doloris corde cogente pro me ad cujus propriam curam pertinet illa ecclesia, et pro fratribus qui in ea conversantur ;

propter Deum, si zelum Dei habetis, si episcopalem pietatem habetis, rogo, obsecro, ad vestigia vestra mente me prosterno, succurrite, miseremini orphanis et viduae Ecclesiae, quibus pro parte invehitur privignus, pro pastore lupus, pro ductore caecus, pro doctore nescius, pro abbate fur et latro, quia non intrat per ostium. Revocate monachos vestros, liberate nos ab oppressionibus eorum. Facite ut abbas monasterii S. Ebrulfi revocet monachos suos, quos contra legem Dei et ordinem suum in ecclesiam praedictam ingessit, et res ejusdem ecclesiae quas inde abstulit sacrilega rapina, juste restituat. Valete et succurrite, precor, festinate.

EPISTOLA XXIII. ANSELMI AD ROBERTUM, ERNULFUM, RADULFUM, PHILIPPUM, BERNARDUM ET ALIOS.

ANSELMUS Cantuariensis archiepiscopus, ROBERTO comiti, et fratri ejus ERNULFO comiti, et RADULFO DE MORTUO MARI, et PHILIPPO DE BRAJOSA, et BERNARDO DE NOVO MERCATO, et aliis qui terras habent in episcopatu degentibus Vailfridi episcopi, amicis et filiis in Deo charissimis, salutem et benedictionem Dei.

Quamvis vos ipsi solliciti esse debeatis de salute vestra, ad me tamen pertinet ut vos ad hoc quod vos decet coram Deo et animabus vestris expedit, excitem amica exhortatione, et invitem paterna admonitione. Precor itaque vos ut amicos, et consulendo moneo ut filios dilectos, quatenus dilecto Wilfrido episcopo de Sancto David, propter honorem vestrum et

propter religionem Christianam, omnem reverentiam et obedientiam quae episcopo in suo episcopatu debetur cum amore exhibeatis, et quaecunque episcopali dispositione fieri debent, ejus consilio faciatis. Sic enim vos ipsos ante Deum exaltabitis, si vos religiosa humilitate episcopo vestro, sicut Deus ordinavit, subjeceritis. Et si in aliquo vestro consilio opus habuerit, promptos vos ut Christianos bonos inveniat, quatenus Deus vobis in omnibus necessitatibus vestris subveniendo retribuat. Hoc quoque maxime moneo et consulo, quia vobis valde necessarium est, si Deum non vultis offendere, ut si terras aut decimas, aut ecclesias, aut aliquid quod ad ecclesiam ejus ecclesiastica rectitudine pertinet, tenetis, ut reddere propter timorem Dei studiose curetis. Nam certum est quoniam qui Deum exhaeredat, vel ecclesias ejus in hac vita, si sine poenitentia et emendatione moritur, a regno Dei exhaeredatur in futura vita. Omnipotens Deus sic vos det haec et alia bona in hoc saeculo operari, ut vos faciat de beata retributione in aeternum gloriari.

EPISTOLA XXIV. ANSELMI AD ROBERTUM NORTHMANNIAE PRINCIPEM.

Suo domino, et totius Northmanniae principi ROBERTO, ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, fidele servitium cum orationibus.

Qualiter domnus Guillelmus electus episcopus Wintoniensis de Anglia exierit, non est opus scribendo ostendere quoniam

per ipsum et per alios qui rem ipsam cognoscunt poteritis discere. Sed quoniam ad me maxime pertinet illi compatiendo, et per me et per alios, quantum possum, sicut debeo subvenire, precor celsitudinem vestram si quid apud eam valeo quod deceat impetrare, quatenus in vobis sicut homo vester et sicut illi cognoscitis expedire, auxilium et consilium cum amore inveniat.

EPISTOLA XXV. ANSELMI AD GUILLELMUM ROTHOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Domino et Patri GUILLELMO, reverendo archiepiscopo Rothomagensi, ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, fideles orationes cum servitio.

Cum semper gaudere et Deo gratias agere debeamus, quoties servos Dei gloriam mundi pro Christi amore contemnere videmus, nec ulla violentia aut blandimentis a rectitudine posse separari, tunc utique hoc maxime facere debemus, cum in filiis et familiaribus nostris hoc cognoscimus operari. Quanta autem virtute, quanta constantia domnus Guillelmus filius vester, et gratia vestra noster, quem canonicum et decanum Ecclesiae vestrae electum canonice episcopum Wintoniensis Ecclesiae nobis charitative concessistis, consecrationem ab iis a quibus eam sicut offerebatur recipere non debeat respuerit, et quomodo propter hoc rebus suis spoliatus et de Anglia expulsus sit, nullius scripto melius quam ejus viva voce, et eorum qui cum illo, quando haec facta

sunt, adfuerunt, paternitas vestra cognoscere poterit. Quae res, quantum in ipso est, tam fortiter facta est, tamque patenti honestate se manifestat ut nullius relatione ad laudem ejus augeri valeat. Quapropter, quamvis nostra prece prudentia vestra non egeat, tamen ex cordis abundantia obsecro ut eum benigne sicut filium vestrum et meum pro justitia exsulantem suscipiat, atque cum amore et honore ei auxilium suum et consilium, ubi res exiget, exhibeat. Aliis quoque quod ab illo de hac re reverentia vestra audiet, secure pro veritate testetur, et eos ad ejus amorem et honorem sicut meruit exhortetur. Valete.

EPISTOLA XXVI. ANSELMI AD ROGERIUM SUUM AMICUM.

ANSELMUS, archiepiscopus, amico suo ROGERIO, salutem et benedictionem.

Vulgo solet dici quia amicus, velut medicus, in necessitate probatur. Hoc ideo dico quia si vera fuit amicitia quam domno Guillelmo electo episcopo in prosperitate ostendistis, nunc apparebit, et amor erit constantior [*al.,* major erit et constantior] in majori necessitate. Ad quod si preces nostrae et monitio nostra bonae voluntati vestrae possunt aliquid addere, obsecro ut propter honestatem vestram et propter amorem vestrum in iis quae hactenus bene et fideliter, illum adjuvando fecistis non deficiatis, sed quanto magis illum indigere cernitis, tanto studiosius strenuitatis vestrae auxilium illi exhibeatis. **434** Quod si feceritis, et me amicum vestrum

amiciorem vobis reddetis, et amicitiam vestram omnibus veram esse ostendetis. Valete. Omnipotens Deus tribuat tibi omnium peccatorum tuorum absolutionem et remissionem, et orationum mearum, si quid valent, in vera charitate participationem.

EPISTOLA XXVII. ANSELMI AD MALCHUM WATERFORDIENSEM EPISCOPUM.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariae, amico et coepiscopo MALCHO Waterfordiensi, salutem et benedictionem.

Audivi quod domnus Samuel episcopus Dublinensis monachos ecclesiae Dublinae aut nulla aut parva occasione ejicit, nec pro ulla satisfactione, vult recipere, et quia contra consuetudinem crucem facit gestari ante se in itinere, et quia res ecclesiae illius ab archiepiscopo Lanfranco datas velut proprias distribuit. De iis omnibus illi nostras mitto litteras, et populo ejusdem civitatis mando, ut praedictarum rerum distributionem prohibeat. Et quoniam non invenio per quem litteras nostras illi aptius mittam, precor fraternitatem vestram, quatenus eas illi per praesentiam vestram exhibeatis; et eum charitative viva voce ut monitioni nostrae quam illi scribimus assensum praebeat rogando et consulendo moneatis. Valete.

EPISTOLA XXVIII. ANSELMI AD GUILLELMUM ROTHOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Domino et Patri reverendo archiepiscopo Rothomagensi GUILLELMO, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, quod patri filius.

Quamvis dominus Guido lator praesentium olim nobis ut domino et patri familiari notitia, ut ait, adhaeserit, tamen quia novit quanta inter vos et me mutua sit dilectio, nostris litteris vestrae commendari petit sanctitati. Sciat igitur vestra paternitas quia cum nostra amicitia et licentia redit de Anglia in Northmanniam ad suam Ecclesiam. Quod precor ut apud quoscunque opus fuerit vestra testetur auctoritas. Precor etiam ut ubi vestro consilio et auxilio eguerit, secundum quod vestram decet reverentiam, ad salutem animae suae promptum inveniat. Valete.

EPISTOLA XXIX. ANSELMI AD GONDULFUM EPISCOPUM.

ANSELMUS, archiepiscopus, reverendo episcopo GONDULFO, salutem.

Notum sit dilectioni vestrae quod gratia Dei vestris suffragantibus orationibus sanus sum et usque ad

Carrotum Romam tendens sine perturbatione ivi. Quo cum pervenissem, et a D. comitissa, et episcopo honorifice susceptus fuissem, mirati sunt quod tali in tempore tam periculosum iter peragendum arripuissem. Affirmaverunt siquidem quod nec Romam videre si coeptum iter tenerem, nec ulterius, prae nimia loci infirmitate caloris angustia redire valerem. Tale quocunque esse hoc in tempore me iter agere, ac si mihi licenter mortem vellem asciscere. Consilio itaque eorum et omnium amicorum meorum in tempus congruum iter agendum distuli, et in Northmannia exspectaturus Beccum redii. Debita igitur mea quae in Anglia debeo, precor et multum precor ut solvatis, et reliquum quod habere potestis de meis redditibus per Ansfredum praesentem nuntium quam citius potestis mihi mittatis. Solutionem Romescoti usque ad festum sancti Michaelis differre potestis. Eleemosyna vero ne aliquam penuriam patiatur, prudentia vestra invigilet. Godefrido de Mellinges dicite ut Guillelmo filio suo det XX solidos denariorum. Guillelmo filio Hionis XX marcas argenti, et Albrito II ad festivitatem S. Michaelis dabitis. Orate pro me ut Deus me et actus meos dirigat, et in beneplacito suo ad salutem meam et omnium mihi commissorum disponat. Salutate filios et fratres nostros nostrae et vestrae congregationis.

EPISTOLA XXX. ANSELMI AD MATHILDEM REGINAM.

Reverendae dominae suae MATHILDI gloriosae reginae, ANSELMUS archiepiscopus, fideles orationes cum fideli servitio, et benedictionem Dei, et suam, quantum potest.

Gratias ago magnas susceptae vestrae largitioni, sed multo majores sanctae quam erga me sum expertus dilectioni. Quas quoniam corporis officio nequeo peragere, cordis affectu cupio indesinenter persolvere, siquidem quantumcunque sit Vestra corporalis absentia; removeri tamen nequit a mente mea fidelis dilectionis vestrae prudentia. Quapropter desideranter oro, et orando desidero ut Deus quod ego per me non valeo, ipse vobis pro me retribuat, et quantum scit expedire, suam erga vos dilectionem et vestram erga se perficiat. Quanto affectu possum et quantum de celsitudine vestra audio praesumere, precor, obsecro, supplico, fideliter consulo, ut Ecclesiarum Angliae paci et quieti pietas vestra studeat, et maxime filiis earum imbecillioribus minusque potentibus, in tribulationibus suis et desolationibus, quasi orphanis Christi subveniat, et ad similitudinem evangelicae gallinae illos sub alis doceat protectionis suae consoletur et foveat. Unctio sancti Spiritus vos in omnibus doceat, et quae sibi magis placent et vobis expediunt persuadeat, et post temporale regnum ad aeternum perducat.

EPISTOLA XXXI. ANSELMI AD ANSELMUM NEPOTEM.

ANSELMUS, archiepiscopus, ANSELMO, carne nepoti, dilectione filio suo charissimo, salutem et benedictionem Dei, et suam.

Quoniam singulariter te inter omnes consanguineos meos diligo, ut proficias coram Deo et coram omnibus desidero. Quapropter moneo te et praecipio tibi, sicut filio dilectissimo, quatenus ad hoc pro quo te in Anglia dimisi sollicite perficere studeas, et nullum tempus in otiositate transeas. In declinatione et virtute grammaticae cognoscenda maxime intende, in dictamine, et plus in prosa quam in versibus te exerce. Super omnia mores et actus tuos coram hominibus, et cor tuum coram Deo custodi, quatenus, cum Deo annuente te videro, de tuo profectu gaudeam, et tu de mea laetitia gaudeas. Vale. Deo corpus et animam tuam commenda.

435 EPISTOLA XXXII. ANSELMI AD ERNULPHUM PRIOREM ET ALIOS ECCLESIAE CANTUARIENSIS.

ANSELMUS archiepiscopus, dominis fratribus et filiis suis charissimis, domno priori ERNULPHO, et aliis sub illo in Christi Ecclesia Cantuariensi Deo servientibus, divinae gratiae et benedictionis consilio semper regi et consolari.

Priores litteras a vestra fraternitate directas laetus suscepi, quia per omnia vos vestra, Dei protectione, in prosperitate manere per litteras episcopi Roffensis et per earum latorem accepi. Quam laetitiam etsi non multum litterae sequentes

conturbaverunt, aliquatenus tamen obnubilaverunt. De regis namque petitione, quam mandastis, non parum miratus sum, sed quod nihil sine nostro consilio, sicut vobis decet facere, voluistis, et praecepti nostri memores fuistis, gavisus sum. Potens est enim Deus regiam voluntatem ab omni indignatione, quam hac occasione adversum nos nasci timetis, avertere, cum vos recte et ordinate facere conspiciet, aut si hoc illi facere non placuerit, et aliquid inde vobis contra voluntatem vestram, quod avertat Deus! contigerit, certi esse debetis quia melius est pati aliquid propter justitiam sub Dei consolatione quam aliquid facere inordinate in ejus offensione. De hoc igitur Dei dispositionem, cui me et vos et omnia nostra commendo, exspectabo, et sicut consuluistis regi per reverendum et amicum nostrum episcopum Roffensem ut totum episcopatum nostrum in pace et quiete permanere permittat sicut mihi promisit, mandabo. Quod si Deus et votum meum et vestrum sua gratia disposuerit, Dei pietatem laudate, et si aliter evenerit, quidquid illud sit, per qualemcunque nuntium, ubicunque sim, mandate. Contra haec et contra omnia adversa vos armis justitiae a dextris et a sinistris armate, Deum timete, semper eum praesentem publice et secrete, et vos illi praesentes cogitate. Ordinem vestrum emendando cogitationes et actus vestros in omni innocentia custodite; et sic Deus vobis omnia cooperabitur in bonum **(Rom. VIII, 28),** et erit vobiscum sive in pace sive in tribulationibus, omnibus diebus vitae vestrae. De reditu meo in Angliam antequam quod incoepi perficiam de quo mihi mandastis, dominus noster rex nihil mihi mandavit, sed tantum prosperitatem et hilaritatem suam, sicut fideli suo et congaudenti, per litteras intimavit. Omnipotens Deus et in prosperis et in adversis super vos et in vos suam effundat

benedictionem, et nunquam patiatur a vobis suam deesse consolationem. Gratias ago domno priori et omnibus vobis pro dilectione et beneficiis quae nepoti meo propter amorem meum impenditis. Quamvis enim hoc non dubitem, ipse tamen suis litteris hoc mihi magno affectu intimavit.

EPISTOLA XXXIII. ANSELMI AD GONDULFUM ROFENSEM EPISCOPUM.

ANSELMUS archiepiscopus amico suo reverendo, GONDULFO episcopo Rofensi, salutem.

De salute et prosperitate nostra per latores praesentium cognoscere potestis, propter quod exivi de Anglia, quantum possum, adjuvante Deo, per me ipsum, quia anter non video me posse, conor perficere. Gratias ago vestrae bonae voluntati et sollicitudini, quia mihi nuper in necessitate succurristis. Nam de CCCXXX marcis argenti quas tuli de Anglia, non habebam nisi XXIV, quando hoc quod nuper misistis, suscepi; multum namque plus me necesse est expendere quam putabam. De nostris rebus quia non magis in me quam in vobis confido et vestram novi bonam voluntatem, ut eas, sicut oportet, custodiatis et tractetis, scio quia prece nostra non indigetis. Gratias itaque agens de iis quae fecistis et facitis, rogo ut, sicut nuper mihi subvenistis, ita in futurum, quam citius potestis, subveniatis, mittendo si quid de praeterito anno de nostris redditibus habetis, et quidquid de futuro, precando, monendo, et necessitatem meam ostendendo, a praepositis nostris colligere potestis. De pauperibus quos apud

Cantuariam pascere debeo, rogo multum ne ullam patiantur inopiam. Quod mihi mandastis de terra nostra de Roginges libenter accipio, nec aliam quam me rogastis habere voluntatem, habeo. Audivi quod Hugo filius Mabiliae, terram quam sine ulla donatione eum hactenus tenere permisi, vult vendere. Prohibete itaque ne ipse aut aliquis alius aliquid de terra nostra vendat, aut aliquo modo impediat, sed omnia sicut ea dimisi permaneant, donec redeam. Salutate filios nostros et filias, et ut orent pro me oro. Radulfo filio Herengodi qui mecum fuit, date centum solidos.

EPISTOLA XXXIV. ANSELMI AD EUMDEM.

ANSELMUS, archiepiscopus, reverendo episcopo Rofensi GONDULFO, salutem.

Ubi et qualiter sim per praesentium latorem audietis, cur autem ad praesens in Angliam non redeam ex litteris quas regimitto, cognoscere poteritis. Mando autem vobis ut eum fideliter ex nostra parte salutetis, et sigillum nostrum, quod vobis nuntii nostri dant, quod ei mitto, illi detis, et, si illi placuerit per litteras mihi respondere, illas mihi per praesentem legatum mittite. Quod si noluerit, quidquid responderit vestris litteris mihi mandate. Sigillum autem nostrum non prius regi ostendetis quam Guillelmus de Warelwast veniet in Angliam, et eidem Guillelmo exemplum litterarum quas regi mitto, secrete ostendatis. Videte etiam ut nullus praeter ipsum nisi prior noster solus sciat ipsas litteras,

antequam regi dentur. Postquam vero rex illas cognoverit, episcopis et aliis eas notificate, reginam ex nostra parte dulcissime salutate , exemplar litterarum quas regi mitto vobis trans mitto.

EPISTOLA XXXV. ANSELMI AD EUMDEM.

ANSELMUS archiepiscopus, reverendo episcopo GONDULFO, salutem.

Litteras domini nostri regis suscepi, in quibus, sicut scitis, promisit mihi quia post curiam mihi responderet. Mando ergo charitati vestrae ut ad eum ex nostra parte eatis, et dicatis ita : Domine, archiepiscopus Cantuariensis mandat vobis fidele servitium sicut domino et regi suo, et mandavit mihi ut reducerem vobis ad memoriam quatenus, sicut mihi mandastis, respondeatis. Quod si ipse responsum suum mihi mandare voluerit per sigillum suum, bene. Si autem per litteras suas noluerit respondere, vos per litteras vestras mihi mandate quidquid responderit. Quod si adhuc in alium terminum voluerit differre responsum, accipiam dilationem, et alium terminum respondendi; si me interim saisitum, sicut eram quando exivi de Anglia, permiserit, ut vos mihi de rebus nostris mittere possitis, sicut mando et mandabo. Si autem me dissaiserit ut nostrae res non sint in mea potestate, dicite ei quia ego nullas inducias accipio, sed ita me habebo sicut **436** episcopus dissaisitus, sine judicio quo episcopus dissaisiri debeat. Si vero et respondere voluerit, et tamen me saisitum non dimiserit, responsum ne reticeatis. sed tamen hoc

ipsum quod dixi quia me habebo sicut episcopus dissaisitus sine judicio, ne taceatis. Reginam, ut dominam et filiam charissimam dulciter salutate.

EPISTOLA XXXVI. ANSELMI AD BALDUINUM REGEM HIEROSOLYMITANUM

BALDUINO, gratia Dei regi Jerosolymitano, domino charissimo, ANSELMUS, licet indignus, archiepiscopus Cantuariensis, sic regnare super Jerusalem terrenam in hac vita, ut regnet in Jerusalem coelesti in futura vita.

Quamvis Dei dono scientiam habeatis quae vobis ad bene vivendum, adjuvante Deo, possit sufficere, et licet sciam in vobis bonam esse voluntatem, tamen cogit me abundantia dilectionis quam erga vos habeo, ut de tam longe aliquid scribam vestrae celsitudini. Sicut enim ignis ardens vento magis accenditur, ita bona voluntas amica monitione, ut plus ferveat excitatur. Scitis, mi charissime domine, quoniam civitatem Jerusalem et ante adventum Domini et in ipso ejus adventu elegit Deus quasi propriam sibi et familiarem de toto mundo. Ex ipsa enim fuerunt primi reges quos Dominus dilexit; ex ipsa fuerunt prophetae, in ipsa fuit propria domus Dei, et sanctuaria ejus; ibi facta est nostra redemptio, ibi conversatus est Rex regum; inde per totum mundum diffusa est salus humani generis. Consideret igitur vestra celsitudo quam eminens gratia Dei sit, quod vos in hac civitate regem esse voluerit; et quanto affectu, quanto studio se debeat

subdere voluntati Dei et ejus servitio rex quem ille ibi constituit. Precor ergo, obsecro, moneo, ut Dominum, ut dilectum, quatenus et vestram personam, et omnes vobis subditos sic regere secundum legem et voluntatem Dei studeatis, ut lucidum exemplum omnibus regibus terrae in vita vestra praebeatis. Dominus noster Jesus Christus sic regnet in corde vestro et in operibus vestris, ut vos cum rege David antecessore vestro in coelo sine fine regnetis. Amen. Scitote quia quotidie pro vobis oro, quamvis viles sint orationes meae.

EPISTOLA XXXVII. ANSELMI AD MATHILDEM COMITISSAM.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, dominae, et matri in Deo, comitissae MATHILDI, praesentis vitae continua et diuturna laetari prosperitate, et futurae perenni gaudere felicitate.

Celsitudini vestrae gratias agere volo, sed condignas meritis ejus scribere non valeo. Quippe quod non semel tantum, sed pluribus vicibus me Deus per vos liberavit de potestate inimicorum meorum exspectantium ut in manus illorum caderem, valde magnum beneficium cognosco. Sed cum intueor quam benigno, quam pio, quam materno affectu factum sit, multo magis illud quam proferre possim intelligo. Non enim oblivisci possum quam sollicita prece et obsecratione mihi per fratrem et filium nostrum Alexandrum mandastis ut nullo modo corpus meum ulli exponerem periculo, et quanto studio hominibus vestris mandastis ut me

non minori, imo si fieri posset, majori cura quam vestram personam susciperent, et non per breviorem, sed per tutiorem viam, usque ad securitatem deducerent. Quod illi quidem fideliter effecerunt, secundum quod vestram voluntatem cognoverunt. Cordis quidem mei affectus ad agendum gratias non deficit, sed os et stylus ad proferendum quod cor sentit, non sufficit. Quod ergo ego non possum, Deum oro ut ipse vobis retribuat et vos ab omnibus inimicis corporis et animae defendens, ad beatam et aeternam securitatem perducat. Sancti desiderii vestri in corde meo semper servo memoriam, quo ad contemptum mundi cor vestrum anhelat, sed illud sancta et necessaria, quam erga matrem Ecclesiam habetis, pie dilectio retractat. In quo intelligitur reverentia vestra ex utraque parte Deo placere, et ideo debetis aequo animo certum Dei consilium exspectando onus quod portatis in angaria cum bona spe patienter sustinere. Hoc tamen praesumo consulere, ut si certum mortis periculum interim, quod Deus avertat! senseritis imminere, prius vos Deo omnino reddatis, quam de hac vita exeatis, et ad hoc velum semper paratum secrete penes vos habeatis. Quidquid dicam hoc oro, hoc desidero, ut Deus nulli vos nisi suae committat dispositioni et consilio. Mandavit mihi vestra celsitudo per praedictum filium nostrum Alexandrum, quia orationes, sive meditationes, quas ego dictavi, et putabam vos habere, non habebatis, et ideo mitto eas vobis. Omnipotens Deus sua vos semper benedictione regat et protegat.

EPISTOLA XXXVIII. PASCHALIS PAPAE II AD GERARDUM EBORACENSEM EPISCOPUM.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, GERARDO Eboracensi episcopo.

Sedis apostolicae benignitas etc. *Vide in Paschali II ad an.* 1118.

EPISTOLA XXXIX GIRARDI AD ANSELMUM.

Patri dilecto ANSELMO filius GIRARDUS, servitium et obedientiam.

Mentem veritatis amicam cavere oportet ne in eorum sententiam facile cedat quos ad mentiendum impellit vel odium, vel amor, vel quaedam vana et iners in mentiendo voluntas. Ii sunt quorum segnities cum ad nihil honestum exsurgat, invidiae ignem in ipsis incendit adversus eos qui honeste vivunt. Scio quia ejusmodi homines animi vestri dulcedinem amaram mihi facere nituntur. Accedit ad hoc quod noster labor aliquando pigrior fuit quam deceret in causa Dei et vestra. **437** Sed absit hoc a me, absit hoc ab ea, qua vobis adhaereo dilectione, ut a modo verbi Dei in quo laboratis usque ad exsilium me adjutorem non habeatis! Si enim eam mihi dilectionis suavitatem reddere noveritis, quam saepe in vobis multis et magnis rebus expertus sum, fidum me

et servum et in Christo conservum atque in verbo ejus collaborantem habebitis. Negligentiorem tamen quam oportuerit in hac causa me fecerat, quod negligentius quam decuisset vos in tribulatione mea mihi compassum audivi. Amor tamen ille magnus quem erga vos habeo, ubique cum familiaribus meis et vestris, et saepe in auditu regis et optimatum regni se ostendit. Quae sit erga me vestra voluntas, tacitis itidem nominibus nostris mihi scribere non pigritemini.

EPISTOLA XL. ANSELMI AD ERNULFUM PRIOREM

ANSELMUS archiepiscopus domino priori ERNULFO salutem et benedictionem Dei.

Benefecistis quia in litteris vestris quod sentiebatis mihi scripsistis. Nos quoque idipsum sentimus et aperte videmus; desiderium nostrum et fratrum nostrorum ad praesens non video quomodo de me possit impleri. Litteras tamen nostras mitto regi, quorum exemplar vobis mitto. Quod volo ut sit occultum, donec cognoscatis quid rex mihi respondeat, aut qualiter easdem litteras recipiat. Postquam vero hoc cognoscetis, bonum existimo ut publice exemplar quod mitto ostendatur. De me et de causa nostra nihil aliud nunc vobis possum mandare quod nesciatis. Ad fratres nostros estote vos epistola nostra ad salutandum, ad exhortandum, ad confortandum, secundum prudentiam quam vobis Deus dedit, quibus, quantam possum a Deo impetrare, mando benedictionem et absolutionem. Pro querela, quam mihi

fratres scripserunt, de penuria quam patiuntur pro negligentia sicut aestimant domini Rogeri, scripsi illi et praecipi ut omnia quae ad illum pertinent agat vestro consilio et vestra prudentia. Adolescentiores et pueros precor ut singulos secrete et ex nostra parte dulciter salutes, et ut nostrae memores sint monitionis, cordibus eorum sicut scitis, intimetis. Antequam Romam irem, postquam a vobis discessi, dum adhuc Becci morarer, quaesivistis a me quid mihi videretur, si quis clericus qui et litteratus et strenuus existimaretur, ad ecclesiam nostram ut monachus fieret, vellet venire. Ad quod tunc litteris quae nescio si ad vos pervenerunt, respondi quia si videretis personam quam suscipiendam discretio vestra judicaret, mihi quoque ut reciperetur bonum esset et placeret. Privilegium quod dominus papa mihi dedit, vobis mitto ad transcribendum, et diligenter custodiendum. Dixit mihi Everardus vos velle habere concilium quod Londoniae celebravimus. Quod ita mitto vobis ut illud nec in publicum offeratis, nec transcribi faciatis; donec ego et vos cum episcoporum consilio illud retractemus.

EPISTOLA XLI. ANSELMI AD EUMDEM.

ANSELMUS archiepiscopus, reverendo priori domno ERNULFO, salutem et benedictionem Dei, et suam, si quid valet.

Litteras vestrae reverendae dilectionis plenas prudenti consilio et charitativa sollicitudine pro mea causa et sincerae

dilectionis affectu et tribulationum cor vestrum et Ecclesiam nostram prementium conquestione suscepi. Consilium quidem ex parte sequi non potui, quia domnus Everardus non ita venit ad me, ut in festo sancti Michaelis opportune redire posset in Angliam. In aliis vero, Deo adjuvante, tentabo quod consulitis, si potero efficere. Pro sollicitudine vero quam dixi et dilectione gratias ago Deo et vobis. De tribulationibus autem non egetis nostra consolatione, nisi in his quae nostro consilio aut potestate possunt mitigari. Vos enim scitis quia per multas tribulationes et per aquam et ignem transire nos oportet ad refrigerium. Multa et alia sunt quae prudentiam vestram non latent, quae nos hortantur in tribulatione gaudere. Quod Deo consolante vos facere et usque in finem facturos non dubito. De iis ad quae nostrum responsum petitis, primum dico quia placitum quod constituerunt archiepiscopus Eboracensis et episcopus Londoniensis, nec statui nec fieri debet sine archiepiscopo Cantuariae. Nam etsi Ecclesia Cantuariensis viventem episcopum non haberet, exspectari deberet. Si quid autem inde per placitum factum est, stare non debet, et ego irritum facio. De damno quod aut a praepositis aut a cellerario passi estis, quia praeteritum est, consilium nescio, sed tamen si quid aliqua ratione recuperare potestis, gaudeo. In futurum vero consilium vestrum de sociis praepositorum approbo. De Godefrido vobis consulo, et domno episcopo Rofensi mando ut ita per justitiam tractetur, ne aut apud regem, aut apud alios se injuste tractari vos blasphemando conqueratur, quatenus aut de hoc quod debet, vobis sicut justum est satisfaciat; aut villam pro qua debitor est, vobis reddat. De domno Joseph, praefato episcopo mando, ut si opus est, vos adjuvet, quatenus eum de debitis et terris quas tenet, secundum vestram dispositionem tractare possitis,

et hoc vestrae committo ordinationi. De pueris et juvenculis suscipiendis, propter multas rationabiles causas consilio vestro faveo, donec Deo disponente redeam, et haec et alia communi agemus consilio. Hoc tamen volo et rogo, ut ubicunque sim, si aliqui hujus aetatis suscipiendi sunt, illi primum suscipiantur quibus concessum est. De hoc autem unde quidam me et vos reprehendunt, de personis scilicet Ecclesiae nostrae, vos scitis qua necessitate fit. Vix enim aliqui ad nos veniunt, nisi quos sponte accipimus.

De laico quem suscepistis misericorditer, Deus disposuit, quia et vos charitatem illi et amicis ejus exhibuistis, et ipse bono fine quievit, quem Deus absolvat ab omnibus peccatis suis. De clerico Belvacensi quem Deus vobis clementer attraxit, gaudeo, et ut saepe colloquio vestro aedificetur de contemptu gloriae mundi et de dubietate humanae vitae, et de periculo animarum de hoc mundo transeuntium in amore saeculi, quamvis hoc vos facere putem, consulo. De clerico Londoniensi quem suscepistis, approbo quod fecistis. De Roberto ministro pauperum, quod mihi consuleretis facite. Si enim in sanitate sua venerit, credo quia ad salutem animae suae in aliquo servitio Ecclesiae utilis erit, et si in morte, salvus erit. De Roberto de Leminges, haec est mea sententia : Si hoc tempore factus fuerit monachus, concedo uxori ejus, dum vivit, terras quas de me habet, et si quis eas ab alio acceperit, non ab archiepiscopo Cantuariensi, vel me vel mihi canonice succedente, ei quam facere possum excommunicationi, et irae Dei quam illi imprecari possum subjaceat. Quandocunque autem ad conversionem veniat, vel sine conversione finem vitae faciat, quod dixi de terris, ratum permaneat. De fratribus qui inordinate de monasterio exierunt,

et ordinate Deo reducti sunt, per omnia quod fecistis laudo; et de iis qui remanserunt, si in bona voluntate sunt, Deo gratias ago. Illum vero qui tot modis incorrigibilis cognitus est, sua nequitia Satanae traditum existimo, nec amplius **438** in societate vestra suscipiendum puto. De infamia qua super vos populus insipienter clamat, vestra sapientia consolari vos debet. Non enim est blasphemia, sed laus monasterii, quando aliquid inde fugiunt, quia non meliorem vitam quaerunt, verum bonam conversationem quae ab illis exigitur nequaquam tolerare queunt. De patre suo rogat me dominus Cornelius cui sicut scitis spem suscipienti ego et vos dedimus. Qui ut suscipiatur, si vobis videtur, bonum existimo, quia et de longe solo amore sanctae conversationis venit, et iam ad senilem gravitatem devenit. De presbyteris qui ad mulieres dimissas redierunt, consilium quaesivi a R. P. nostro archiepiscopo Lugdunensi; qui nullatenus consulere voluit ut ad Ecclesias amplius admitterentur, sed ut potius infantes a quibuslibet clericis vel laicis baptizarentur. Nec pro alia aliqua necessitate, quae in absentia sacerdotum solet contingere, laudat recipiendos esse. Verumtamen hoc quod dico et necessitatem quam videtis, considerate, et quid mihi praesenti consuleretis, admisso episcopi consilio, facite. Festivitatum celebrationem de quibus mihi mandastis, vestrae committo dispositioni, et quid inde ordinaveritis ego confirmo, et ratum sit. De octavis quoque Nativitatis sanctae Dei genitricis Mariae, quas plures de fratribus nostris rogant in Ecclesia nostra fieri, quia in pluribus Ecclesiis fiunt, similiter quod melius vobis videtur, facite. Domno Roberto monacho dilecto filio nostro qui res nostras solet custodire, dicite ex nostra parte, ut si potestatem habet, faciat Robertum clericum qui mecum est tenere domum suam quam habent Cantuariae, ita

quietam, sicut eam tenuit Rogerus Puntel. Rogatis me ut in tribulationibus vestris compatiar vobis et orem pro vobis, quod utique facio, et scio vos hoc ipsum facere nobis. Omnipotens Deus suam semper det vobis consolationem. Responsum regis in die statuto non est episcopo datum, mandavi ei ut illud quatenus poterit requirat, et illud per Vulgarum de Limminges cum aliquo socio aut per duos alios pedites mihi mittat, quia hoc tam cito per domnum Everardum fieri nequit.

EPISTOLA XLII. ANSELMI AD THEODORICUM.

ANSELMUS, archiepiscopus, THEODORICO filio charissimo, salutem et benedictionem Dei.

Gratias habeo tibi pro visitatione litterarum tuarum plena suavi dulcedine exundantis dilectionis; quam utique etiam te tacente in corde tuo semper fervere non dubito. De dilectione vero mea erga te, quia tu eam nosti, multa loqui non egeo. In sententia quarti capituli *De conceptu virginali,* pone integre verba Apostoli sicut hic reperies. Dicit enim idem apostolus nihil damnationis esse iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulabunt **(Rom. VIII, 1).** Vale, fili.

EPISTOLA XLIII. ANSELMI AD MATHILDEM REGINAM ANGLORUM.

MATHILDI, dominae reverendae, filiae charissimae, reginae Anglorum, ANSELMUS archiepiscopus, salutem et benedictionem Dei, et suam, si quid valet, servitia, orationes in dilectione.

Magnitudinis vestrae magnae benevolentiae gratias agit cor meum quod, quantum potest. fructificat, et quod non potest desiderare non cessat. Quod qui inspirat, ipse retribuat. Quippe quam pium, quam dulcem affectum, Deo inspirante erga me geratis, in amaritudine et tristitia et sollicitudine quas ex mea absentia contrahitis, apertissime, sicut scribitis, significatis. Quae mea absentia in quantum ego et illi qui rem diligenter considerant, intelligimus, non mea culpa tandiu extenditur. Queritur pio affectu vestra excellentia quod mea intemperies tranquillitatem animi domini mei regis et procerum ejus turbaverit, et hoc desiderii vestri bonum incoeptum, ne ad finem suum perduceretur impediverit; verum in litteris nostris, in quibus illa intemperies esse dicitur, nihil indiscretum, nihil absurdum, quamvis hoc mihi regiis litteris objectum sit, esse cognoscitur, si recto intellectu et mente tranquilla quod ibi dictum est, et prohibitio quam audivi et omnes sciunt, inspicitur. Nihil enim adversus patrem regis et archiepiscopum Lanfrancum, viros magnae et religiosae famae, protuli; cum me in baptismo et in ordinationibus meis legem et consuetudines illorum non promisisse demonstravi, et legem Dei me non abnegaturum esse, significavi. Nam quod a me nunc requiritur, idcirco quia illi fecerunt, ego propter hoc quod auribus meis Romae audivi, facere nequeo absque gravissima offensione. Quam si contemnerem, utique contra legem Dei facerem. Ut ergo ostenderem quam rationabiliter recusem facere hoc quod a me requiritur,

secundum illorum consuetudinem, ostendi quomodo potius debitor sim apostolicam et ecclesiasticam cunctis notam servare constitutionem, in qua lex Dei sine dubio intelligitur, cum ad Christianae religionis firmamentum promulgatur, quanto autem periculo contemnatur, supersedeo nunc di cere; quia quotidie Christiani qui habent aures audiendi ex divinis dictis possunt cognoscere. Pravam autem illam interpretationem dictorum meorum, secundum quam absurde locutus esse dicor, non regio sensui, nec vestro imputo. Rex enim benigne sicut audivi primitus chartam nostram suscepit, sed postea nescio quis malevola et non sincera mente per pravam interpretationem illum adversum me concitavit. Quis autem ille sit, nescio; sed quia Dominum suum aut non diligit, aut diligere nescit, non dubito. Omnipotens Deus sic vos et prolem vestram in hujus vitae foveat prosperitate, ut ad futuram vos provehat felicitatem. Amen.

439 EPISTOLA XLIV. ANSELMI AD GONDULPHUM EPISCOPUM.

ANSELMUS archiepiscopus, antiquo et semper novo et vero amico, et in Deo dilecto, reverendo episcopo, GONDULFO, salutem.

Quamvis vestra constantia in bonis quae incoepistis non egeat gratiarum actionibus, frequenter sustentari tamen, ne alii aestiment me vestram benevolentiam et vestram sollicitudinem, quas in magnis laboribus pro meo commodo vos habere certum est non considerare, et sicut debeo magnis

pendere; gratias ago reverentiae vestrae corde et ore et scripto, in omnibus enim quae ad me et res nostras pertinent, intelligo vos prudenter et fortiter, quantum in vobis est, et sincera admodum dilectione loqui, sicut oportet, et facere. Certus etiam sum quia, Deo adjuvante, quandiu vivetis, vestra bona voluntas erga me sicut ex quo incoepit, non defecit, ita non deficiet. Queritur charitas vestra quia, propter contemptibilia verba unius clerici, non redii in Angliam, sed non ita est. Legite litteras quas alia vice domino priori Ernulfo de hac re misi, quas putabam vos vidisse. Ibi, ut puto, legetis rationabiles causas quare nec debui, nec debeo, secundum quod res nunc est, redire in Angliam. Quas tamen causas nolite publicare. Responsum quod rex distulit mihi dare in festo sancti Michaelis, certus sum quia dominus Everardus, vel aliquis noster nuntius ea die non potest accipere, quia non ita venit ad me ut ad illam diem possit accurrere. Si ergo vos ea die idem responsum non accipitis, precor ut aliud quanto citius et instantius potestis, requiratis, et ut regis litteris scriptum qualecunque sit, mihi mittatur, etsi nullum responsum dare, aut diutius differre voluerit, hoc ipsum sine dilatione vestris litteris mandate. Et quia hoc opportune per dominum Everardum tam cito nequit fieri, per Vulgarum servientem nostrum de Limminges, cum aliquo socio, aut aliquos alios pedites hoc facite; nequaquam enim ulterius volo dare aut accipere inducias, quin consilio Dei et Ecclesiae ejus, quod in tali re oportet facere incipiam. Confido enim in Deo cujus est causa de qua agitur, quia ad honorem ejus quandoque terminabitur, nec Ecclesia ejus semper sicut nunc tribulabitur. Nescio qui malevoli interpretati sunt ex malitia cordis sui litteras quas misi regi, quasi ego me jactem semper servasse legem Dei, et patrem ejus et archiepiscopum Lanfrancum

criminer vixisse extra legem Dei. Sed certe illi qui hoc dicunt aut nimis pravum, aut nimis parvum habent intellectum. Quaedam enim fecerunt suo tempore pater regis et archiepiscopus Lanfrancus viri maguae et religiosae famae, quae ego nequeo facere secundum Deum hoc tempore, neque sine animae meae damnatione. Benefecistis, et gratum mihi est, quia in vestris litteris totam rem aperte sicut acta erat significastis. Roberthi qui mecum est, rem et familiam, non mihi sufficit saepe vobis commendasse, sed adhuc propter magnitudinem bonae voluntatis quam erga illum habeo, commendo, et precor ut illas in pace, quantum potestis, custodiatis. Saluto vestros et nostros filios, et filias, et nominatim dominum Ernulfum capellanum vestrum. Omnipotens Deus vos semper et contemnendo ubique custodiat. Amen.

EPISTOLA XLV. ANSELMI AD ADRUINUM CHARISSIMUM.

ANSELMUS archiepiscopus, fratri et filio charissimo ADRUINO, salutem et benedictionem Dei.

Dominus sollicitus sit tui quia sollicitus es de fama mea, unde tibi gratias ago. Olim respondi tibi ad quosdam qui contra me garriunt, quidam qui malunt mentiri de me mala dicendo quam verum dicere, bona si qua sunt in me dicendo. Sed adhuc petis charitativa sollicitudine, ut respondeam illis qui dicunt se frequenter vidisse in ecclesiis ad curam meam proprie pertinentibus expulsis presbyteris, laicos altari astantes, eleemosynam colligentes, sepulturas et quaedam alia ad jus sacerdotum pertinentia audacter usurpantes; quae cum

inquireres, teste archidiacono nostro, deteriora, ut dicis, quam audivisses, invenisti. Clericos quoque Ecclesiarum audivisti dicentes se saepius privatim et publice in synodo de illis injuriis ad me clamorem fecisse, nullum auxilium accepisse. Unde dico tibi quia haec nunquam, me jubente, aut volente, aut consentiente, facta sunt. Et si inde aliquando clamorem audivi, quod nescio, nunquam sine correptione quam credidi sufficere, dimisi. Denique in Ecclesiis nostris nullatenus hoc fieri existimo; in aliorum vero Ecclesiis si fuit aliquando, aut est, penitus ignoro, et quantum de me pertinet, nec volui unquam nec volo. Quapropter mihi pro minimo est ut ab illis dijudicer qui haec adinveniunt nullo amore veritatis, sed instinctu malignitatis. Ad hoc autem quod dicis te audisse quia non magnopere curo ad vos redire, respondeo, quia postquam de Anglia exivi, nunquam intellexi quomodo rationabiliter redire possem. Et certe curam a Deo mihi injunctam contemnere, et dilectionis fratrum et filiorum mihi commissorum oblivisci nec volo nec debeo. Vale.

EPISTOLA XLVI. ANSELMI AD PASCHALEM PAPAM.

Domino et Patri PASCHALI, summo pontifici, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis debitam subjectionem cum orationibus.

Meminit, ut puto majestas vestra qualiter eam pro dilecto fratre nostro Bituriensi archiepiscopo sum precatus, et quam benigne respondit. Nunc quoque cum vobis se praesentat, eo

quo possum affectu precari praesumo, ut pietatem apostolicam se invenire gaudeat. Postquam a vestra discessi praesentia Guillelmus legatus regis Angliae, qui me consecutus est, antequam venirem Lugdunum, dixit mihi ex parte ejus quatenus taliter facerem ut possem esse in Anglia sicut fuit antecessor meus Lanfrancus cum patre ejus. In quo intellexi quia nolebat reditum meum in Angliam, nisi ejus homo fierem et jurarem ei fidelitatem, et sacrarem eos quibus ipse daret investituras Ecclesiarum. Mandavi itaque regi quia haec facere non possem, et quod vos mihi praecepistis ne communicarem cum illis qui ab eo investituras acceperant; sed si mihi liceret, servato ordine meo et vestra obedientia, in Anglia esse paratus essem Deo et illi et populo mihi commisso, secundum meum servire officium, rogavique ut super hoc voluntatis suae responsum mihi redderet; quod nondum fecit. De redditibus tamen episcopatus nostri postquam **440** Guillelmus in Angliam rediit, nihil habere potui. Epistolas quas mihi praecepistis regi et reginae ex vestra parte mittere, quia Romae dictum est Guillelmo eas mea dispositione esse compositas, et quia idem Guillelmus post illas alias editas, ut audivi, a vestra sanctitate suscepit, per me dirigi congruum non aestimavi. Certus enim sum quia si per me dirigerentur, omnino non viderentur, aut contemptui et derisui haberentur, nam, ut audio, rex dixit me solum sibi esse adversarium. De his omnibus vestrae auctoritatis exspecto consilium, paratus Deo dante pro veritate pati quod Christianum non dedeceat. Diu paternitatem vestram nobis Deus incolumem conservet. Amen.

EPISTOLA XLVII. ANSELMI AD EUMDEM.

PASCHALI Domino et Patri summo pontifici, cum amore reverendo, et cum reverentia amando, ANSELMUS Ecclesiae Cantuariensis vocatus episcopus, debitam subjectionem cum orationibus.

Quoniam causa inter regem Anglorum et me, pro qua vestram olim adii praesentiam, ex maxima parte nota est vestrae celsitudini, et quae adhuc notificanda sunt per fidelem servum vestrum charissimum fratrem nostrum Baldewinum latorem praesentium possunt intimari, non est mihi necesse inscribenda illa immorari. Eumdem autem fratrem, rerum mearum consilium et libertatis Ecclesiae Dei amatorem ad vestra vestigia tanquam meipsum mitto et ei vicem meam in audiendo et dicendo committo. Hoc tantum scribo quia propter vestram et antecessorum vestrorum obedientiam et libertatem Ecclesiae quas abnegare nolo, exsul sum ab episcopatu, atque rebus omnibus spoliatus. In qua re nec nostra prece nec consilio vestra eget prudentia. Omnipotens Deus diu vestram sanctitatem nobis in prosperitate conservet incolumem. Amen.

EPISTOLA XLVIII. ANSELMI AD JOANNEM TUSCULANENSEM ET JOANNEM CARDINALEM.

Dominis reverendis et amicis charissimis, JOANNI episcopo Tusculanensi, et JOANNI cardinali, ANSELMUS vocatus

episcopus Cantuariensis, quod fidelis amicus amicis, in quibus confidit.

Dominum Baldewinum fratrem et filium nostrum charissimum, vere dilectorem vestrum mitto ad vestigia domini papae, pro causa quae inter regem Anglorum et me, imo inter illum et libertatem Ecclesiae Dei pro qua sum exsul ab episcopatu et rebus ejus omnibus spoliatus. Precor igitur sanctitatem vestram ut ei omnibus apud dominum papam pro ea causa, sicut amatores veritatis et praefatae libertatis, assistatis, et me ne unquam religionis ecclesiasticae et apostolicae auctoritatis constantia aliquatenus per me aut propter me debilitetur, defendatis. Malo enim mori, et quandiu vivam omni penuria in exsilio gravari quam ut videam honestatem Ecclesiae Dei, causa mei aut meo exemplo, ullo modo violari. Valete.

EPISTOLA XLIX. ANSELMI AD PASCHALEM PAPAM.

PASCHALI summo pontifici, cum reverentia diligendo, et cum dilectione reverendo, ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis : cum debita subjectione fideles orationes.

De ea quae inter Carnotensem Ecclesiam et comitissam Carnotensem, unde vestrae celsitudini Romae locutus sum, vestra prudentia non eget nostro consilio; sed rei necessitas nostra et omnium pacem et utilitatem ejusdem Ecclesiae amantium, precem ac vestram pietatem expostulat, quantum

intelligo, quatenus quod a clericis in grave scandalum factum esse cognoscitur, apostolicae sapientiae discretione ad pacem revocetur. Quam intolerabile namque malum inde nisi correctum fuerit, eventurum sit, ex his cognoscere poteritis, quae a latoribus praesentium rem ipsam cognoscentibus audietis. Quod autem eadem comitissa super principes Galliae vestros legatos honoret, sic notum esse vestrae sanctitati existimo, ut nostra intimatione non egeat. Quapropter si humilitatis meae preces ad aures tantae celsitudinis valent assurgere, rogo quantum possum ut tam noxiae discordiae concordem finem placeat vobis sicut res exigit, et vos decet, imponere. Pariter enim vestrum esse cognoscitur et quae in Ecclesia Dei utiliter statuunt confirmare, et quae pacem et charitatem dissipant, quantum possibile est, emendare. Omnipotens Deus paternitatem vestram diu nobis incolumem in sua gratia conservet. Amen.

EPISTOLA L. PHILIPPUS REX FRANCORUM AD ANSELMUM.

PHILIPPUS, Dei gratia, Francorum rex, ANSELMO, Cantuariensium venerabili archiepiscopo, salutem.

Quoniam, pastor reverende, audivi vos injuste praegravari, latere nolo vos me vehementer contristari. Et si nostro quolibet auxilio vestra potuisset inhiberi oppressio, in hoc operam dare non differremus. Caeterum quia in loco corporeae sanitati contrario exsulatis, rogamus vos quatenus Galliam nostram vestro adventu visitare dignemini, ibique

affectum mentis meae experiemini, et vestrae consuletis sanitati. Valete.

EPISTOLA LI. LUDOVICUS REX FRANCORUM AD ANSELMUM.

ANSELMO archiepiscopo Cantuariae venerabili, LUDOVICUS Francorum rex designat salutem.

Vestrae, pater sanctissime, compatior afflictioni, a qua si quo modo per officium potuissetis exonerari, ad reformandam pristinam tranquillitatem, cura propensiore eniterer. Verumtamen pectori nostro dolor altius infigitur, quoniam sapientia quae in vobis est, tam remote a partibus nostris peregrinatur. Accedit et hoc ad cumulum vestrae exterminationis quod loca aegritudini potius quam sanitati facientia ad inhabitandum praeelegistis, vitamque vestram toti mundo conservandam retinere parvipenditis. Rogamus itaque vos ut ad partes nostras venire dignemini, et si inibi **441** vobis inhabitare jucundum videbitur, mitius exsilium patiemini. Valete.

EPISTOLA LII. ANSELMI AD NEPOTEM SUUM.

ANSELMUS archiepiscopus, nepoti suo charissimo, salutem et benedictionem.

Non ego apud te commendare dilectionem meam et curam pro te, quia ipsa natura persuadet tibi pro me. Te hortor, te moneo, tibi praecipio ut bonis moribus et scientiae studeas, et ut ad meliora post gratiam Dei, quantum in te est proficias, et ibi ubi es, donec Deo disponente aliter de te ordinem, permaneas. Magistrum tuum domnum Gualterum, de quo domnum priorem in litteris quas illi mitto rogavi, et domnum Theodorum socium tuum ex nostra parte benigne saluta. «Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus **(Psal. CXX. 7).**» Salutat te multum domnus Eadmerus, qui vere in quantum intelligo, sincero amore diligit te. Vale.

EPISTOLA LIII. ANSELMI AD G. CANONICUM SANCTI QUINTINI.

ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis dilecto fratri et amico G. canonico Sancti Quintini, salutem, et Dei semper regi consilio.

Sicut audio, confratres vestri Belvacenses canonici ecclesiae Sancti Quintini, non temere sed ob multas rationes, domnum O. qui modo vester abbas dicitur, volunt ab hac praelatione removere, et vestram fraternitatem loco ejus substituere, sed timent ne vestra religio propter amorem quietis quam nunc habetis, non velit intentioni eorum facile consentire. Quoniam ergo sciunt vos humanitatem meam diligere; et sperant vos plus meo quam quorumdam consilio credere, rogant me quid

inde sentiam, vestrae charitati ostendere. Utique si in corpore Christi invicem sumus alter alterius membra, et maxime in una religiosarum personarum Ecclesia; qui non permittat nec vult ut alia membra et totum corpus se utantur ut suo membro, non video quomodo possit se probare membrum illius corporis, et si corpus illud est corpus Christi. Quomodo se ostendat esse membrum Christi. Est et aliud, quia nemo, si recte se tractat, sibi soli vult vivere; sed sicut desiderat et credit quia si membrum Dei est, omnia commoda aliorum membrorum sua erunt in futura vita, ita debet velle ut si quid boni est in se, aliorum sit in praesenti vita. Consulo igitur, quantum in me est, et precor, frater et amice charissime, ut si tota vestra congregatio vel melior pars, consilio reverendorum episcoporum Carnotensis et Parisiensis qui Patres vestri fuerunt et vos nutrierunt, vos instanter elegerit ad hoc quod supra dixi, ne omnino refugiatis neque impersuabiles existatis. Utilius enim vobis esse existimo si quietem contemplationis per amorem servatis in mente, et obedientiam fraternae charitatis in opere quam si solam contemplationem aliorum contemnendo preces et utilitatem velitis eligere. Valete.

EPISTOLA LIV. ANSELMI AD MATHILDEM REGINAM ANGLORUM.

MATHILDI gloriosae reginae Anglorum, ANSELMUS archiepiscopus Cantuariae, benedictionem Dei et fidele servitium cum orationibus.

Breviter, sed ex corde loquar, sicut illi personae quam de regno terreno ad regnum coeleste provehi desidero. Cum audio aliquid de vobis quod Deo non placet et vobis non expedit, si vos monere negligo, nec Deum timeo, nec vos diligo sicut debeo. Postquam exivi de Anglia, didici quia Ecclesias quae in manu vestra sunt aliter tractatis quam illis expediat et animae vestrae. Quod dicere nunc nolo qualiter facitis, secundum quod mihi relatum est, quia nulli melius quam vobis notum est. Precor igitur ut dominam, consulo ut reginae, moneo ut filiam, quod etiam olim feci, ut Ecclesiae Dei quae sunt in vestra potestate vos cognoscant ut matrem, ut nutricem, ut benignam dominam et reginam. Et non solum de illis hoc dico, sed de omnibus Ecclesiis Angliae ad quas vestrum extendi potest auxilium. Qui enim dicit quia unusquisque recipiet prout gessit in corpore sive bonum sive malum **(II Cor. V, 10),** nullam excipit personam. Iterum rogo et consulo et moneo, domina et filia charissima, ut haec non negligenter mente pertractetis, et si quid vobis conscientia vestra in his corrigendum testabitur, corrigere festinetis, quatenus de futuro Deum quantum vobis per ejus gratiam possibile est non offendatis, et de praeterito si cognoscitis vos deliquisse, placabilem eum vobis reddatis. Non enim alicui sufficit pro certo a malo desistere, nisi curet, si potest pro commissis satisfacere. Omnipotens Deus sic vos semper dirigat, ut vobis vitam aeternam retribuat.

EPISTOLA LV. ANSELMI AD PRIOREM ET FRATRES ECCLESIAE CANTUARIAE.

ANSELMUS archiepiscopus, domno priori, et fratribus in Ecclesia Christi Cantuariae sub eo conversantibus, salutem, et benedictionem a Deo et peccatorum absolutionem.

Quaerit vestra fraternitas a me consilium de sua tribulatione, et nominatim de pecuniae, quae a rege vobis fit, exactione. Vos scitis quomodo ipse me spoliavit rebus archiepiscopatus. Nullatenus igitur per me aliquid habebit de tota pecunia totius archiepiscopatus, nisi prius me canonice revestierit, et ea quae abstulit mihi reddiderit, neque vos sponte illi sine mea jussione pecuniam dare debetis. Si autem ipse aut timore ne vobis pejus faciat, aut ulla necessitate vos eam dare coegerit, pariter et de iis quae abstulit, et de iis quae auferet mihi vel vobis, quia vestra mea sunt, ad Deum clamabo et judicium ejus invocabo. Non vos nimis terreant neque perturbent praesentes tribulationes, quia fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra quam ferre potestis **(I Cor. X, 13).** «Confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus **(Ephes. VI, 10.**» Finem dabit Deus his malis, qui non derelinquit sperantes in se. Domnus Baldewinus Roma rediens hoc retulit a domino papa, quia in concilio quod in proxima Quadragesima celebraturus est de nostro negotio faciet quod ab ejusdem concilii accipiet consilio; et hoc ipsum regi mandavit. Precor vos ut faciatis mihi scribi librum *Cur* **442** *Deus homo, et de conceptu virginali,* in uno volumine, quia volo eos mittere domino papae, et precor ut talis eos scribat, qui aperte et distincte scribat. Valete. Et quam citius opportune poteritis, haec facite, et mihi mittite.

EPISTOLA LVI. MATHILDIS MARCISAE AD PASCHALEM II PAPAM.

Sanctissimo et venerabili in Christo Patri ac domino PASCHALI, primae sedis antistiti, MATHILDIS marcisa, Dei gratia, si quid est, tam debitum quam fidele totius subjectionis obsequium.

Inter alia ex quibus paternitatem vestram rogare praesumimus, etc. *Vide inter epistolas Paschalis II, ad ann.* 1118.

EPISTOLA LVII. ANSELMI AD HAIMONEM VICECOMITEM.

ANSELMUS archiepiscopus, HAIMONI vicecomiti amico suo, salutem et benedictionem.

Olim mandavi vobis et precatus sum sicut amicum fidelem meum et Ecclesiae nostrae, quatenus mercatum quod de terra nostra mutavistis, ita restitueretis sicut erat quando de Anglia exivi; et teloneum quod accepistis in Fordwick de nostris rebus mihi redderetis, quia nusquam in tota Anglia res nostrae Dominicae debent subjacere hujusmodi exactionibus, et maxime inter propriam parochiam archiepiscopatus nostri : et adhuc sicut audio neutrum fecistis. Insuper postquam res nostrae quietae debuerunt esse usque ad reditum meum ex praecepto regis, homines vestri fregerunt domum nostram in

Sandwik, et pisces nostros violenter abstulerunt, et in civitate Cantuaria aliam domum nostram in terra nostra fregerunt, et quod intus erat abstraxerunt. Rogo igitur vos, sicut amicum in quo debeo confidere, ut et nostra quae sicut dixi ablata sunt mihi restituatis, et ne me facere clamorem ad alium cogatis. Non solum enim mihi et Ecclesiae nostrae ex vestra parte injuriae non debent evenire, sed etiam aliunde venientes sicut scitis, cum potestis, debetis repellere. Valete.

EPISTOLA LVIII. ANSELMI AD ERNULFUM PRIOREM.

ANSELMUS archiepiscopus Reverendo fratri, et supra dilectione amando, domno priori ERNULFO, salutem et benedictionem Dei, et suam quantum potest.

Miseriis et tribulationibus non solum vestris, sed et totius Angliae, quas fama volante multis modis cognosco, meum est secundum praesentem divinam dispositionem solum compati, et solius Dei est subvenire. De his quae erga me sunt, non aliud ad praesens vobis possum scribere quam quod per Odonem Londoniensem vobis mandavi, et quod latori praesentium viva voce referendum dimisi. Malum quod Guillelmus facit de Einesford, certus sum quia si ipse non faceret, ab alio fieret, et forsitan gravius. Exemplaria epistolarum quas misi (de his quatuor mihi notitiam litteris fecistis) vobis mitto. Fratres nostros quos per me Deus vestrae mandavit curae, sicut scitis oportere et ad me pertinere, pio et benigno affectu salutate, et secundum

sapientiam a Deo vobis datam consolamini et confortate. Et quia non ipsi sunt primi servi Dei, nec soli nec ultimi quos mundi tribulatio premit; ut exemplo aliorum patientiam amplectantur frequenter intimate. Adolescentibus et infantibus singulis, familiariter affectum dilectionis meae, quam illis solebam ostendere, et quam adhuc servo, commendate; ut memores sint monitionis meae, obsecrando dulciter rogate. Latori praesentium, quia saepe et multum pro legationibus nostris laboravit, benefacietis si paupertatem ejus aliquantulum saltem de veteribus vestibus mitigaveritis, aut alio aliquo modo. Valete.

EPISTOLA LIX. ANSELMI AD GUILLELMUM CALVELLUM.

ANSELMUS archiepiscopus, GUILLELMO CALVELLO, salutem et benedictionem.

Adhuc te saluto sicut amicum et filium, donec cognoscam an sit pura et sincera amicitia tua, an non. Hactenus enim sic te habuisti erga Ecclesiam nostram et me, ut gratiam Dei inde mereri videreris, et nostram amicitiam haberes. Sed nunc audio quia mercatum nostrum de terra nostra transtulisti, et mihi et Ecclesiae Christi matri tuae abstulisti. Omnia ejusdem Ecclesiae sunt; et quae Ecclesiae sunt, mea sunt. Moneo igitur te et precor sicut amicus amicum, et sicut episcopus Christianum filium, quatenus restituas terrae nostrae mercatum suum, sicut erat quando de Anglia exivi, si non vis iram Dei incurrere; et amicitiam meam, et totius Ecclesiae,

quam hactenus habuisti perdere; et gravissimae excommunicationi, cum his quorum hoc agis consilio et auxilio, subjacere. Vale. Et consulo ut quod tibi amabiliter mando, amicabiliter facias et sine excommunicatione.

443 EPISTOLA LX. ANSELMI AD GUILLELMUM ARCHIDIACONUM.

ANSELMUS archiepiscopus, GUILLELMO archidiacono, salutem et benedictionem.

Bona quae facitis amo et laudo; si quid vero vos agere audio quod vos non deceat, hoc vobis tacere non debeo. Puto quia meministis quam gravem et quam districtam causam olim inter me et vos constituit familiaritas et conversatio Petri et Salomonis, quam vobiscum habuerunt, postquam mihi et Ecclesiae nostrae, quantum in ipsis fuit, conati sunt facere contumeliam et ignominiam, cui parem nunquam ab homine ullo sustinuimus. Nunc utique audio quia in domo vestra familiariter vobiscum conversantur et vestris beneficiis aluntur, qui veluti de efficacia suae voluntatis exsultantes et eidem Ecclesiae insultantes, ejus aspectibus se quotidie de domo vestra ingerunt ad commemorationem illatae injuriae. Quod quale et qualiter pensandum sit, prudentia vestra non solum per se cognoscere, sed etiam ex supradicta causa, quae inter me et vos fuit, et adhuc scripta apud vos servatur, potest conjectare. Quid autem inde vobis faciendum sit, fidelem sapientiam vestram consulite. Valete.

EPISTOLA LXI. ANSELMI AD GUNDULFUM EPISCOPUM.

ANSELMUS archiepiscopus, vero amico reverendo episcopo GUNDULFO, salutem.

De iis quae erga me sunt non aliud ad praesens possum scribere quam quod per Odonem Londoniensem reverentiae vestrae mandavi, et quod latori praesentium viva voce referendum intimavi. Audio quod Guillelmus filius Rodulfi exigit a priore domno Ernulfo nummos, quos presbyteri solent dare eo tempore quo chrisma accipiunt, quia jam expensi sunt in opus monasterii, et eos qui adhuc dandi sunt, nisi cognoverit me eos in hoc opus concedere. Sciat igitur sanctitas vestra et de hoc dicite Guillelmo quia, quantum in me est, et hos concedo, et si plus possem concederem. Relatum mihi est quia Guillelmus Calvellus mercatum de terra nostra, ubi solet esse, transtulit, et mihi et Ecclesiae nostrae abstulit. Unde illum monui ut quod male egit sine dilatione corrigat, per epistolam, quam petite ab eo ut vobis ostendat. De qua re mando ut vicecomitem ex nostra parte cum uxore sua filia nostra salutando conveniatis, atque, ne hanc nobis injuriam fieri, sicut in illo confidere debemus, permittat, rogando moneatis. Quamvis enim ad praesens violenta mihi fiat injustitia, non tamen judicio Dei mea, quam ipse aliquando requiret, perit justitia. Monete quoque eum ut audiat litteras quas de hac re misi Calvello. Valete.

EPISTOLA LXII. PASCHALIS PAPAE AD ROBERTUM COMITEM DE MELLENTO.

PASCHALIS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio ROBERTO, comiti de Mellento, salutem et apostolicam benedictionem.

Nos te in familiaritatem ascivimus, etc. *Vide in Paschali II.*

EPISTOLA LXIII HENRICI REGIS ANGLORUM AD ANSELMUM.

HENRICUS, rex Anglorum, ANSELMO, Cantuariensi archiepiscopo et dilectissimo Patri, salutem.

Notum vobis facio me Guillelmum de Warelwast a festivitate sancti Michaelis ad vos misisse; et illinc Romam pro negotio nostro, quod erga Romanam sedem ad invicem ego et vos locuti sumus, nisi procella maris et aestus et ventus contrarius eum detinuisset. Teste Waldrico cancellario apud Wicecombam.

EPISTOLA LXIV. AD EUMDEM.

HENRICUS, rex Anglorum, ANSELMO, archiepiscopo Cantuariensi, salutem et amicitiam.

Mando vobis sicut charissimo Patri meo, ut Baldevuino monacho praecipias quatenus ipse cum Guillelmo de Warelwast Romam in negotium eat, ut per utrumque firma dilectio et pax inter nos fiat. Teste Waldrico cancellario et Roberto comite de Mellento et Eudone dapifero apud Pontefactum.

EPISTOLA LXV. ANSELMI AD GERARDUM EBORACENSEM.

ANSELMUS archiepiscopus, reverendo archiepiscopo GERARDO Eboracensi, salutem.

Charitati vestrae pro tribulationibus quas passa est, postquam de Anglia exivi, quamvis opere nequeam ad praesens exhibere consolationem, mente tamen debitam gero compassionem. Quod autem et verbis per multos et vestris litteris vestram voluntatem zelo Dei accendi contra mala quae in Ecclesia Dei fervent et pullulant, intelligo, sicut in adversitate condoleo, ita in virtute congaudeo. Precor itaque et moneo ut bono proposito non desit constantia, neque usque ad perfectionem pertingens perseverantia. Ad quid enim sumus episcopi super Dei populum constituti, si quasi canes non valentes latrare, permanemus muti? Spero in Deo quia dominus noster rex, sicut ipse mihi Deo inspirante promittit, ad omne bonum nobis bonus adjutor accedet; neque si Deus concordiam incoeptam

inter illum et me dignabitur perficere, aliquatenus a consilio nostro in iis quae ad nostrum Ordinem pertinent, recedet. Quapropter de nostro negotio impraesentiarum nihil aliud faciam, donec apostolicam in proximo cognoscam sententiam. Valete.

444 EPISTOLA LXVI ANSELMI AD ERNULFUM PRIOREM ET FILIOS ECCLESIAE CANTUARIENSIS.

ANSELMUS archiepiscopus, domino priori ERNULFO, et fratribus dilectissimis filiis Ecclesiae Christi Cantuariensis, salutem et benedictionem.

Pro causa quae est inter dominum regem et me, jam ipse rex suos et ego meos legatos Romam misimus. Mando itaque vobis et precor vos ut instanter Deum oretis, quatenus ipse talem concordiam inter dominum papam et regem ponat, ut ego salva reverentia voluntatis ejus possim utrique concordare. Si vobiscum est, gaudeo, et ut sit multum desidero. Quam citius igitur opportune potestis, mando ut mihi esse vestrum quale sit litteris vestris insinuetis. Omnipotens Deus vos custodiat, et in sancto proposito perseverabiles faciat, atque ab omnibus peccatis propitiatus absolvat. Amen.

EPISTOLA LXVII. HENRICI REGIS ANGLORUM AD ANSELMUM.

HENRICUS Dei gratia rex Anglorum, ANSELMO Cantuariensi archiepiscopo, dilecto Patri suo, salutem et dilectionem.

Plurium relatione didicimus, et maxime per Robertum clericum cancellarii mei, rumores de apostolico, quorum, si ita res habet ut fama ventilat, doleo. Et quoniam processu dierum exsurgit crebrior, timeo ne sit verior. Dicunt enim Romae, quod absit! duos esse apostolicos, et ad invicem bellicosam se ditionem inter se obtinere. Unde te tuamque sanctitatem consulo ut mihi tibique provideas, cui major pars hujus adhaeret negotii, quid agendum sit de legatis nostris in hujus procella temporis. Quod si tibi videatur utile eos retinere usque in tempus congruum, tunc retine Guillelmum, et mitte mihi citissime Baldevuinum de Tornaco, monachum tuum, per quem tibi familiarius assignem de secretis nostris et per eumdem mihi enuntia quid in hac re mihi tenendum sit et agendum; si vero tibi placet eos ire, et tuum sit consilium, eant, et si ipsi ierint, mihi mitte citissime unum de familiaribus tuis, per quem nostra consilia et negotia alterius alteri ad invicem familiariter assignemus. Teste Roberto episcopo Lincolniae, et Roberto comite de Mellento.

EPISTOLA LXVIII. GUILLELMI AD ANSELMUM.

Domino, et omnium amicorum suorum excellentissimo ANSELMO, unus ex servis suis, et utinam minimus servorum Dei, GUILLELMUS, optatae salutis gaudium.

Non est nostrum de meritis sanctorum virorum extollere, nec laudes eorum atterere, sed Deus qui gloriatur in sanctis suis et cui omne cor patet, novit quanta sit devotio humilitatis nostrae in Deum, quantave animi affectione diligo bonum vestrum. Nec immerito. Non est enim mihi incognitum si quid foret in me vel minimum, quam nimio zelo amplecteremini bonum meum. Sed quoniam de meritorum meorum qualitate diffido, immundi etenim hominis immunda est oratio, genibus ac pedibus vestris quasi advolutus, quam obnoxius possum vos deprecor, si unquam de me gaudere volueritis, orate attentius pro fratre meo Gaufrido. Scio enim per Dei misericordiam illum adepturum remissionem peccatorum quandoque, si ex toto pro eo ad Dominum clamaveritis. Nec id dico sine causa; sed interim sufficiat vobis quod praemissum est, donec conveniamus in unum. Plura etenim de hoc et de aliis quae vellem dicere vobis, supersedeo, quia omnia tempora sua habent; sed quoniam videtis in naufragio fratris me miserabiliter naufragantem, orationum vestrarum tabula sustinete periclitantem, ut qui diu culpis nostris exigentibus naufragium sustinuimus, quandoque vestris precibus portum salutis ingredi tenere mereamur.

EPISTOLA LXIX. ANSELMI AD ODONEM EPISCOPUM.

Reverendo et domino dilectissimo, episcopo ODONI, frater ANSELMUS, sic transire per bona temporalia, ut habitet in aeternis.

Litteras quas paterna vestra celsitudo pro suo fideli Osberno defuncto mihi et fratribus nostris misit, humili obedientia, et obedienti humilitate suscepimus. Nihil enim petitioni vestrae decrevimus denegare; sed in quibuscunque dilectissimo domino et dilectissimo Patri obediendum est, jussioni vestrae statuimus obtemperare. Cum enim vos hoc meruisse dilectionis et beneficiorum pretio cognoscamus, nimis nos arguendos ostendimus, si nos obedienter subjicere voluntati vestrae recusamus. In quibus litteris illud quidem gratissimum accepi, quod ibi certitudinem de mutua dilectione vestrae magnitudinis et meae parvitatis legi. Nam quamvis conscientia propria et experimento jam doctus hinc non possum dubitare, dulcis tamen honor et honorabilis dulcedo mihi est, cum tantus tantillo hoc dignatur mandare.

EPISTOLA LXX. ANSELMI AD THEODORICUM.

ANSELMUS archiepiscopus, THEODORICO filio charissimo, salutem et benedictionem Dei.

Dulcia sunt mihi verba epistolae tuae, quia dulcis est mihi affectus dilectae mihi animae tuae, ad quod demonstrandum non opus est immorari, quia certus sum quod cor meum erga te novit conscientia tua. Litteras quas quaeris regis ad papam

non tibi mitto, quia non intelligo utile esse si serventur. Si quid aliud juvante Deo scripsero, suo tempore monstrabitur. Quod autem in libris quos scripsisti, corrigis; fac ut si qui ex illis transcripti sunt, in illis quoque corrigatur. Desideras tu praesentiam meam; ostendat tibi Deus praesentiam suam, et interim habitet in te per gratiam suam. Amen.

EPISTOLA LXXI. ANSELMI AD GUNDULFUM EPISCOPUM.

ANSELMUS archiepiscopus, reverendo episcopo GUNDULFO, salutem.

Precatus sum domnum priorem, et archidiaconum nostrum quanto affectu possum, ut hujus Roberti curam habeant, ne ullam duram patiatur indigentiam in victu vel vestitu; quo de perfidia ad verae **445** fidei misericordiam et pietatem conversus est. Rogo itaque ut litteras quas illis misi legatis, et si illi aliquando quod illis mando, facere neglexerint, quod non credo, vos ex nostris rebus, pia hilaritate huic quod illi deerit suppleatis

EPISTOLA LXXII. ANSELMI AD GUIDONEM.

ANSELMUS archiepiscopus, dilecto filio suo, GUIDONI, salutem et benedictionem Dei.

Audio quod in pace et tranquillitate conversaris in claustro et sollicitus es circa servitium Dei et salutem animae tuae, et inde gaudeo valde. Moneo itaque te, charissime, licet opus non sit, quatenus mundum et ea quae mundi sunt ab animo tuo procul abjicias, nec te ad amorem ejus ullatenus flectas. Deum ama eique sollicite servi, quia per gratiam ejus nunquam tantam opportunitatem habuisti, sicut modo habes ei serviendi. Petis absolutionem meam, quam ego mitto tibi.

EPISTOLA LXXIII. ANSELMI AD PASCHALEM PAPAM.

Domino et Patri cum reverentia diligendo, et cum dilectione reverendo, PASCHALI summo pontifici, ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, debitam subjectionem, cum fideli servitio et orationibus.

De causa inter regem Angliae et me quid nuper factum sit, breviter celsitudini vestrae scribo, quia legato ejus et nostro hoc plenius exponendum relinquo. Postquam auctoritas vestra comiti de Mellento et aliis impedientibus apud regem jussionem vestram, introitum Ecclesiae prohibuit, appropinquavi Northmanniae, et factum est per comitissam Carnotensem sororem regis fidelissimam filiam Ecclesiae Dei et vestris praeceptis obedientem, ut ad colloquendum rex et ego cum quadam spe boni eventus conveniremus. Ubi me de archiepiscopatu, unde me spoliaverat revestivit. Et de his in quibus dissentiebamus, scilicet de investituris Ecclesiarum et

hominiis praelatorum, de quibus simul et similem in Romano concilio audivi prohibitionem, se apostolicam sedem per legatum suum ante proximam Nativitatem Domini requisiturum constituit. Non autem intellexi me debere aut legationem ejus prohibere, aut revestituram meam respuere. Quid vero ipse de praedictis rebus concedat, vel quid postulet, per eumdem legatum sanctitas vestra cognoscet. Et quoniam totius causae finis de vestro pendet arbitrio, misi simul legatum nostrum, ut cognoscam quomodo vobis et regi conveniat, et quid mihi jussio vestra praecipiat. Comiti de Mellento per auctoritatem chartae vestrae quam illi direxistis, in qua legi quia si vobis obediret, gratiam vestram obtineret, concessi introitum Ecclesiae, quoniam promisit se conaturum ut rex jussionibus vestris ad ubertatem Ecclesiae obtemperet. De aliis autem de quibus auctoritatem vestram per legatos requiro, ejus responsionem, si placet, per eosdem efflagito. Pro reverendo Patre meo archiepiscopo Rothomagensi ad vestra supplex mente me prosterno vestigia, quatenus secundum quod per ejus legatos cognoscetis, supplicationem et humilitatem, Ecclesiae suae necessitatem, apostolicae misericordiae illi impendatis benignitatem. Omnipotens Deus in omni prosperitate vestram diu Ecclesiae suae conservet incolumitatem. Amen.

EPISTOLA LXXIV. MATHILDIS ANGLORUM REGINAE AD ANSELMUM.

Dilectissimo domino suo et Patri, ANSELMO Cantuariensi archiepiscopo, MATHILDIS Anglorum regina, salutem continuam cum dilectione, et servitium fidele.

Non ignoret, charissime Pater, vestrae sanctitatis consolatrix dilectio animam meam vestra tam longa, tam taediosa absentia graviter fore turbatam. Vestri etenim reditus optati terminus, quanto celerior et propinquior a pluribus mihi promittitur, tanto magis a me vestra frui optante praesentia et locutione desideratur. Nullo itaque, reverendissime domine, perfecto gaudio anima mea laetificabitur, nulla vera dilectione exhilarabitur, quousque vestram, quam totis mentis meae viribus desidero, praesentiam revidere gaudenter valeam. Vestrae siquidem benignitatis mellifluam exoro dulcedinem, ut interim me absentem vestrae amoenitate correptionis et litterarum vestrarum dulcedine consolari et laetificare dignemini. Omnipotens et pius Dominus vos ubique conservet, et de reditu vestro me ad praesens laetificet. Amen.

EPISTOLA LXXV. HENRICI REGIS ANGLORUM AD ANSELMUM.

HENRICUS, Dei gratia, rex Anglorum, ANSELMO Cantuariensi archiepiscopo, charissimo Patri suo, salutem et amicitiam.

Sciat vestra benigna paternitas quia debeo et nimium intra me contristor prae dolore corporis vestri et infirmitate. Et scitote quia nisi vos operiebar, jam fuissem in Northmannia.

Gauderem enim si prius vos reperissem, quam a regione mea recessissem; nunc autem precor vos, sicut patrem filius, ut paulisper plus indulgeatis naturae corporeae vestrae, et ne ita affligatis corpus vestrum. Volo autem et praecipio ut ubique per omnes possessiones meas Northmanniae imperetis sicut per vestras Dominicas, et gaudebit cor meum si hoc ipsum feceritis. Nunc vero operi me in Northmannia Ego enim noviter transibo. Teste Walderico apud Windeles horas.

EPISTOLA LXXVI. MATHILDIS REGINAE AD ANSELMUM.

Domino suo, et Patri charissimo ANSELMO archiepiscopo, MATHILDIS Anglorum regina, salutis bonae valetudinem.

Exsultationis opinatae jucunditas vestrae mihi nuper spondens sanctitatis adventum, quanto mihi gaudii solatiique plus collatura fuit, tanto majus praepediente valetudine, desolati moeroris incommodum contulit. Praecognitum igitur mihi vestrae paternitatis affectum miserabili lacrymatione exoratum venio, ut si cura mei apud vos penitus non eviluit, anxietatem sollicitudinis meae de vestra valetudine quolibet internuntio quantocius securam reddatis. Aut enim indilate de vestra eadem quidem et mea salute gaudebo; aut, quod Dei avertat miseratio! communis casus allisionem indifferenter subibo. Convalere vos faciat piissima Dei omnipotentia. Amen.

446 EPISTOLA LXXVII. HENRICI REGIS ANGLORUM AD ANSELMUM.

HENRICUS rex Anglorum, dilecto Patri suo ANSELMO Cantuariensi archiepiscopo, salutem et filii dilectionem.

Noscat, reverende Pater, discretio sanctitatis vestrae, quia frater meus comes Robertus ad me venit in Angliam et benigne recessit. Me autem scitote, in die Ascensionis Domini, esse ad mare paratum transire. Et cum transiero, per vos et consilium vestrum, ea quae agenda erunt, agam. Interim autem si Guillelmus de Warelvast caeterique legati nostri Roma redierint, in arbitrio voluntatis vestrae sit, utrum ad me transeant in Angliam, antequam transeam, an vobiscum remaneant, donec ipsi vobiscum mecum loquantur. Teste W. cancell. apud Northamptonem.

EPISTOLA LXXVIII. ANSELMI AD ELFERUM PRIOREM ET MONACHOS S. EDMUNDI.

ANSELMUS archiepiscopus, dilectis filiis et fratribus, ELFERO priori, et aliis in coenobio Sancti Edmundi Deo famulantibus, salutem et benedictionem Dei et suam.

Quod hactenus me substraxi a communione domini Roberti, feci propter praeceptum et obedientiam domini papae. Nunc autem jubente eodem domino papa, ea ratione qua ipse mihi

praecedit, eum in pacem et communionem suscepi, et vobis mando atque praecipio ut ipsi deinceps in omnibus obedientes sitis, et ei confessionem et alia quae debent monachi abbati, faciatis, nec ab eis desistatis, nisi ego in futuro inde aliud praecipiam. Rogo autem vos, et, modis quibus possum, hortor et moneo quatenus solliciti sitis circa observantiam ordinis vestri, ut nihil de vobis audiatur nisi quod decet audiri de bonis monachis et veris servis Dei. Amen

EPISTOLA LXXIX. HUGONIS CLUNIACENSIS ABBATIS AD ANSELMUM.

Reverendissimo Patri, et dulcissimo amico ANSELMO Cantuariensi archiepiscopo, suisque omnibus, frater HUGO peccator, Cluniacensis abbas, salutem et sine fine gaudium.

Quoniam noveramus quanta inter vos et dominum Hugonem Lugdunensem archiepiscopum, Deo volente, exstiterat familiaritas, dignum duximus vobis significare ejusdem obitum, nobis et omnibus bonis viris gravem et irrecuperabiliter dolendum, quatenus et per vos et per vestros, veram quam vivens exhibuit dilectionem, nunc ei defuncto repensare satagatis. Obiit enim in pace Nonis Octobris apud Seusiam, dum iret ad apostolicae vocationis concilium, sepultusque est ibidem satis honeste in abbatia Sancti Justi. Vestram autem reverentiam plenius noscere desideramus, vestraeque prosperitatis nuntio abundantius laetificari, cum

sese tempus locusque opportunus extulerit. Christus Jesus, Pontifex summus, in omnibus operetur vobiscum.

EPISTOLA LXXX. HUGONIS AD EUMDEM.

Amantissimo atque glorioso Patri, domino ANSELMO, venerabili Cantuariensium archiepiscopo, frater HUGO peccator, Cluniacensis abbas, salutem mentis et corporis in Christo, et sine fine gaudium.

Postquam a nobis discessistis, vir Deo dilecte, nequivimus percipere quid acciderit sanctitati vestrae; hoc tamen de Dei misericordia speramus, quia ubicunque vestra religio fuerit, divinum auxilium praesto habuerit. Quis enim unquam tam inhumanus fuerit, qui postquam expertus fuerit dulcedinem vestri colloquii, vos non recipiat et veneretur quasi angelum Dei? Unde nos, licet satis indigni, divinam imploramus clementiam, ut qui vobis tantam gratiam contulit in terris, ipse vobis concedere dignetur aeternam gloriam in coelis. Et nunc, Pater, direximus ad terras illas filios nostros, vestros vero servos et fideles amicos, pro monasterii nostri communi negotio. Quos vestrae sanctitati commendantes volumus ut quod in regionibus illis acturi sunt, vestro exsequantur consilio, vestroque muniantur auxilio. De causa filii nostri domini Theardi, praecipue petimus ut quia dominus papa de ministerio ejus omnem in vestro arbitrio posuit dispositionem, vosque ei dum adhuc esset in clericali habitu sicut ab ipso didicimus, concessistis totius ministerii sui facultatem, nunc

nobis cum Deo miserante ad principalem reductus estis dignitatem, per litteras scribere quidquid ei mandaturi sumus non dedignemini. Gaudeat per longum sanctitas vestra memor nostri.

EPISTOLA LXXXI. ANSELMI AD HUGONEM COMITEM.

ANSELMUS archiepiscopus, domino et amico charissimo HUGONI comiti, salutem et benedictionem Dei et suam.

Lator praesentium, monachus Cluniacensis, quaeritur quod vos cepistis et in captione tenetis quemdam monachum Cluniacensem, et alium noviter monachum factum, atque defunctum, ab hominibus vestris sublatum, et ubi eis placuit esse sepultum. Haec si ita se habent, multum doleo inde propter vos, quia valde aliter facta sunt quam vos deceat. Unde mando, precor et consulo vobis, sicut amico, quatenus monachum quem tenetis, reddere non moremini; et quia eum cepistis, offeratis vos ad rectitudinem inde faciendam. Honor enim vester est ut hoc faciatis. Postea vero si aliquid habetis super monachum istum, clamorem inde facite, et fiet vobis inde quod fieri juste debet. De mortuo quoque consulo ut similiter vos ad rectum offeratis, et sicubi justius esse debet. Familiariter autem dico vobis, sicut homini cujus honorem et utilitatem multum amo, quia si non feceritis quod dico, inde blasphemabimini; et ego etiam si non fecero quod ecclesiastica disciplina praecipit inde fieri, a multis

blasphemabor. Saluto uxorem vestram filiam charissimam meam.

447 EPISTOLA LXXXII ANSELMI AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

HENRICO gratia Dei glorioso regi Anglorum et duci Northmannorum, ANSELMUS archiepiscopus, fidele servitium cum fidelibus orationihus, et semper ad majora et meliora crescere, et nunquam decrescere.

Gaudeo et gratias ago, quanto effectu possum, Deo, a quo bona cuncta procedunt, pro vestra prosperitate et pro vestris successibus. Gaudeo etiam et gratias ago ex intimo corde, quia, cum prosperitate terrena, sic cor vestrum sua gratia illuminat, ut nihil in beneficiis ejus et profectu vestro, vobis aut humanis viribus, sed totum ejus misericordiae imputetis, et quia pacem et libertatem Ecclesiae, quantum in vobis est, promittitis, in quo multum precor et consulo, sicut fidelis vester, ut perseveretis, quia in hoc erit robur sublimitatis vestrae. Oro autem ore et corde, quantum valet mens mea, et per me et per alios Deum omnipotentem, quatenus in misericordia gratiae suae quam vobis coepit impendere, indesinenter persistat, ut de terrena exaltatione post hanc vitam, ad coeleste regnum et gloriam aeternam vos perducat. Amen.

EPISTOLA LXXXIII PASCHALIS II PAPAE AD ANSELMUM.

PASCHALIS, servus servorum Dei, venerabili fratri ANSELMO Cantuariensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Omnipotenti Deo gratias agimus quia tuis plurimis laboribus in Anglica Ecclesia fugatis tenebris antiquum lumen refulsit. Vigilandum tamen est ne in Dominico agro super bonum semen inimicus zizaniam projiciat, atque prava radix pravum virgultum producat. Audivimus denique quod quidam comes Robertus, qui ab Anglico rege in captione tenetur, sub prohibitione consanguinitatis uxorem duxerit, quam ejus propinqui praefato comiti remiserunt. Unde mandamus dilectioni tuae, ut eumdem comitem convenias, et si haec vera esse repereris, adhibitis idoneis testibus ita sapienter disponas, ut utrique a peccatis liberati, libere Deo famulari valeant. Oret pro nobis dilectio vestra.

EPISTOLA LXXXIV. ANSELMI AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

HENRICO charissimo suo domino, Dei gratia regi Anglorum, ANSELMUS archiepiscopus, fidele servitium cum orationibus.

Gratias ago Deo pro bona voluntate, quam vobis dedit, et vobis qui eam servare studetis. Quaerit consilium celsitudo

vestra quid sibi faciendum sit de hoc quia pacta est filiam suam dare Guillelmo de Vuarenne; cum ipse et filia vestra ex una parte sint cognati in quarta generatione, et ex altera in sexta. Scitote absque dubio quia nullum pactum servari debet contra legem Christianitatis. Illi autem, si ita propinqui sunt, nullo modo legitime copulari possunt, neque sine damnatione animarum suarum, neque sine magno peccato eorum qui hoc ut fiat procurabunt. Precor igitur et consulo vobis ex parte Dei sicut charissimo domino, ut nullatenus vos huic peccato misceatis, neque filiam vestram eidem Guillelmo contra legem et voluntatem Dei tradatis. Omnipotens Deus dirigat vos et omnes actus vestros in beneplacito suo.

EPISTOLA LXXXV. MURIARDACHI REGIS HIBERNIAE AD ANSELMUM.

MURIARDACHUS rex Hiberniae, ANSELMO Anglorum archipraesuli, salutem, et fidele servitium.

Quam magnas vobis grates, domine, referre debeo, quia sicut mihi relatum est, memoriam mei peccatoris in continuis vestris peragis orationibus, sed et genero meo Ernulfo auxilio et interventione, quantum fuerat dignitati vestrae fas, succurristi. Scias tu quoque me vobis in iis quae mandaveris famulaturum. Vale.

EPISTOLA LXXXVI. GISLEBERTI LUNICENSIS AD ANSELMUM.

ANSELMO Dei gratia Anglorum archipraesuli, GISLEBERTUS Dei quoque misericordia Lunicensis episcopus, fidele servitium et orationes.

Audiens, Pater, certaminis vestri laborem, et laboris victoriam, subditas esse videlicet indomitas Northmannorum mentes regularibus sanctorum Patrum decretis, ut regulariter fiat abbatum et praesulum electio et consecratio, immensas divinae clementiae refero gratias, et quas possum Deo preces effundo, ut perseverantiam vobis et tanti laboris praemium largiatur. Munusculum paupertatis meae et devotionis transmitto viginti quinque margaretulas inter optimas et viliores, et rogo ne sitis immemor mei in orationibus vestris in quibus post divinam largitatem confido. Amen.

EPISTOLA LXXXVII. ANSELMI AD JOTSERANNUM ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM.

JOTSERANNO domino, atque cum dilectione reverendo, et cum reverentia diligendo archiepiscopo Lugdunensi, ANSELMUS Ecclesiae Cantuariensis servus, salutem cum orationibus et servitio.

Quod vera charitas vestra congratulatur nobis, quia Deus qui non derelinquit sperantes in se, pro diebus quibus nos

humiliavit sua nos consolatione laetificavit, gratias agimus, et quia vos congaudere sentimus, magis gaudemus. Quoniam autem multis et immensis tribulationibus, ab iis a quibus auxilium et consolationem in necessitatibus sperabatis vestra pulsatur reverentia, compatimur et condolemus. Sed hoc consolatur nos quia confidimus in Deo quod nullo fluminum, nullo ventorum impulsu vestra concutietur constantia, et quia Deus qui «superbis resistit, humilibus autem dat gratiam **(I Petr. V, 5),**» superbiam malignantium franget, et auctoritatis vestrae pedibus substernet, et cum virtus vestra probata fuerit, accipiet coronam vitae repromissam. Qualiter autem nostrum esse sit, quod vestra benignitas nosse desiderat, melius per legatos vestros, quam per epistolam poteritis cognoscere.

448 EPISTOLA LXXXVIII. ANSELMI AD THOMAM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM.

ANSELMUS archiepiscopus Cantuariensis, amico suo THOMAE electo archiepiscopo Eboracensi, salutem.

Mandastis mihi in litteris vestris quod termino a me vobis constituto, Deo auxiliante, Cantuariae eritis si opportune poteritis, suscepturus et facturus quod debebitis : rogastis quoque ut, si id efficere non valetis, concederem quatenus id mihi decem diebus ante renuntiare possetis. Sed Guillelmus clericus nuntius vester precatus est me ex vestra parte, quatenus ego ipsum terminum adventus vestri aliquantulum extenderem, ut ad nos opportunius possetis venire. Quod et

ego causa vestri amoris et opportunitatis libenter facio. Ne itaque opus sit vos mihi quidquam ante de vestro adventu renuntiare, submoneo vos ut die Dominico, qui erit quinto Kalend. Octob. Cantuariae sitis ad faciendum quod facere debetis, et ad suscipiendam consecrationem vestram. Praeterea quod dicitis in litteris vestris, vos pecuniam quaerere ut Romam mittatis pro pallio Ecclesiae vestrae, non concedo. Et puto quia id frustra faceretis, quoniam nullus debet habere pallium, antequam sit consecratus. Litteras quas requiritis in testimonium personae et electionis vestrae, cum mihi locutus fueritis, et ostenderitis cui eas dirigere debeo, libenter faciam pro vobis, sicut pro amico facere debeo.

EPISTOLA LXXXIX. ANSELMI AD GUILLELMUM ROTHOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Domino et Patri reverendo archiepiscopo Rothomagensi GUILLELMO, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, salutem, et fideles orationes cum servitio.

Mandastis mihi in litteris vestris quia Guillelmus camerarius et uxor ejus dicunt me sibi dixisse quod ipsi possent eleemosynis redimere peccatum suum, illud scilicet quia ipse Guillelmus in uxorem habet eam quae fuit cognati sui. Quod sciat sanctitas vestra me nunquam eis dixisse, sed potius dico quia neuter illorum, si in hoc peccato mortuus fuerit, videbit gloriam Dei. Valete.

EPISTOLA XC. ANSELMI AD ARCHIEPISCOPUM LINDONENSEM.

ANSELMUS archiepiscopus Cantuariae, reverendo Lundonis *(in Dania)* Ecclesiae archiepiscopo, at sero, salutem et veram amicitiam in Christo.

Quod me rogastis de domno Alberico cardinali Romanae Ecclesiae libenter feci, tum propter honorem Romanae Ecclesiae, tum propter vestrum, pro quo libenter facere volo, si quid quod placeat sanctitati vestrae intellexero. Gratias agimus Deo qui in regno Danorum vestram religiosam prudentiam, et prudentem religionem ad archiepiscopatum sublimavit. Confidimus enim quia, gratia Dei cooperante, ea quae corrigenda sunt corrigetis, et quae aedificanda aedificabitis, et quae nutrienda nutrietis. Audivimus namque a praefato cardinali multa bona de vobis; unde istam habemus fiduciam, et oramus ut Deus, qui hoc incoepit in vobis, ad bonum effectum vestram semper perducat voluntatem. Rogo sanctitatem vestram quatenus regnum illud vestro sancto studio emundetis ab apostatis, ut nullus alienigena ibi recipiat aliquem ecclesiasticum ordinem, quia illi qui ab episcopis suis repelluntur, illuc pergunt et exitiabiliter ad diversos ordines sacrantur. Valete, et orate pro me.

EPISTOLA XCI. ANSELMI AD ADAM COMITISSAM.

Dominae et matri in Deo charissimae ADAE, venerabili comitissae, ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, quod melius, quod dulcius, quod affectuosius potest secundum Deum.

Cum vestrae volo scribere celsitudini, utique nequeo invenire verba quibus affctum, quem servat semper cor meum coram Deo de vobis, possim exprimere, nisi forte per hoc illum melius exprimo, quia me fateor exprimere non posse. Quippe cum mente peracto affectuosam dilectionem quam in vobis propter Deum erga me multis modis sum expertus, nihil in me possum cogitare quod ad ejus retributionem, aut gratiarum actionem, secundum voluntatem meam possit sufficere. Quoniam ergo melius nec scio nec valeo, ad Deum me converto, et oro ut ipse dilectioni vestrae suam pro me dilectionem quae superat omnia merita hominum retribuat. Hoc quotidie facio, hoc quandiu vivam Deo annuento facere non desistam. Nostis desiderium meum de vobis, quod utinam audiam antequam moriar per gratiam Dei completum esse. Verum dico vobis quia laetior exiret anima de corpore. Nostrum esse quod scire desideratis, lator praesentium satis vobis poterit edicere. Spiritus sanctus sit semper custos et director cordis vestri et vitae vestrae. Amen.

EPISTOLA XCII. ANSELMI AD HACONEM COMITEM.

ANSELMUS gratia Dei, archiepiscopus Cantuariensis, HACONI comiti Orcadensium, salutem et benedictionem Dei.

Audio quia propter indigentiam doctorum, minus quam expedit, populus qui sub vestra potestate est, cognoscat et colat Christianam religionem. Sed gaudeo quia referente episcopo quem nunc per gratiam Dei habetis, didici quia prudentia vestra libenter suscipit verbum Dei, et consilium quod pertinet ad salutem. Hac igitur fiducia mitto strenuitati vestrae litteras monitionis meae, quatenus se studiose committat praedicationi et doctrinae ejusdem episcopi; et quantum in vobis est studeatis ut populus vester hoc ipsum faciat. Nihil enim facere potestis unde magis remissionem peccatorum, et vitae aeternae gloriam adipisci valeatis quam si populum vestrum ad cultum Christianae religionis monendo, et quibuscunque modis potestis vobis eum attrahitis. Quod efficaciter, Deo dante, implere poteritis, si, quemadmodum supra dixi vobis, vos devote et sancta humilitate et pura voluntate episcopo vestro subditis. Si vos consilio nostro et exhortationi, Deo inspirante, acquiescere volueritis, oro Deum omnipotentem ut ipsa vos et totum populum vestrum sua gratia dirigat et protegat, et suam benedictionem et absolutionem et orationes humilitatis meae ex corde vobis mando. Omnipotens Deus sic vos faciat vivere in hoc saeculo ut in futuro jungamini beato angelorum consortio. Amen.

449 EPISTOLA XCIII. HENRICI ANGLORUM REGIS AD ANSELMUM.

HENRICUS, gratia Dei rex Anglorum, ANSELMO Cantuariensi archiepiscopo, charissimo Patri suo, salutem et dilectionem.

Agnosce, Pater mi, quia ego gratia Dei sanus sum et incolumis, et omnia mea salubria incedunt et prospere. Quod autem de te ac salute tua per Aufridum clericum tuum et per alios accepi, nec non de iis quae circa te geruntur felicitate salutis et prosperitatis agitari, scito me congratulari non minimum. Nec vero conscientiam benevolentiae tuae lateat, quomodo contigerit nobis de colloquio nostro inter me et Lodovicum Franciae regem, scias quoniam ego, cum pleraque copia militum meorum, et ipse cum fortitudine sua undique collecta tenuimus colloquium. Ego autem studens rationi et aequitati cum moderata humilitate, observata tamen regia austeritate, tantum aequo et justo acquievi, donec ipse fastu praesumptuoso nimia ac superba mihi superquaesivit. Et, ita disponente Spiritus sancti gratia, collocutionem meam finivi, ut comitibus mihi existentibus ratione et justitia recesserim. Ita etiam ut ipsi quos ipse Lodovicus in conventione nostra mihi hostagios ex parte sua posuit, parti causae meae assentiant, et causam meam tueantur, et causam Lodovici infirmant et reprobant. Propterea scias quoniam negotium quod inter me et imperatorem Romanorum tractabatur, gratia Dei ad honorem Dei et nostrum, et sanctae Ecclesiae et Christiani populi ad finem perduximus. De caetero, de iis quae in Anglia sunt, et quae ibi tractantur, volo ut voluntati tuae pareant et consilio tuo disponantur. Quod etiam ego

justiciariis nostris feci cognitum. Filium meum et filiam tibi committo, ut paterna dilectione eos foveas, et de iis filiastino amore curam agas. Teste Ranulfo cancellario apud Rothomagum.

EPISTOLA XCIV. ANSELMI AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

Domino suo charissimo HENRICO, gratia Dei glorioso regi Anglorum, ANSELMUS archiepiscopus Cantuariensis, fidele servitium cum orationibus, et benedictionem Dei et suam, quantum valet.

Gratias ago omnipotenti Deo ex intimo cordis affectu pro cunctis prosperitatibus et successibus quos Deus per suam gratiam erga vos benigne dignatur operari, et oro eum ut semper celsitudinem vestram ad majora et meliora faciat proficere, et per continuam terreni regni prosperitatem perducat ad coelestis regni felicitatem. Gratias etiam ago dignationi vestrae, quae mihi, sicut fideli et vere dilectori suo, amicabiliter quae circa se sunt, litteris suis significavit, et cor meum de laetitia sua et prosperitate laetificavit. Quod autem meae curae atque dilectioni filium vestrum et filiam tam diligenter commendatis, et quod voluntati meae regnum vestrum et negotia regni vestri committitis, quamvis in me non sit sapientia ad hoc sufficiens, tamen quia benevolentiam vestram immensam, et gratiam erga me intelligo, quantum in me est, gratanter suscipio, et quae mihi committitis, Dei per quem cuncta bene disponuntur, commendo dispositioni et

auxilio. De electo Eboracensis Ecclesiae archiepiscopo, quemadmodum se res habet, per domnum Baldeuvinum fidelem et dilectorem vestrum sublimitati vestrae viva voce significo. Ad quam rem vestrum auxilium et fortitudinem toto corde supplico, ut dignitatem Ecclesiae Cantuariensis ab antecessoribus vestris servatam, quam Deus tuitioni vestrae commisit, et cujus honor vester est, minorari non permittatis. De me certe dico vobis quia potius paratus sum mori, ut ejus dignitas integra servetur, quam ut mea negligentia aliquatenus violetur. Omnipotens Deus vos et vestra semper dirigat et protegat. Amen.

EPISTOLA XCV. ANSELMI AD PASCHALEM PAPAM.

PASCHALI summo pontifici, cum dilectione reverendo, et cum reverentia diligendo, ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, debitam subjectionem cum orationum assiduitate.

Quamvis non ex meritis meis, tamen quidam quia vident me in causis meis benignitatem vestram semper habere praesentem, putant me apud celsitudinem vestram in iis quae illam decent sicut fidelem servum aliquid posse. Quapropter aliorum precibus coactus majestati vestrae supplicare praesumo, ut latoris praesentium causam audire dignetur; et de ea quod sapientiae suae placebit, praecipere. Omnipotens Deus in diuturna prosperitate sanctitatem vestram nobis conservet. Amen.

EPISTOLA XCVI ANSELMI AD SAMSONEM WIGORNENSEM EPISCOPUM.

ANSELMUS archiepiscopus Cantuariae, SAMSONI episcopo Wigornensi, salutem.

Vos scitis quid Ecclesia Eboracensis debeat Ecclesiae Cantuariensi, et quomodo illi subjecta debeat esse. Postquam ergo Thomas electus est archiepiscopus Eboracensis, debuit requirere consecrationem suam, et profiteri obedientiam quam debet archiepiscopus Eboracae archiepiscopo et Ecclesiae Cantuariae. Contempsit facere quod facere debuit. Ego tamen ex abundantia charitatis invitavi eum bis per clericos nostros, et tertio per duos episcopos, ut veniret ad matrem suam Cantuariensem Ecclesiam, et ad me cui ministerium ejus commissum est, et faceret et susciperet quod deberet. Qui quod debuit facere neglexit, et respondit se misisse nuntios suos Romam, et in Northmanniam; qui cum redirent, faceret quod consilio suorum acciperet. Quod responsum in hoc negotio intelligimus non esse susceptibile. Mando ergo vobis sicut amico et professo Ecclesiae nostrae, ut contra hanc injuriam, quae non est tantum super me, sed super omnes episcopos et ccclesias archiepiscopatus et primatus nostri, super regnum etiam Angliae, sitis mihi in auxilium ad comprimendam tam intolerabilem praesumptionem. Certa utique sit vestra reverentia quia nihil quod facere possim, aut apud Deum aut apud homines dimittam, ut haec ejus inordinata praesumptio

annihiletur. Meminisse deberet quia ordines majores quos habet in archiepiscopatu meo, et sacerdotium mea jussione suscepit, et meo favore ejus electio facta fuit. Quapropter si recte consideraret, non se deberet tam inordinate contra me, imo super me erigere; de hac re vestrum exigo consilium. Et quoniam duos episcopos Rofensem et Tedfordiensem consilio aliorum episcoporum, ad quos pertinet haec injuria, mittam in proximo **450** ad dominum nostrum regem, ex mea parte et eorum, ejus postulare auxilium, ad faciendum quod de hac re canonice debeo et volo facere; mandate eisdem episcopis, ut ex vestra parte sicut aliorum episcoporum legationem suam exsequantur. Valete.

EPISTOLA XCVII. SAMSONIS WIGORNIENSIS ECCLESIAE SACERDOTIS AD ANSELMUM.

Domino suo et Patri charissimo ANSELMO, venerabili Cantuariensi archiepiscopo, SAMSON Wigorniensis Ecclesiae sacerdos, salutem, et servitium, et orationes fideles.

Mandastis mihi, domine, et sicut professum Ecclesiae vestrae et vestrum submonuistis, quatenus de negotio quod est inter vos et Thomam Eboracensis Ecclesiae electum, in auxilio vobis et Ecclesiae vestrae, scilicet Cantuariensi, existerem. Unde precor excellentiam vestram, ne de me dubitetis quod professionem, quam feci et adhuc facio, et per omnia retinere volo, in aliquo vel propter aliquem fraudare velim. Existimo

enim quod nullum in causa vestra habebitis fideliorem, et pro posse meo plus devotum adjutorem. De consilio autem quod a me quaesistis, si scirem veraciter quid vobis et nobis magis expediret, dicere non differrem. Hoc tantum dico quia mihi videtur indignum esse pro hac causa vos nimis irasci. Cum enim tot episcopos, tot abbates, tot optimates viros habemus testes, facile mihi videtur tam parvae vel nullius auctoritatis clericos posse refutari. Illorum enim est talis controversia, quorum, mihi videtur, non est grave praesumptivam annihilare audaciam. De ipso vero electo, ut credidi et credo, et sibi credi oportet, veraciter affirmo quia erga vos non habeat animum nisi bonum, et in quantum vixeritis, vobis et Ecclesiae vestrae per omnia devotissime subjectum. Illud autem placet mihi quia fecistis quod facere debuistis, ex bona voluntate suadendo, et ex auctoritate debita praecipiendo, quia si in dilatione consecrationis est peccatum, alterius quam vestrum.

EPISTOLA XCVIII. ANSELMI AD ELIAM COMITEM.

ANSELMUS servus Ecclesiae Cantuariensis, domino et amico, et in Deo dilectissimo ELIAE comiti, salutem, et gratia Dei semper dirigi et protegi.

Gaudeo et gratias ago Deo omnipotenti a quo est omne bonum, qui cor vestrum bona voluntate et sancta intentione ita implevit ut studiosissime quaeratis consilium, qua via et qua vita securius et efficacius possitis pervenire ad regnum

coelorum et ad beatam societatem angelorum. Quod quoniam a me quaeritis, mando illud vobis per dilectum fratrem Hardum amicum et familiarem vestrum, sicut melius possum intelligere; quemadmodum per ejus vivam vocem poteritis aperte cognoscere. Absolutionem nostram, quam per eumdem fratrem, sicut ipse mihi retulit, a me petitis, et corde, et ore, et scriptura dilectioni vestrae mitto, et quotidie pro vobis oro. Omnipotens Deus sanctum desiderium vestrum magis ac magis accendat, et ad beatum effectum perducat. Amen.

EPISTOLA XCIX. ANSELMI AD ROBERTUM COMITEM.

ANSELMUS archiepiscopus Cantuariae, domino et amico suo charissimo ROBERTO comiti de Mellento, salutem et benedictionem Dei et suam, quantum potest.

De causa quae est inter me et Thomam electum Eboracensem, mando vobis et precor, sicut verum amicum et filium matris Ecclesiae Cantuariensis, et consulo, sicut fideli Christiano, et fideliter amanti honorem et dignitatem regis et totius regni Angliae, quatenus diligentissime et studiosissime consideretis pondus tanti mali quod ipse Thomas facere conatur, et omnibus viribus sicut injuriam et ignominiam, et regis et totius regni Angliae, et matris vestrae Ecclesiae, et archiepiscoporum Cantuariae, intentionem ejus reprimatis. De me utique in spe auxilii Dei affirmo, quia nunquam per me erit, et si scirem me cras moriturum antequam ista ejus calumnia exstincta esset, ponerem super eum sententiam

quanto graviorem me posse intelligerem. De hoc autem certa sit vestra dilectio quia nullus hanc ejus praesumptionem ullo modo manu tenere potest, sine suo magno peccato et sine ira Dei. Spiritus sanctus dirigat cor vestrum in veritate. Amen.

EPISTOLA C. ANSELMI AD RODULFUM CICESTRENSEM EPISCOPUM.

ANSELMUS, archiepiscopus cantuariae. RODULFO episcopo Cicestrensi, salutem.

Audivi quod archidiaconus vester accepit homines meos quasi pro forisfactura fractae festivitatis, et de iis plegios accepit, nec ante eos voluit dimittere quam plegios haberet; quod nec sibi nec alicui personae licet super homines meos. Unde mando vobis ut idem plegii vocentur quieti, et de archidiacono mihi justitiam facite, qui talia praesumpsit super homines meos. Quod autem mihi mandastis ut castigarem homines nostros, ne alii accipiant malum exemplum ab eis, grates refero, et quod inde facere debuero. Deo annuente faciam. Valete.

EPISTOLA CI. ANSELMI AD R. EPISCOPUM.

ANSELMUS, archiepiscopus Cantuariensis, dilecto amico suo reverendo episcopo R., salutem.

Mando et praecipio vobis per sanctam obedientiam quam Ecclesiae Cantuariensi et mihi debetis, ut scilicet quod in subjectis litteris quas Thomae electo Ecclesiae Eboracensi destinari scriptum est, vos erga ipsum Thomam amodo teneatis.

451 EPISTOLA CII. CUJUSDAM AD ANSELMUM

ANSELMO Cantuariensis Ecclesiae archiepiscopo, quidam Dominicae crucis servus et minister Pratellini coenobii, cursu infatigabili stadium paternae peregrinationis tanquam militi summi Regis feliciter consummare.

Quamvis, Pater venerande et inter membra Christi tanquam amator et cultor veritatis plurimum diligende, crebras simultates et impugnationes hominum facinorosorum, item aculeos malignorum spirituum intrinsecus plerumque sustineam, tamen onus obedientiae quam imponis mihi levissimum et actu quidem et sincera devotione qua te diligo prorsus aestimo. Quippe nihil difficile reperitur quod cuilibet igne amoris exaestuanti facile non videatur. Igitur in librum Geneseos jam enucleatis a me mysteriis, quatuor qui restant tua jussione aggressurus et dextera Domini mei Jesu Christi calamum meum regente explanaturus, admodum tuis orationibus indigeo, ut is *qui claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit* **(Apoc. III, 7),** mihi librum signatum aperiat, cujus historiam quam beatus Augustinus juxta litteram usque

ad exitum primi parentis de paradiso multifariam prosecutus est intactam dimitto. Etenim arrogantiae deputari posset intolerabili, si manum meam superponere praesumerem ejusdem manui. At ubi ventum fuerit ad locum ubi senaria distributione formae visibilium rerum consummantur, tentabo, prout divina sapientia mihi adfuerit, litteram hujus libri secundum triplicem intellectum aliquando tractare. Caeterum Dominus inopiam meae scientiae novit, cui non ficte loquitur testimonium meae conscientiae vel intentionis, quia nec praesumo viribus meis, nec ad plausum mortalium, nec ad fructum transitoriae remunerationis operam impendo, ad explanandum perplexa mysteria Mosaicae legis. In cujus siquidem amabili contubernio et contubernali amore ferme jam sunt transacti viginti et octo anni, totum me retrusi. In cujus nimirum mandatis prosequendis dum desudo, valde requiesco. Cumque ab illius amplexibus importunitate negotiorum mundanorum praevalente frequenter avellor, non modicum laborem incurro. Ne hoc quidem mirum, quia apud illam panis vitae et intellectus atque potus inveniuntur. Panis per quem amissae vires mentis imbecillae in vigorem pristinum reparantur. Potus, per quem sitis mundanarum concupiscentiarum exstinguitur, et postmodum suavissimo fervore ad rimanda illius secreta vehementer is qui inde potat accenditur. Jam demum gratia Dei praecedente ad verba libri veniamus, et virtute obedientiae suppeditante quid gerant mysterii, prout Dominus nobis dederit, diligenter vestigare satagamus.

EPISTOLA CIII. ANSELMI AD LANFRANCUM

Ei opus suum, quod Monologium inscribitur, corrigendum vel approbandum mittit.

Reverendo et amando domino suo et Patri et doctori, Cantuariae archiepiscopo Anglorum primati, matri Ecclesiae catholicae, fidei utilitatisque merito multum amplectendo LANFRANCO, frater ANSELMUS Beccensis, vita peccator, habitu monachus.

Quoniam agenda sunt omnia consilio, sed non omni consilio, sicut scriptum est : Omnia fac cum consilio **(Eccli. XXXII, 24)**; et : *Consiliarius* tuus *sit unus de mille* **(Eccli. VI, 6)**; unum quem scitis, non de mille, sed de omnibus mortalibus elegi, quem prae omnibus haberem consultorem in dubiis, doctorem in ignorantiis [*al.,* ignoratis], in excessibus correctorem, in recte actis approbatorem. Quo quamvis secundum votum uti non possim, decrevi tamen uti, quantum possum. Quamvis enim valde multi sint praeter prudentiam vestram, de quorum multum proficere imperitus possim peritia [*al.* praesentia], et quorum subjacere censurae me mea cogat imperitia, nullum tamen eorum novi, cujus me doctrinae judiciove tam confidenter tamque libenter, quam vestro subjiciam et qui mihi tam paterno affectu se, si res indiget, exhibeat, aut, si res exigit, congaudeat. Quare quoniam quidquid de paterno vestro mihi pectore impenditur, et sapientia est exquisitum, et auctoritate roboratum, et dilectione conditum, cum aliquid inde haurio, id me sua et

dulcedine delectat, et securitate satiat. Sed quoniam haec ipsa scienti loquor, his omissis, cur eorum meminerim expediam. Quidam fratres, servi vestri, et conservi mei me saepe multumque rogantes, tandem coegerunt ut acquiescerem illis quaedam scribere, sicut in ejusdem scripturae praefatiuncula considerare poteritis. De quo opusculo hoc praeter spem [*al.* prout saepe] evenit, ut non solum illi, quibus instantibus editum est, sed et plures alii illud velint non solum legere, sed etiam transcribere. Dubitans igitur utrum illud volentibus denegare debeam, aut concedere, ne me aut invidum putantes oderint, aut stultum agnoscentes derideant, ad singularem meum recurro consiliarium et scripturam ipsam examinandam vestro mitto judicio, ut ejus auctoritate aut inepta a conspectu prohibeatur, aut correcta volentibus praebeatur.

EPISTOLA CIV. ANSELMI AD BERNARDUM EJUSQUE MONACHOS.

ANSELMUS, Dei gratia archiepiscopus, Domino priori BERNARDO, et aliis fratribus in coenobio Sancti Albani conversantibus, salutem et benedictionem.

Fratres a vestra dilectione ad me directi retulerunt mihi quamdam dubitationem inter vos ortam esse cum aliqua dissentione, inde quia in catholicorum Patrum scriptis aliquando invenitis Deum et hominem in Christo convenire in unam substantiam, aliquando duas substantias, divinam scilicet et humanam unam esse personam in Christo; videtur enim repugnare quod et una substantia sit humana et divina

natura, sicuti esse, una persona et duae substantiae sint in eadem persona, sed si bene intelligatur quomodo **452** dicant unam esse substantiam plures naturas in Christo, aut plures substantias unam personam, nihil ibi repugnans cognoscetur esse. Deum enim unum credimus et confitemur esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Cum ergo dicimus Deum, non nisi unum dicimus et intelligimus. Cum vero dicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, plures dicimus et credimus; sed de Deo habemus auctoritatem, quia debemus dicere Deum unum singulariter et non plures, quemadmodum scriptum est : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* **(Deut. VI, 4)**. De illis vero tribus, Patre scilicet, Filio et Spiritu sancto, non invenimus in propheta, aut apostolo, aut evangelista, ut uno nomine nominent eos pluraliter, quo significent illam pluralitatem quam in illis intelligimus; nusquam enim dicunt tres personas eos esse, aut tres substantias, aut tres omnipotentes, aut aliquid hujusmodi. Hac necessitate Patres catholici quando loquebantur de illis tribus, elegerunt omnia quibus illos tres nominare possent pluraliter. Graeci quidem nomen substantiae, Latini vero nomen personae; sed ut omnino quod nos ibi intelligimus per personam, hoc ipsi et non aliud intelligant per substantiam. Sicut ergo nos dicimus in Deo unam substantiam esse tres personas, ita illi dicunt unam personam esse tres substantias, nihil a nobis diverse intelligentes aut credentes. Quoniam enim non habeant nomina quibus proprie illos tres significarent ut jam dixi, ut Graeci dicerent esse tres substantias, nos vero tres personas, dederunt in Deo duobus nominibus illam significationem, quam in illis pluribus intelligebant, nec suo nomine proferre poterant. Sicut igitur nos dicimus quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus

sancti, et in eo quidem quod alius est Filius Dei a Patre, non est alius a Filio Virginis, sed idem ipse idem est, alia persona est a Patre, et non alia a Filio Virginis, sed eadem persona : ita Graeci dicunt quia Verbum, id est Filius Dei, alia substantia est a Patre, et non alia ab homine assumpto. Quando ergo invenimus in catholicorum Patrum scriptis plures naturas esse, unam substantiam in Christo, et quando invenimus plures substantias esse, unam personam non eumdem sensum in nomine substantiae accipimus; sed cum dicimus unam substantiam, id ipsum intelligimus quod per nomen personae. Cum vero dicimus plures esse substantias in eo, personam unam, hoc significamus per nomen substantiae quod per nomen naturae. Hac igitur consideratione, qua una est fides Graecorum et Latinorum, aliquando nominant personam. quamvis hoc raro Latini faciant. Quod autem Graeci dicant in Domino unam personam, tres substantias, testatur beatus Augustinus in libro De Trinitate. Haec vobis, fratres, petentibus, secundum quod intellexi quaestionem inter vos versari sufficienter puto me respondisse, quamvis dici possint plura de Trinitate et pluralitate, quomodo Verbum unum sit cum Patre et non unus, et cum homine assumpto unus et non unum. Valete

EPISTOLA CV. ANSELMI AD ABBATISSAM F. EJUSQUE CONGREGATIONEM.

ANSELMUS Dei dispositione vocatus archiepiscopus, dominae et matri reverendae abbatissae F. et sanctae congregationi illi commissae in sanctitate semper proficere, et ad beatitudinem [*al.* semper] pertingere.

Quamvis vestrum sanctum studium mea monitione non egeat, cogit me tum [*al.* tamen] dilectio quam erga vos habeo et officium meum, ut vobis ad [*al.,* aliquid] exhortando scribam. Considerate incessanter, filiae et sorores meae dilectissimae, quod in coelum proposuistis et jam incoepistis ascendere, ut ibi regnetis, et regnando gaudeatis cum Domino et amico vestro Jesu Christo, qui ibi vos exspectat et exspectando assidue invitat. Quippe quandiu homo vivit, aut ascendit in coelum bene vivendo, aut descendit in infernum male vivendo. Si ergo ad illud proposuistis et vultis pertingere, necesse est vos sanctis actionibus [*al.* accusationibus] illuc quasi quibusdam passibus proficere. Diligenter ergo vitae vestrae cursum discutite, ut [*al. omit.*] non solum in operibus, sed etiam in verbis, nec solum in his, sed et in omnibus cogitationibus, ne forte cum in omnibus his semper debeatis sursum tendere [*al.* ascendere], aliud ibi inveniatur quod est magis descendere. Quod si bene vultis custodire, expedit ut semper videre [*al. omit.*] cogitetis [*al.* illud] quod verissime scriptum est : *Qui modica spernit paulatim decidit* **(Eccli. XIX, 1)**, qui paulatim decidit non proficit sed deficit, et qui deficit non ascendit, sed descendit. Hoc ergo curate sollicite, ut nihil tam parvum sit quod de ordine vestro ubi vos Deus posuit negligere velitis et sic sanctis passibus in coelum, quod utinam Deo adjuvante fiat, ascendetis. Quod ut per me [*al.* oro ut pro me] oretis, et tanto attentius, quanto scitis me de

dilectione vestra confidere, quoniam nunquam cognovi me magis quam nunc orationibus indigere.

EPISTOLA CVI. AD GISLEBERTUM.

De sacramento altaris

Domino G. [Gisleberto] abbati, olim charissimo filio, nunc Deo propitio venerabili Patri, frater A. [Anselmus].

De corpore et sanguine Domini jussisti, venerande, etc. *Exstat sub nomine Anastasii eremitae recusa Patrologiae tom.* CXLIX, *col.* 433.

453 EPISTOLA CVII. **(G)***

Sanctus Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, De corpore et sanguine Domini

Nota quod tota humana natura in anima et corpore erat corrupta, oportuit ut Deus qui veniebat utrumque liberare, utrique uniretur ; ut anima hominis per animam Christi, et corpus per corpus Christi competenter redimeretur. Ideo etiam in altari ad utrumque repraesentandum panem et vinum apponimus, ut per panem corpus factum, et digne a nobis acceptum nostrum corpus corpori Christi in immortalitate et in impassibilitate conformandum credamus quandoque, et similiter vinum in sanginem conversum et a nobis acceptum,

animas nostras animae Christi credamus conformes fieri, et praesenti quodammodo dum a peccatis, prout possumus, abstinemus, et maxime in dissolutione animae et corporis cum in beatitudine, in qua ipsa Christi anima est, animae nostrae constituentur. Et cum anima Christi per aliquid corporeum repraesentanda esset, nihil inventum est in omnibus corporalibus rebus per quod vicinius repraesentaretur quam per sanguinem qui sedes est animae. Non tamen intelligendum est quod in sanguinis acceptione solam animam non etiam corpus, vel in acceptione corporis solum corpus, non etiam animam suscipiamus, sed in acceptione sanguinis totum Christum Deum et hominem, et in acceptione corporis similiter totum accipiamus. Et quamvis separatim corpus, separatim sanguinem; non tamen bis sed semel Christum accipimus immortalem et impassibilem. Sed iste mos separatim accipiendi inde in Ecclesia inolevit quod Christus in coena cum discipulis separatim dedit, ut per hoc intelligerent se animae et corpori Christi debere conformari. Aqua cum vino in sacramento ideo apponitur, ut aqua quae cum sanguine de latere Christi fluxit repraesentaretur, quae aqua significat baptismum in quo populus per effusionem sanguinis innovatur Quare autem corpus Christi cum sit inviolabile et incorruptibile, qua ratione hoc esse potest ut dentibus atteratur et etiam a soricibus corrodatur. Sed secundum diffinitiones sanctorum Patrum est intelligendum panem super altare positum per illa solemnia verba in corpus Christi mutari, nec remanere substantiam panis et vini, speciem tamen intelligendum est remanere, formam scilicet, colorem et saporem : secundum speciem remanentem quaedam ibi fiunt quae nullomodo secundum hoc quod est possunt fieri, scilicet quod atteritur, quod uno loco

concluditur, et a soricibus roditur et in ventrem trajicitur. Ideo autem quod non est apparet, et quod est celatur, quia si quod est videretur, animus humanus abhorreret. Secundum vero speciem potest accipi aequaliter a fideli et ab infideli. Fideles tamen alio singulari modo accipiunt, scilicet cum sint conformes Christo per innocentiam, et per assumptionem corporis et sanguinis Deo conformes efficiuntur, et in praesenti virtutes eorum augmentantur, et liberum arbitrium confortatur, et in futuro, maxime dum immortalitate et impassibilitate, sicut et ipse, induentur. Ad quam conformitatem recipiendam illa acceptio Dominici corporis multoties celebratur. Quo modo accipiendi infideles omnes omnino carent. Non tamen negandum quod ipsi mali veram substantiam corporis Christi accipiunt : quod quidam abhorrent propter eorum immunditiam, et corporis Christi dignitatem. Sed illa res tam digna est per se ut nec propter dignum locum dignior sit vel mundior, nec ab immundo vase aliquid trahat immunditiae, ut Augustinus testatur in libro quarto De baptismo, De corpore Domini indigne sumpto, sicut Judas cui buccellam panis tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se diabolo praebuit; sic indigne quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit ut quia ipse sumens malu: est, malum sit sacramentum, aut quia non salutem accipit, nihil accipiat. Corpus enim et sanguis Domini nihilominus erat in illis quibus dicebat Apostolus : *Qui manducat indigne, judicium sibi manducat et bibit* **(I Cor. XI, 29).** Non est quaerendum quid fiat de corpore; Deus enim conficit sicut scit, nec dubitare debet aliquis quomodo panis in verum corpus Christi convertatur, ita ut panis substantia **454** non remaneat, cum multa alia non minus miracula videamus quia

hominem substantialiter in lapidem, ut uxorem Lot, vel etiam in parvo artificio hominis fenum in vitrum. Iterum si homo suae mutationis artificio potest ita aliquid dissimulare, ut aliud videatur ab illo quod sit, multo magis Deus potest hoc efficere, ut cum corpus suum sit panis, videatur haec immolatio corporis, ut Augustinus testatur, quotidie vertitur, licet Christus semel passus sit, quia quotidie peccamus, sine quibus peccatis mortalis infirmitas vivere non potest; et ideo quia quotidie labuntur, Christus quotidie mystice pro nobis immolatur. Intra catholicam Ecclesiam in mysterio corporis Christi nihil a malo minus accipitur, nec a bono sacerdote majus, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et in virtute Spiritus sancti; si enim esset in merito sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum sanctum hunc panem in suam carnem et vinum faciat transfundi in sanguinem.

EPISTOLA CVIII. GISLEBERTI ABBATIS AD ANSELMUM.

Reverendo Patri et domino ANSELMO sanctae Cantuariensis Ecclesiae archiepiscopo, servus et filius suus, frater GISLEBERTUS, West-Monasterii coenobii curator et servus, prosperam in hac vita diuturnitatem, et beatam in futura aeternitatem.

Paternitati tuae, etc. *Est loco Prologi ad Gisleberti abbatis Westmonasteriensis Dialogum contra Judaeos. ---Vide in Gisleberto, infra, ad an.* 1117.

*Sequentes epistolas hic revocamus ex appendicibus editionis anni*1721.

EPISTOLA CIX. ANSELMI AD RICARDUM MONACHUM.

Richardum Beccensem monachum hortatur ut indiscretis corporis sui vexationibus obedientium anteponat.

ANSELMUS gratia Dei archiepiscopus, fratri et filio charissimo RICARDO monacho Beccensi, salutem et benedictionem Dei.

Cum scias quia multum te diligo, non deberes toties tibi datum consilium et praeceptum meum contemnere, et contemnendo me et abbatem cui te commisi contristare. Toties enim te monui, et consului et praecepi ut indiscretas abstinentias et vexationes corporis tui secundum ordinationem praefati abbatis temperares, toties promisisti quia in hac re meae et illius voluntati penitus obedires, et adhuc pertinaciter tuae propriae voluntati adhaeres. Timeo ne dum vis habere

praemium, seu potius famam aut inanem intra cor tuum gloriam abstinentis, incurras potius poenam inobedientis. Certe sicut majorem coronam meretur simplex obedientia quam praeter communem usum escarum abstinentia, ita gravius ille punitur a quo illa contemnitur quam a quo ista deseritur. Sine hujusmodi enim abstinentia potest obedientia hominem salvare; sine obedientia vero talis abstinentia non valet nisi damnare. Acquiesce igitur, acquiesce, et totum te praelati tui dispositioni committe, si mihi vis obedire, si mihi vis placere, si dilectionem meam erga te vis servare, si tuam erga me vis probare, si me deinceps non vis contristare, et abbatem sub quo es, et fratres inter quos vivis tua indiscretione gravare. Nimis enim patet quia corpus tuum et natura tua nequit tolerare quod indiscretio tua praesumit. Omnipotens Dominus deducat te in via sua, et in veritate sua. Amen.

EPISTOLA CX. ANSELMI AD ROBERTUM, SEYT, EDIT.

Hortatur ad observantiam in minimis, et ut angelos sibi semper astantes cogitent, eorumque conversationem imitentur.

ANSELMUS archiepiscopus, ROBERTO, SEYT, EDIT, charissimis suis filiis, salutem et benedictionem Dei, quantum potest.

Utinam cognosceretis quanto gaudio cor meum repleverit dilectus filius meus Willelmus, de vestra (quam mihi retulit) invicem sancta dilectione, de religiosa conversatione, de coelesti proposito, et spirituali intentione. Quamvis enim multis curis et tribulationibus prementibus me sentiam a spiritali fervore tepere, tamen magna cordi meo generatur laetitia, cum audio alios in amore Dei fervere. Et quoniam ad officium mihi injunctum et curam pertinet commissam, et vos (sicut sentio) desideratis, moneo, precor, quanto affectu possum, ut in hoc quod non vos, sed Deus in vobis coeperit, perseverare, imo et perficere studeatis. Quod utique (Deo adjuvante) poteritis efficere, si minima quaeque nolueritis negligere. Qui enim in minimis servat diligentiam, non facile admittit in majoribus negligentiam. Nec hostis noster illis quos in sancto proposito esse considerat majora peccata aperte ostendit, sed in modicis (quasi quae contemnenda sunt) latenter eos fallere contendit. Scit enim quia *qui modica despicit, paulatim decidit* **(Eccli. XIX, 1).** Ergo, charissimi, si quamlibet parum a vestra bona consuetudine aliquando vel semel sentitis declinare, gravem casum gemendo vos incurrisse judicate. Colloquia vestra semper sint munda, et de Deo. Exemplum vitae accipite ex angelis de coelo, exceptis his quae fragilitas humanae naturae ad suam exigit sustentationem. Ut vestra conversatio semper in coelis sit **(Phil. III, 20),** angelicam in omnibus considerate et imitamini conversationem. Haec contemplatio sit magistra vestra; haec consideratio sit regula vestra. Quae vitae angelicae concordant sectamini; quae ab illa discordant exsecramini. Angelos vestros [sicut dicit Dominus : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei* **(Matth. XVIII, 10)],** semper vobis praesentes, et actus et cogitatus vestros

considerantes cogitate, et ita velut si eos visibiliter inspiceretis, semper vivere curate : omnipotens Deus nunquam permittat vos ab hoc ad quod pervenistis, deficere, sed semper faciat ad meliora proficere Oro, orate pro me.

EPISTOLA CXI. ANSELMI AD HUGONEM.

Hugonem monachum, a quo se multum amari audierat, hortatur ut culpas suas nec celet, nec defendat, ut cor suum abbati suo patere semper velit, et proprios sensus obedientiae posthabeat.

ANSELMUS archiepiscopus, fratri et filio charissimo HUGONI, salutem et benedictionem

Domino abbate referente didici quod tantam erga me habeas dilectionem ut cum prospera mea audis, valde gratuleris, et cum adversa cognoscis, multum contristeris, et cor tuum commoveatur adversus eos, a quibus contingere sentis aliquam adversitatem mihi, et quia pro me orare pro possibilitate tua non desinis. Quoniam ergo tanta tui est erga me dilectio, si te non diligo, me ipsum injustum judico. Et quia vera dilectio illum quem diligit semper proficere desiderat, idcirco te hortor, et moneo ut mens tua semper ad meliora se extendere studeat. Quod si quaeris consilium quomodo hoc possis facere, monachicum propositum super omnia dilige. Quod tunc bene custodire poteris, si nunquam culpam tuam aut celare aut defendere volueris; sicut vulpes foveas habent ubi latenter catulos pariunt et nutriunt, et sicut volucres nidos habent patentes in quibus pullos fovent, ita

diaboli faciunt foveas, et multiplicant peccata in corde celantis, et aedificant aperte nidos, in quibus similiter peccata aggregant in corde defendentis. Vide igitur si non vis esse fovea, aut nidus diaboli, ne unquam culpam tuam celes aut defendas. Cor tuum semper pateat abbati tuo, et ubicunque sis, non solum corpus tuum, sed etiam cogitationes tuas in conspectu ejus esse existima; et hoc fac et cogita quod coram eo facere et cogitare non erubescas. Si hoc feceris, ita fugiet diabolus habitaculum pectoris tui, sicut fur vitat domum illius qui eum nec celare vult nec defendere. In domum namque illius furta sua fur attrahit, a quo se abscondi aut defendi confidit. Si autem hoc quod dico in usu habueris, tunc Spiritus sanctus in te habitationem suam faciet, nec corripietur, nec expelletur a superveniente iniquitate, sed bonus usus tuus per illum a se repellet iniquitatem. Quae res in tantam convertetur tibi delectationem ut nihil dulcius, nihil unquam existimare possis jucundius. Hoc autem quod dico intelligere non poteris, nisi in quantum ipso opere experiri volueris.

Multa bona domnus abbas mihi de adolescentia tua retulit, sed unum addidit quod mihi placere non potuit : judicas enim melius quod tuus sensus eligit quam quod obedientia exigit. Cum enim scribendi habeas scientiam, majus aliud quid tibi videtur quam scribere per obedientiam. Certus ergo esto, quod melior est una oratio obedientis quam decem millia orationum contemnentis. Moneo itaque ut filium charissimum et dilectorem meum. ut obedientiam in omnibus actibus praeferas, et ea quae supra dixi memoria perpetua teneas, et opere complere efficaciter studeas. Omnipotens Deus suae gratiae benedictione te in omnibus semper dirigat, et ab omni malo custodiat. Amen.

EPISTOLA CXII. ANSELMI AD WILLERMUM.

Willermum amicum suum monet ut Deo sit semper praesens, et sic servet suam dilectionem, ut omni studio conetur cavere Dei offensionem.

ANSELMUS archiepiscopus, dilecto filio suo WILLERMO, salutem et benedictionem Dei et suam.

Expertus sum te magno et intimo affectu me diligere, et ideo non possum tui dilectionis vicem non reddere. Diligis me ut Patrem in Deo, cui totum te sine simulatione commisisti, et ego te ut filium, qui sincera dilectione te suscepi. A Deo accepisti ut me diligeres, et ego a Deo habeo ut te sic diligerem. Quoniam ergo ex Deo est mutua dilectio nostra, non potest deleri, nec debet, nisi hoc faciat aliqua in Deum offensio. Sicut ergo meam vis servare dilectionem, ita omni studio conare cavere Dei offensionem. Dilige ut me diligas, sed plus diligo ut teipsum diligas. Dilige teipsum, et quantum ad dilectionem, habeto meipsum. Esto memor monitionis meae; et semper eris dilectionis Dei, et sub illa meae; nequeo semper tibi esse praesens. Deus te custodiat, qui ubique praesens. Moneo te ut semper illi sis praesens.

EPISTOLA CXIII. ANSELMI AD HERBERTUM THIOFORDENSEM EPISCOPUM.

Herbertum episcopum Thiofordensem hortatur ut presbyteros concilio inobedientes, et qui feminas nollent dimittere, a sacris prohiberet, et ad ecclesiastica munia alios seu clericos seu monachos illis substitueret.

ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, HERBERTO episcopo Thiofordensi, salutem.

De presbyteris, de quibus quaerit vestra prudentia consilium, respondeo quia nihil relaxandum est de his quae constituta sunt in concilio. Quoniam ipsi autem malunt dimittere quidquid pertinet ad presbyteri officium quam feminas, si aliqui inveniuntur casti, faciant pro illis; si autem nullus aut paucissimi tales inveniuntur, jubete ut interim monachi missas dicant populo ubi ipsi fuerint, et faciant corpus Domini, quod per clericos portetur aegrotis. Qui clerici vestra jussione vice versa accipiant confessionem, et faciant absolutionem, et sepeliant corpora mortuorum. Quae omnia etiam monachis provectioris aetatis praecipere potestis, donec ista duritia presbyterorum Deo visitante mollescat; non enim diu durabit, Deo propitiante, si in incoepto perseveraverimus. De baptismo, vos scitis quia quicunque baptizet, Christus baptizat. Laicis omnibus, majoribus et minoribus, ex parte Dei et ex parte omnium nostrum qui hoc constituimus in concilio , rogando praecipite, ut si Christianos se confitentur, adjuvent vos quatenus expellatis presbyteros concilio inobedientes de Ecclesiis, et rebus earum, et dignos pro illis constituatis. Et si

expulsi, contra illos qui Ecclesiis caste servire voluerint, aut alia aliquo modo in aliquam superbiae temeritatem proruperint, omnes Christiani sint contra illos, et non solum a societate sua, sed etiam a terris, quas de illis habent, eos cum feminis suis excludant, donec resipiscant.

EPISTOLA CXIV. ANSELMI AD NEPOTEM.

Anselmo nepoti suo commendat bonos mores, ac studiositatem, et Latinae linguae perpetuum usum. De sorore sua, ejus matre, nuntiat admissam illam Marciniaci a monialibus, sed cum eam reposceret, sibi negatam.

ANSELMUS archiepiscopus, dilecto nepoti suo ANSELMO, salutem et benedictionem.

Sollicitudinem et tristitiam quam tu habes de tua matre, ego quoque tolero. Unde a domino abbate Cluniacensi petii ut eam in monasterio ancillarum Dei in Marcinneio susciperet; quod ipse libenter sua gratia annuit propter nostrum amorem; et ipsae ancillae Dei voluerunt. Litteris igitur et nuntio nostro petii ab abbate Cluniacensi et monachis ejus ut sororem nostram ad hoc mihi concederent, quanto humilius et studiosius potui. Sed ipsi nullatenus assensum praebere voluerunt; imo commoti sunt adversum me, et magnum sibi me fecisse dedecus existimaverunt. Ego autem nondum desistam conari, ut hoc aliqua ratione possim quod incoepi perficere. Quod si non potero, non debemus tamen ego et tu frustra tristitiam inconsolabilem assumere, sed Dei dispositioni nos et illam patienter committere. Spero enim in

Deo quia non patietur eam quibuslibet incommoditatibus ita tentari, ut non possit sustinere, sed per multas tribulationes quas ab infantia passa est et (si Deus ita disposuerit) usque in finem patietur, deducet eam, et intrare faciet in requiem suam. Ego vero, in quantum potero, omnibus modis quandiu vivam illi subvenire non cessabo. Quod autem pertinet ad te, mando, et praecipio tibi ut nullatenus sis otiosus, sed in hoc propter quod in Anglia te reliqui in dies statuas proficere. Virtutem grammaticae stude cognoscere; dictare quotidie assuesce, maxime in prosa; et ne multum ames difficile dictare, sed plane et rationabiliter. Semper, nisi cum necessitas te cogit, Latine loquere. Super omnia bonis moribus et gravitati intende. Loquacitatem fuge; plus enim proficit homo tacendo, et audiendo et quid de aliorum dictis et vita possit proficere considerando, quam scientiam suam verbositate, nulla necessitate cogente, ostendendo. Saluta magistrum tuum ex nostra parte amicabiliter; cui (si Deus mihi opportunitatem dederit) et pro te et pro aliis fratribus quos docet, et pro suis moribus bonis vere desidero prodesse. Interim tamen posui super dominum priorem et multum rogavi illum quatenus illi ita bene faciat ut ei se conjunxisse vobis non displiceat. Vale.

EPISTOLA CXV. ANSELMI AD WALTERUM CARDINALEM.

Walterum cardinalem episcopum Albanensem, apostolicum in Anglia legatum rogat ut, ad sustinendum onus sui archiepiscopatus, opem sibi ac subsidium a pontifice Romano accersat

Domino et Romanae Ecclesiae legato cardinali episcopo WALTERO, ANSELMUS vocatus metropolitanus Cantuariae episcopus, fidelium orationum cum servitio devotionem.

Quoniam de vestrae sanctitatis charitate confido, precor ut domino nostro papae fidelitatem nostram et dilectionem cum reverentia, quas illius celsitudini in corde servo, sicut vobis ostendi, benigne monstretis et laborem mentis meae sub archiepiscopatus onere, sicut vobis conquerendo confessus sum, pia compassione intimetis. Quatenus paterna ejus pietas, filii et servi sui gemitibus compatiens, aliquando in conspectu Domini nostri Jesu Christi et beati Petri apostoli, memor mei esse dignetur, et, si quando ad illam in anxietatibus meis refugero, pietatis ejus viscera mihi non claudantur. Munusculum nostrum illi pro possibilitate nostra missum rogo ut sic vestra commendetur benignitate ut plus placeat vestra commendatione quam sua quantitate. Valeat sanctitas vestra, et omnipotens Deus mittat vobis angelum suum bonum, qui comitetur vobiscum, et bene diponat iter vestrum. Rogo vos, orate pro me.

EPISTOLA CXVI. ANSELMI AD DONNALDUM, DONATUM ET ALIOS EPISCOPOS.

Episcopos Hiberniae rogat ut pro se multis aerumnis presso Deum interpellent, simul admonens ut sui quisque officii

partes impleant, ac si quid inter eos controversiae ortum fuerit, rem illi totam ad se deferant.

ANSELMUS Cantuariensis Ecclesiae metropolitanus antistes, reverendis coepiscopis, DONNALDO, DONATO, ac caeteris in Hiberniae insula pontificali eminentibus dignitate a Deo Patre, et Jesu Christo, Filio ejus unico, salutem et perpetuae haereditatis benedictionem.

Odorem religionis vestrae plurimis indiciis agnoscens, calamitates quas patior decrevi potissimum vobis aperire, ut quanto vicinius assistitis Creatori, tanto familiarius angustias meas in ejus conspectu valeatis indicare, et indicantes compassionis gemitibus ipsius misericordiam mihi impetrare. Defuncto beatae memoriae praedecessore meo Lanfranco archiepiscopo, cum in Northmannia Beccensis monasterii abbas exstitissem (unde et praefatus antecessor meus ad regendam Ecclesiam, cui Deo auctore praesideo, ante me praecesserat), occulto Dei judicio pro utilitatibus ecclesiasticis in Angliam veni ; quo venientem, tam rex quam pontifex regnique optimates, ad cathedram pontificalem non vocando, ut fieri assolet, imo violenter rapiendo pertrahunt, clero et populo acclamantibus in idipsum, ut nec unus cui displiceret quod gerebatur visus fuerit interesse. Denique cum adhuc id nolle nec assentire me debere acclamarem, quod de potestate Northmanni ducis, quod de subjectione Rothomagensis episcopi, ipsis ignorantibus ereptus essem, quorum jure effugere enitebar, eorumdem (praefati videlicet ducis et archiepiscopi) praecepto onus officii coactus et obediens accepi. Quo pacto in gradum pontificalem sublimatus, idcirco assensi quia contraire non potui. Proinde infulatus sedule quid Christo, quid ejus

Ecclesiae, pro loco, pro officio deberem cogitare coepi, et pastorali regimine vitia resecare, praesumptores coercere, et quaeque inordinata ad ordinem debitum volui revocare. Qua causa, quos adjutores me oportuerat habere in causa Dei, terribiliter offensos patior, et quae per me crescere debuerat, me praesente deperit causa Dei. Unde (reverendi Patres, gemebunde vobis loquens fateor) invenerunt me amarissimae tribulationes, dum et quietem fructuosam me reminiscor perdidisse, et infructuosum periculum considero me incurrisse. Ita etenim peccatis meis facientibus actum est ut qui nostrae se sponte subdiderant ditioni, a nostra sponte resiliant ditione, et qui illis amabilis exstiteram, omnibus ferme odiosus existam. Quapropter (venerandi fratres, filii charitatis vestrae) obsecro vos in nomine ejus, qui suos inimicos redemit sanguine suo, orate ut omnibus Deus nobis pacem tribuat, inimicos nostros in gratiam convertat, et secundum suam voluntatem nos vivere faciat.

Praeterea, quanquam recte viventem, recteque sapientem pastorali sollicitudine fraternitatem vestram monere compellor, quatenus viriliter, ac vigilantius agat in doctrina Dei, canonica severitate, si quid contra ecclesiasticam doctrinam in provinciis suis inventum fuerit, compescens, et secundum voluntatem Dei cuncta disponens. Si quando vero seu in consecrationibus episcoporum, seu in ecclesiasticorum negotiorum causis, seu quibuslibet aliis rationibus aliquid quod ad sacram religionem pertineat inter vos ortum fuerit, quod per vos canonice nequeat diffiniri, charitatis officio id ad notitiam nostram deferri commonemus, quatenus a nobis potius consilium et solatium accipiatis quam praevaricatores mandatorum Dei in judicium ejus indicatis.

Iterum, charissimi, rogamus vos, orate pro nobis, erigite nos de tribulationibus nostris manu vestrae orationis, piis precibus pulsantes auresclementiae Dei. Dominus *qui* jussit *de tenebris lucem splendescere* **(II Cor. IV, 6),** mentibus vestris infundat lucem sapientiae suae, ut quae jubet intelligatis, intelligentes, opere compleatis.

EPISTOLA CXVII ANSELMI AD HUGONEM ARCHIDIACONUM.

Significat quanto cum honore et munificentia ab omnibus in exsilio suo susceptus fuerit.

ANSELMUS, gratia Dei archiepiscopus Cantuariensis, quamvis ex ul, vero et dilecto amico HUGONI archidiacono, salutem et benedictionem Dei, et suam, si quid valet.

Fidelis Dei dilectio non dormit neque dormitat, neque ulla saeculi perturbatio aut ullus casus illam fatigat, et semper ejus quem diligit praesentiam desiderat. Et quoniam de dilectione tua certus sum, quod absens per meam praesentiam non possum, saltem per litteras quid mihi sit aliquatenus significo. Dei gratia disponente, et orationibus servorum Dei, qui in multis locis longe lateque sua gratia propter Deum me diligunt, me prosequentibus, ex quo de Anglia quomodo scit Deus, nec obliviscitur [*al.* oblivisceris], exivi, nullam sensi temporalis rei in his quae necessaria mihi fuerunt,

indigentiam, nec ullius mali violentia [*al.* malevolentia] tantum mihi nocere potuit, quantum benevolentia Dei me juvare voluit. Tantam enim gratiam sua pietate mihi Deus largitur apud multos, quorum numerum modo nescio, episcopos, abbates, principes et divites hujus saeculi, et minoris ordinis, a mari Barensi usque ad mare Bonojense [*al.* Boniense], ut plus timeam multos offendere me absentando quam eos frequentando. Inter quos venerabilis archiepiscopus Lugdunensis gaudet ad praesens se suam mihi munificentiam copiose et honorifice exhibere, et desiderat me semper secum, quandiu exsul ero ab Ecclesia nostra, manere. Quod non tam Deus meis meritis facit quam suae bonitatis abundantia. Quid autem de me futurum sit, vel quid facturus sim, nulla certitudine tibi possum scribere, sed divinae benignitatis me committo penitus dispositioni. Tibi autem de me nihil melius ad praesens possum consulere quam ubi nunc es, ibi studeas Deo servire, donec Deus aliter te et vitam tuam velit ordinare sub gratia sua. Saluta domnum Guillelmum archiaconum ut dilectum nostrum. Saluta dilectissimas filias nostras abbatissas cum suis ancillis conversantibus, de Scephtesberia, de Wintonia, et de Wintuna, quibus mando benedictionem Dei et nostram, quantum possum, et roga eas ut orent pro me. Hoc unum scito quia spero in Deo, et haec voluntas mea [*al.* nostra] quia sicut propter timorem et amorem Dei, et honorem ejus et Ecclesiae ejus egressus sum de Anglia, ita nunquam ingrediar in illam nisi propter et secundum eamdem causam, in quantum intelligere potero. Huic pauperi precor ut melius sit ex tua parte propter amorem nostrum, quoniam per multa pericula et multo labore portat nuntium nostrum. Vale.

Saluto vos ego frater Eadmerus coexsul domini et Patris nostri archiepiscopi, gratias agens Deo et illi, quia dignus habitus sum hujus exsilii consortio. Rogo etiam ut quos dominus archiepiscopus salutat ex sua parte, ex nostra parte salutetis

EPISTOLA CXVIII. ANSELMI AD LAMBERTUM ATREBATENSEM EPISCOPUM.

ANSELMUS archiepiscopus Cantuariae, amico suo reverendo episcopo Atrebatensi LAMBERTO, salutem.

Precor sanctitatem vestram quatenus, propter domni papae amorem et nostrum, faciatis conduci istum clericum ejus per episcopatum vestrum, quantum vobis placet. Valete.

EPISTOLA CXIX. ANSELMI AD EUMDEM.

Venerabili Atrebatensi episcopo LAMBERTO et amico dilectissimo ANSELMUS, servus Ecclesiae Cantuariensis, salutem et fideles orationes.

Gratias ago reverendae dilectioni vestrae pro sollicitudine quam habet erga me in eo quod tantopere nosse vult de nostra sanitate. Dico itaque vobis quia gratia Dei corpore sanus sum, sed continua debilitate laboro. Quod me rogatis ut vestri memoriam habeam in orationibus nostris, pro certo scitote

quia, licet orationes meae viles sint, tamen bene valete, reverende mi Pater et domine, cum omnibus vos in veritate diligentibus, et orate pro nobis.

EPISTOLA CXX. ANSELMI AD HERNOSTUM.

Domino et fratri charissimo HERNOSTO frater ANSELMUS, salutem corporis, quanta expediat, et animae, quanta sufficiat.

Infirmitatis tuae nimis ingravatam molestiam, mi dilecte pariter et dilector, prius quorumdam narratione, deinde litterarum tuarum lectione cognovi. Qua de re ut taceam quantam assumpserim in animam meam compassionem, testis est mihi conscientia quia libenter ipsam totam transumerem in corpus meum passionem. Sed cum certum sit quia *flagellat Deus omnem filium quem recipit* **(Hebr. XII, 6),** miro quodam modo eadem me charitas, et quia flagellis attereris, impellit ad compassionem, et quia ad haereditatem erudiris, invitat ad congratulationem. Pensandum enim nobis est, charissime, quantam secum ferant dolores illi consolationem, qui dum exterius nostra delicta purgant, quibus externi cruciatus intenduntur, ad filiorum Dei nos transferunt sortem, quibus superni regni gaudia promittuntur, ut dum exterior homo noster, quem quotidie necesse est corrumpi, flagellorum pondere pressus gemendo suspirat, interior homo noster, quem de die in diem oportet renovari, peccatorum gravamine relevatus exsultando respiret. Quod

nimirum tunc perveniet, si interior homo in exterioris afflictione, non per impatientiam resultaverit, sed per gratiarum actionem caedentis manui consenserit. Cum enim semper placeamus omnipotenti Deo quoties ejus dispositionibus in nullo dissonamus, tum maxime placamus misericordem Dominum, si vapulantes verberanti sponte consonamus. Cum enim omnis ira nonnisi in adversantem se exerat, si se reus offenso per concordem de se sententiam consociet, necesse est ut irascentis motus deferveat, quoniam jam adversarium non invenit quem feriat. Quapropter, charissime cum scriptum sit quia *oportet nos per multas tribulationes* introire *in regnum Dei* **(Act. XIV, 21),** cum flagellamur, inter nos et Deum beati Job teneamus sententiam, qui nimiis circumseptus doloribus dicebat: *Haec mihi sit consolatio ut affligens me doloribus non parcat* **(Job VI, 10).**

EPISTOLA CXXI. ANSELMI AD ADELIDEM.

Venerabili dominae regia nobilitate, sed nobilius morum probitate pollenti ADELIDI, frater ANSELMUS, sic cum temporali nobilitate virtutum ornamentis decoraris ut in aeterna felicitate merearis regi regum copulari.

De floribus psalmorum quod dignata est jubere dilecta mihi in Deo vestra sublimitas, nec citius nec melius potuit exsequi fidelis vobis nostra humilitas. Tanto quippe obedientia nostra imperio vestro devotius successit, quanto ipsum imperium a sancta devotione processit. Quam devotionem opto et oro ut

omnipotens Deus sic in nobis conservet et nutriat ut mentem vestram in terris suo dulcissimo affectu, et in coelis suo beato aspectu reficiat. Exiguum et vile munus quod vobis mittit nostra pauper parvitas rogo ne despiciat vestra dives nobilitas. Si enim non est auro gemmisque crustatum, est certe totum charitativa fidelitate factum et fideli charitate donatum. Post flores psalmorum additae sunt orationes septem, quarum prima non tantum oratio quantum meditatio dicenda est, qua se peccatoris anima breviter discutiat, discutiendo despiciat, despiciendo humiliet, humiliando terrore ultimi judicii concutiat, concussa in gemitus et lacrymas erumpat. In orationibus vero sancti Stephani et sanctae Mariae Magdalenae, quaedam sunt quae si intimo corde dicantur, cum vacat, plus tendunt ad accendendum amorem. In omnibus vero septem hortor vos ego servus et amicus animae vestrae ut attendere dignemini, etiamsi vos id melius faciatis, qua humilitate et quo affectu timoris et amoris offerendum sit sacrificium orationis. Valete, et nunc et in aeternum in Deo valete, et libellum missum arrham nostrae fidelitatis secundum Deum et nostrarum orationum, qualescunque sint, habere. In fine epistolae profero quod per totam epistolam persuadere desidero. Omne quod amitti necesse est, etiam cum habetis, sublimi mente contemnite; ad id solum quod aeternum beate haberi potest, quandiu non habetis humili mente contendite. Quod persuadere volo, ut Spiritus sanctus persuadeat oro, in quo tertio: Valete.

EPISTOLA CXXII. ANSELMI AD LANFRANCUM.

Domino et Patri, Catholicis reverenter amando et amanter reverendo archiepiscopo LANFRANCO, frater ANSELMUS, suus quod suus.

Quoniam scienti aut tacendum aut breviter est dicendum, cum tacere nolim ne non loquar quod et cui libenter loquor, breviter qualiter noster animus in paternae vestrae sublimitatis fidelitate conversetur intimo. Sicut igitur quotidie desidero ut affectus amoris vestri cordi meo semper augeatur, ita nulla nostra ab invicem absentia efficere valet, ut aliquo modo minuatur. De moralibus Job mandastis, sed domnus abbas Cadumensis Willelmus et domnus Hernostus fideles vestri invenerunt scriptorem, qui jam habens nostrum librum, vestrum, ut puto, incoepit. Ut libros beatorum Ambrosii et Hieronymi habeam, ad hoc quod jussistis, laboravi et laboro. Sed eos nondum habere potui. Quam vero citius potero, quod vos inde velle scio perficiam. Girardum vestrum de Flandria per vestrae pietatis largitatem Deo de mundo nostra suggestione redemptum, unde me, si vester non essem, confiterer servum vobis emptum, die a vobis constituta sciat sanctitas vestra sine gravi jactura esse non potuisse absolutum a creditoribus suis. Venit tamen prima Dominica Quadragesimae, vestram in se magnifice misericordiam praedicans, et qualiter nostrae non tam petitioni quam levi voluntatis significationi in ejus causa dignatio vestra favit et semper se velle favere intimavit. Qui dixit se velle et, quantum attinet ad hoc quod habet posse, sic reddere quod debet ut aliquid quod secum offerret haberet, sed pro quibusdam

impedimentis non potuisse secundum condictum ut oporteret. Rediit igitur, promittens se in Pascha Beccum Deo annuente venturum et mansurum, si non quomodo volet, vel sic quomodo poterit. Si quid igitur peccavit quia promissionem vobis factam ad plenum non est exsecutus, quoniam non id admisisse malitiam videtur, peto securus, ut soleo, de vestra benignitate, quatenus filio vestro vice patris liceat eum hoc reatu absolvere cum nobiscum incipiet vivere. In qua re hanc certam praesumam concessionem, si nullam legero prohibitionem.

EPISTOLA CXXIII. ANSELMI AD HENRICUM.

Domino et fratri HENRICO, frater ANSELMUS sa lutem.

Cum Romam tendentes transistis prope nos, mirantes doluimus quia non potius per nos, donec audivimus hoc vobis prohibitum esse in eundo, sed concessum in redeundo. Exspectavimus igitur, domnus abbas, et ego, et alii fratres et dilectores vestri adventum vestrum, spe falsa gaudentes, donec didicimus vos in Anglicam terram pertransisse, desperatione vera dolentes. Quod quanquam ego non sine aliqua rationabili causa factum esse, si bene vestram novi dilectionem, non credam; tamen ne qua, quod absit, vel contemptus vel modici amoris erga monasterium et fratres vestros de vobis maneat suspicio, mandate quid aliis respondeam cur vestra nos in eundo et redeundo non visitatos praeteriit dilectio; sicut enim desidero vos nihil operari quod

vobis non expediat, ita nolo quemquam de vobis aliquid opinari nisi quod vos deceat. Innotescat etiam amico vestro si quid de re pro qua animum vestrum, et aliorum verbis et a vestris litteris, valde sollicitum ut parentes inviscretis, agnovi effecistis, quatenus sciam utrum vobis debeam compati vel congaudere.

EPISTOLA CXXIV. ANSELMI AD G. EPISCOPUM.

Domino et Patri reverendo episcopo G., frater ANSELMUS, qui dicitur abbas Becci, temporalem prosperitatem et aeternam felicitatem.

Gratias agimus vestrae sanctitati, quae nostras et fratrum nostrorum orationes postulando suas nobis est dignata per dilectum fratrem nostrum domnum Riculfum concedere et suae benevolentiae auxilia, ubicunque opportunitas exhibebit, promittere. Ad quod quanto minus quod digne recompensare possimus habemus, tanto magis quidquid possumus ad vestrae celsitudinis servitium et opere et voluntate impendere debemus et Deum, propter quem nobis promittitis, orare ut ipse vobis secundum suam copiosam largitatem retribuat quod nos propter nostram parvitatem non valemus. De filio vestro fratre nostro domno Ricoardo, quamvis honestius nobis esset et mallemus prius servire quam aliquid petere, vestram tamen, quia ita res exigit, rogamus benignitatem quatenus illi propter nostrum amorem concedatis si quid de se aut de

praebenda sua petierit quod vestram non dedeceat honestatem.

EPISTOLA CXXV. ANSELMI AD MAINERIUM ABBATEM.

Dilecto et Patri reverendo abbati MAINERIO frater ANSELMUS, salutem.

Scitote quia quo iterum me vobis mandaveram non ibo ante octavas Epiphaniae Domini. Deinde nescio quando ibo aut si ibo. Interim si vobis placeret ut domnus Serlo ad nos, cum vobis opportunum esset, quantum juberetis moraturus veniret, mihi quidem placeret, et puto quia illi non displiceret. Precor sanctitatem vestram ut, si vobis molestum non est, per vos notum fiat dominis et amicis nostris de Sagiensi monasterio quod de nostro mando itinere. Scio enim eos sicut vos sollicite orare pro me et ejusdem itineris prosperitate. Nec poeniteat charitatem vestram orasse pro itinere nostro, quia modo non eo. Potens est enim Deus servare mihi orationes vestras in opportunam diem. Valete.

EPISTOLA CXXVI. ANSELMI AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

Suo charissimo domino HENRICO, gratia Dei, regi Anglorum, ANSELMUS archiepiscopus Cantuariae, fidele servitium et fideles orationes.

Audivi quia vos Willelmum electum episcopum Wentoniensem praecipitis exire de episcopatu et de Anglia, quia non suscepit consecrationem quam illi voluit facere archiepiscopus Eboracensis et alii episcopi. Unde precor et consulo, et sicut fidelis archiepiscopus domino et regi suo, ne credatis consilio illorum qui hoc vobis consulunt, quia meo sensu non intelligo hoc esse ad vestrum honorem. Nam satis est notum quia ad me pertinet ejus consecratio, nec alius eam debet facere nisi per me; quod paratus sum, si necesse fuerit, rationabiliter ostendere, sicut talis res ostendi debet. Quapropter si illum expellitis de terra vestra ut mihi non liceat eamdem consecrationem canonice facere, videtur mihi quia dissaisitis me de officio meo sine judicio cur facere debeatis. Precor itaque ut illum in pace in episcopatu manere permittatis, saltem usque ad terminum nostri respectus, ut interim mihi liceat illi facere consecrationem quam debeo.

EPISTOLA CXXVII ANSELMI AD ATSERUM LUNDENSEM ARCHIEPISCOPUM.

ANSELMUS archiepiscopus Cantuariae, reverendo laudis Ecclesiae archiepiscopo Lundensi ATSERO, salutem et veram amicitiam in Christo.

Quod me rogastis de domno Albrico cardinali Romanae Ecclesiae libenter feci, cum propter honorem Romanae Ecclesiae, tum propter amorem vestrum, pro quo libenter facere volo, si quid quod placeat sanctitati vestrae intellexero. Gratias agimus Deo, qui in regno Danorum vestram religiosam [*al.,* religiositatem] ad archiepiscopatum sublimavit. Confidimus enim quia, gratia Dei cooperante, ea quae corrigenda sunt corrigetis, et quae aedificanda aedificabitis, et quae nutrienda nutrietis. Audivimus namque a praefato cardinali multa bona de vobis. Unde istam habemus fiduciam, et oramus ut Deus, qui hoc incoepit in vobis, ad bonum effectum vestram semper perducat voluntatem. Rogo sanctitatem vestram quatenus regnum illud vestro sancto studio emundetis ab apostatis, ut nullus alienigena ibi recipiat aliquem ecclesiasticum ordinem, quia illi qui ab episcopis suis repelluntur, illud pergunt, et exsecrabiliter ad diversos ordines sacrantur. Valete et orate pro me.

EPISTOLA CXXVIII ANSELMI AD EULALIAM EJUSQUE SANCTIMONIALES.

Litteras quas ab eo desideraverat mittens, hortatur ut sinceram erga se dilectionem in amore Dei et aliis piis operibus fervendo demonstret.

ANSELMUS archiepiscopus, sororibus suis in Christo charissimis Domino abbatissae EULALIAE et omnibus filiabus suis, salutem et benedictionem Dei et suam quam valet.

Per quemdam servientem regis, qui mihi sigillum ejus detulit, petiit diiectio vestra, sicut ipse dixit, nostris litteris salutari; quod malui facere per legatum meum, quem sciebam me in proximo tunc missurum in Angliam. Scio quia abundantia vestrae et religiosae dilectionis hoc facit ut litteras nostras libenter videre velitis, ut cum meam praesentiam, quam religioso affectu desideratis, secundum voluntatem vestram habere non potestis, saltem per epistolam meam aliquatenus illam vobis exhibeatis, forsitan ut in me memoriam vestri, ne quando obdormiat, exerceretis [*al.,* excitetis]. Denique sicut scio quia bona voluntas et sincera dilectio in vobis erga me non frigescit, ita scitote quia erga vos in me non tepescit. In hoc autem maxime volo vos nostri memores esse, et me, sicut facitis, diligere, ut sicut scitis desiderium meum in amore Dei omnes studeatis indesinenter fervere, et vos quae subditae estis matri vestrae, obedientiam, non ad oculum, sed intimo corde satagatis exhibere. Scio quia adversitates et tribulationes ex diversis partibus sustinetis, sed tunc magis ad ordinis et vitae veram custodiam studere debetis, quia plus bene vivendo consolationem Dei impetratis quam si aliquatenus, propter aliqua solum impedimenta, a vestri propositi fervore cessatis. In quocunque secreto sitis, certae estote, nec ullatenus dubitetis quia unaquaeque habet angelum suum, qui omnes cogitatus et actus ejus videt, et notat, et invicem ad Deum reportat. Moneo itaque vos, filiae charissimae, ut in occulto et in aperto unaquaeque sic motus

cordis et corporis sui custodiat ac si angelum ipsum custodem suis oculis corporalibus praesentem videat. Omnipotens Deus vos sua benedictione protegat, et ad conspectum gloriae suae perducat. Amen.

De reditu nostro scio quia vultis aliquid cognoscere, sed nihil certum vobis ad praesens possum scribere. Orate ut faciam secundum beneplacitum voluntatem Dei.

EPISTOLA CXXIX ANSELMI AD EASDEM.

Hortatur eas ad perfectionem et ne minima spernant.

ANSELMUS, Dei dispositione vocatus archiepiscopus. dominae et matri reverendae abbatissae EULALIAE, et sanctae congregationi illi commissae, in sanctitate semper proficere et ad beatitudinem pertingere

Quamvis vestrum sanctum studium mea monitione non egeat, cogit me tamen dilectio quam erga vos habeo, et officium meum, ut vobis aliquid exhortando scribam. Considerate incessanter, filiae et sorores meae dilectissimae, quia in coelum proposuistis ascendere, ut ibi regnetis et regno gaudeatis cum Domino et amico vestro Jesu Christo, qui ibi vos exspectat et exspectando assidue invitat; quippe quandiu homo vivit, aut ascendit in coelum bene vivendo, aut descendit in infernum male vivendo. Si ergo ad hoc quod proposuistis vultis pertingere, necesse est vos sanctis actionibus illuc quasi quibusdam passibus proficere.

Diligenter igitur vitae vestrae cursum discutite, non solum in operibus, sed et in verbis, non solum in his et in minimis cogitationibus, ne forte cum in omnibus his semper debeatis cursum tendere, aliquid ibi inveniatur quod magis sit descendere. Quod si bene vultis custodire, expedit ut semper illud cogitetis quod verissime scriptum est : *Qui modica spernit paulatim decidit* **(Eccli. XIX, 1).** Qui enim paulatim decidit, non proficit, sed deficit; et qui deficit, non ascendit, sed descendit. Hoc ergo curate sollicite ut nihil tam parvum sit quod de ordine vestro ubi vos vivere possitis violetis, et sic sanctis passibus in coelum, quod utinam adjuvante Deo, fiat, ascendetis. Oro ut pro me oretis, et tanto attentius quanto scitis me de dilectione vestra confidere, quoniam nunquam cognovi me magis quam nunc orationibus indigere. Tam male enim sum in archiepiscopatu, ut certe, si sine culpa dicere possum, malim de hac vita exire quam sic vivere.